image
not
available





COLLECTIO

LATINORVM SCRIPTORVM

CVM NOTIS.

TAVRINI
MDCCCXXVII
PER IOSEPHVM POMBA.

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA

TOM. VIII.

M. TVLLII
CICERONIS
OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHÜTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS OCTAVVS

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXVII.

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

TOM. V.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA OCTAVA

I.

Confusius hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui. Parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. Nam quum senatus ea virtus fuisset, quae solet; et quum re viderent omnes esse bellum, quidamque id verbum removendum arbitrarentur: tua voluntas in discessione fuit ad lenitatem propensior. Victa est igitur propter verbi asperitatem, te auctore, nostra sententia. Vicit L. Caesaris, amplissimi viri, qui verbi atrocitate dempta, oratione fuit, quam sententia, lenior. Quamquam is quidem, antequam sententiam diceret, propinquitatem excusavit. Idem fecerat, me consule, in sororis viro, quod hoc tempore in sororis filio, ut et luctu sororis moveretur, et saluti reipublicae provi-

Confusius) Minus considerata, quam decuit a consule, praesertim eo, quem te ad eam diem praebueras. Man.

Est acta res) *Acta res est* coni. Lambin.

In discessione) Discessit in eam partem Pansa, cui tumultum potius, quam bellum, vocari placebat: eumque senatus pars maior sequuta est. Man.

Propter verbi asperitatem) Olim edebatur *victa igitur est propter asperitatem.* Sed *verbi* addendum esse vidit Faërnus.

Amplissimi viri) Sic MSS. meliores et edd. vett. altera lectio postea vulgata *L. Caesar amplissimus vir* et ipsa tamen in MSS. est ut Guelf.

Propinquitatem) Nam Antonii mater ei soror erat. Man.

In sororis viro) Lentulo, qui, Cicerone consule, cum aliis coniuratis in carcere, senatus iussu strangulatus est. In. Philipp. II, 6.

deret. Atque ipse tamen Caesar praecepit vobis quodammodo, Patres conscripti, ne sibi assentiremini, quum ita dixit, aliam sententiam se dicturum fuissè, eamque se ac republica dignam, nisi propinquitate impediretur. Ergo ille avunculus. Num etiam vos avunculi, qui illi estis assensi?

II. At in quo fuit controversia? Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest enim esse bellum sine tumultu: tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, ut maior timor oriatur? Vnde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri, tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimus, praeterea nullum nominabant. Gravius autem tumultum esse, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumultu possit, tumultus sine bello esse non possit. Etenim quum inter bellum et pacem medium nihil sit, necesse est, tumultum, si belli non sit, pacis esse. Quo quid absurdius dici aut existimari potest? Sed nimis multa de verbo: rem potius videamus, Patres conscripti, quam quidem intelligo verbo fieri interdum deteriorem solere. Nolumus hoc bellum videri. Quam igitur municipiis et coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem da-

Vt maior timor oriatur) Quintilianus VII, 3, 25, sic: *quid enim est aliud tumultus nisi perturbatio tanta ut maior* timor *oriatur. Vnde etiam nomen ductum est tumultus.* Sed Ianus Douso probante I. Gerh. Vossio reponendum putabat *ut maior tumor oriatur.* Sane haec etymologia probabilior est, quam *tumultum* a *timore* dictum.

Praeterea nullum) Olim *nullum tumultum.* Sed Faërnus aliique auctoritate cod. Vatic. omiserunt *tumultum.*

Nolumus) Graev. e cod. Vat. *nolimus.*

mus? quam, ut milites fiant sine vi, sine mulcta, studio et voluntate? quam, ut pecunias in rempublicam polliceantur? Si enim belli nomen tollitur, municipiorum studia tolluntur; consensus populi romani, qui iam descendit in causam, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur: non est bellum? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur: quae potest pax esse certior? Illud vero quis potest bellum esse dicere? Consulem, fortissimum virum, cum exercitu misimus, qui quum esset infirmus ex gravi diuturnoque morbo, nullam sibi putavit excusationem esse oportere, quum ad reipublicae praesidium vocaretur. C. quidem Caesar non exspectavit nostra decreta, praesertim quum esset illud aetatis: bellum contra Antonium sua sponte suscepit. Decernendi enim tempus nondum erat: belli autem gerendi tempus si praetermisisset, videbat, republica oppressa, nihil posse decerni. Ergo illi nunc, et eorum exercitus in pace versantur. Non est hostis is, cuius praesidium Claterna deiecit Hirtius; non est hostis, qui consuli armatus obsistit, designatum consulem oppugnat, nec illa hostilia verba, nec bellica, quae paulo ante ex collegae literis Pansa recitavit: *Deieci praesidium; Claterna potitus sum; fugati equites; proelium commissum; occisi aliquot.* Quae pax potest esse maior? Delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus; saga cras sumentur; consul se cum praesidio descensurum dixit.

III. Vtrum hoc bellum non est: an etiam tantum

Potest bellum esse dicere) Olim minus bene legebatur *bellum non esse dicere*. Rectius abest negatio MSS. compluribus. Est enim ironice dictum, quod viderunt Ferrarius et qui eum sequuti sunt.

Illud aetatis) Hoc pro vulg. *illius aetatis* e cod. Vat. receperunt Graev. Ern. post Faëru. et Muretum.

Nondum erat) Sic recentiores e cod. Vat. Vulg. olim *nondum venerat*.

bellum, quantum nunquam fuit? Ceteris enim bellis, maximeque civilibus, contentionem reipublicae causa faciebat. Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per vim latas Sulla dicebat; Cinna cum Octavio de novorum civium suffragiis; rursus cum Mario et Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, et ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem. Horum omnium bellorum causae ex reipublicae contentione natae sunt. De proximo bello civili non libet dicere; ignoro causam; detestor exitum. Hoc bellum quintum civile geritur (atque omnia in nostram aetatem inciderunt): primum non modo non in dissensione et discordia civium, sed in maxima consensione, incredibilique concordia. Omnes idem volunt, idem defendunt, idem sentiunt. Quum omnes dico, eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quae est igitur in medio belli causa posita? Nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesque populi romani, penates, aras, focos, sepulcra maiorum; nos leges, iudicia, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut haec omnia perturbet, evertat, praedam reipublicae causam belli putet, fortunas partim dissipet, partim dispertiat parricidis.

In hac tam dispari ratione belli, miserrimum illud est, quod ille latronibus suis pollicetur, primum domos; urbem enim se divisurum confirmat: deinde omnibus portis, quo velint, deducturum. Omnes Caphones, omnes Saxae, ceteraeque pestes, quae sequuntur Antonium, aedes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt. Atque etiam homines agre-

Puniretur) MSS. Gu. L. *puniret.* edd. vett. inde ab Aldo *ulcisceretur.* Edd. pr. Rom. Ven. Vic. Br. Med. *meditaretur* quod sine dubio vitiosum erat; *puniri* pro *punire* est etiam in Miloniana cap. 13. Ern.

stes, si homines illi, ac non pecudes potius, inani spe ad aquas usque et Puteolos provehuntur. Ergo habet Antonius, quod suis polliceatur. Quid nos? num quid tale habemus? Dii meliora. Id enim ipsum agimus, ne quis posthac eiusmodi quidquam possit polliceri. Invitus dico, sed dicendum est. Hasta Caesaris, Patres conscripti, multis improbis et spem affert, et audaciam. Viderunt enim, ex mendicis fieri repente divites: itaque hastam semper videre cupiunt ii, qui nostris bonis imminent; quibus omnia pollicetur Antonius. Quid nos? nostris exercitibus quid pollicemur? Multo meliora atque maiora. Scelerum enim promissio, et iis, qui exspectant, perniciosa est, et iis, qui promittunt. Nos nostris militibus libertatem, iura, leges, iudicia, imperium orbis terrae, dignitatem, pacem, otium pollicemur. Antonii igitur promissa, cruenta, tetra, scelerata, diis hominibusque invisa, nec diuturna, nec salutaria: nostra contra, honesta, integra, gloriosa, plena laetitiae, plena pietatis.

IV. Hic mihi etiam Q. Fufius, vir fortis ac strenuus, amicus meus, pacis commoda commemorat. Quasi vero, si laudanda pax esset, ego id aeque commode facere non possem. Semel enim pacem defendi? non semper otio studui? quod quum omnibus bonis utile est, tum praecipue mihi. Quem enim cursum industria mea tenere potuisset, sine forensibus causis, sine legibus, sine iudiciis? quae esse non possunt, civili pace sublata. Sed quaeso, Calene, tu servitutem

Aquas) Baianas.

Ad aquas usque et Puteolos) Sic Faërn. a MS. Olim *ad aquas usque Puteolanas.*

Hastam semper videre cupiunt) Eadem sententia lib. de Offic. *Nec vero unquam bellorum civilium semen, et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint, et sperabunt.* Lib. II, cap. 8. MAN.

Sed quaeso, Calene) Vulgo ad-

pacem vocas? Maiores quidem nostri non modo, ut liberi essent, sed etiam, ut imperarent, arma capiebant: tu arma abiicienda censes, ut serviamus. Quae causa iustior est belli gerendi, quam servitutis depulsio? In qua etiamsi non sit molestus dominus, tamen est miserrimum, posse, si velit. Immo aliae causae iustae, haec necessaria est. Nisi forte ad te hoc non putas pertinere, quod te socium fore speras dominationis Antonii. In quo bis laberis: primum, quod tuas rationes communibus anteponis; deinde, quod quidquam stabile in regno, aut iucundum putas. Non, si tibi antea profuit, semper proderit. Quinetiam, memini, de illo, homine, queri solebas: quid te facturum de bellua putas? Atqui ais, eum te esse, qui semper pacem optaris, semper omnes cives salvos volueris. Honesta oratio; sed ita, si bonos et utiles reipublicae cives: sin eos, qui natura cives sunt, voluntate hostes, salvos velis, quid tandem interest inter te et illos? Pater quidem tuus, quo utebar sene adolescens, homo severus et prudens, primas omnium civium P. Nasicae, qui Ti. Gracchum interfecit, dare solebat. Eius enim virtute, consilio, magnitudine animi, liberatam rempublicam arbitrabatur. Quid? nos a patribus num aliter accepimus? Ergo is tibi civis, si temporibus illis fuisses, non probaretur, quia non omnes salvos esse voluisset. *Quod L. Opimius consul verba fecit de re publica, de ea re ita censuerunt:* VTI OPIMIVS CONSVL REMPVBLICAM DEFENDERET. Senatus haec verbis, Opimius armis. Num igitur eum, si

ditur *quid?* quod post *quaeso* incommodum esse vidit Ernestius.

Tu arma) Sic Ern. e cod. Leid. Vulgo *at tu.*

In quo bis laberis) Sic cod. Val. Leid. Recepit Ern. pro vulg. *falleris.*

Atqui ais, eum te esse) Ita Faern. e cod. Vatic. quod Ern. recepit. Vulgo *atqui is es.* Muretus malebat: *Atqui vis eum te esse.*

tum esses, temerarium civem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cuius quatuor filii consulares? P. Lentulum, principem senatus, complures alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Aventinum persequuti sunt? quo in proelio Lentulus grave vulnus accepit; interfectus est Gracchus, et M. Fulvius consularis, eiusque duo adolescentuli filii. Illi igitur viri vituperandi. Non enim cives omnes salvos esse voluerunt.

V. Ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio, consulibus, senatus rempublicam defendendam dedit: L. Saturninus tribunus plebis, Glaucia praetor, est interfectus. Omnes illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scaevolae, Crassi, arma sumpserunt. Num aut consules illos, aut clarissimos viros vituperandos putas? Ego Catilinam perire volui. Num tu, qui omnes salvos vis, Catilinam salvum esse voluisti? Hoc interest, Calene, inter meam sententiam, et tuam: ego nolo quemquam civem committere, ut morte multandus sit; tu, etiamsi commiserit, conservandum putas. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur; ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicae corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur. Dura vox! Multo illa durior: Salvi sint improbi, scelerati, impii; deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica. Vno in homine, Q. Fufi, fateor te vidisse plus, quam me. Ego P. Clodium arbitrabar perniciosum civem,

Principem senatus) Sic editum e cod. Vatic. Vulgo *principem senatorem*.

Membrorum aliquod) Olim vulgabatur *aliquid membrorum* Faërno et Mureto placebat *membrum aliquod*.

Te vidisse plus, quam me) MSS. nonnulli *te plus quam me vidisse*.

Te vidisse plus, quam me) Perspicua ironia. Defensum a Caleno Clo-

sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum: tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum civem et optandum. In hoc uno te plurimum vidisse, multum me errasse concedo.

VI. Nam quod me tecum iracunde agere dixisti solere: non est ita. Vehementer me agere fateor, iracunde nego. Omnino irasci amicis non temere soleo; ne si merentur quidem. Itaque sine verborum contumelia a te dissentire possum, sine animi summo dolore non possum. Parva est enim mihi tecum, aut parva de re dissensio? Ego huic vel illi videlicet faveo, tu illi? Immo vero ego D. Bruto faveo, tu M. Antonio; ego conservari coloniam populi romani cupio, tu expugnari studes. An hoc negare potes, qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? Quousque enim dices, pacem velle te? Res geritur; conductae vineae sunt; pugnatur acerrime; qui intercurrerent, misimus, tres principes civitatis. Hos contempsit, reiecit, repudiavit Antonius. Tu tamen permanes constantissimus defensor Antonii. Et quidem, quo melior senator videatur, negat se illi amicum esse debere; quum suo magno esset beneficio, venisse eum contra se. Vide, quanta caritas sit patriae. Quum homini sit iratus,

dium, quum de incesto accusatus est, narrat Pedianus pro Milone. MAN.

Nam quod) Recte *quod* addiderunt Graev. Ern. e cod. Vatic.

Ego huic vel illi videlicet faveo) Sic codd. MSS. teste Ferrario; melius quam vulg.: *ego huic videlicet faveo.* Nempe significat, non nunc id agi ab Cicero huic vel illi ignoto homini faveat, Antonius illi.

Misimus tres) Diximus legatos ad Antonium a senatu missos L. Pisonem, L. Philippum, Ser. Sulpicium. MAN.

Quum suo magno esset beneficio) Quum a se magnum Antonius beneficium accepisset. Notandum loquendi genus, quod perquam rarum est. Vsus eo Cicero est in ep. ad Curium 30, lib. VII *Fam.* alibi nusquam, quod quidem observaverim. ID.

tamen reipublicae causa defendit Antonium. Ego te, quum in Massilienses tam sis acerbus, Fufi, non animo aequo audio. Quousque enim Massiliam oppugnabis? Ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem lata est urbs ea, sine qua nunquam ex Transalpinis gentibus maiores nostri triumpharunt. Quo quidem tempore populus romanus ingemuit. Quamquam enim proprios dolores suarum rerum omnes habebant, tamen huius civitatis fidelissimae miserias, nemo erat civis, qui a se alienas arbitraretur. Caesar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen, propter singularem eius civitatis gravitatem et fidem, quotidie aliquid iracundiae remittebat: te nulla sua calamitate civitas satiare tam fidelis potest? Rursus me iam irasci fortasse dices. Ego autem sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore: Neminem illi civitati inimicum esse arbitror, qui amicus sit huic civitati. Excogitare, quae tua ratio sit, Calene, non possum. Antea deterrere te, ne popularis esses, non poteramus: nunc exorare, ut sis popularis, non possumus. Satis multa cum Fufio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. Credo autem, qui generi querelam moderate ferat, aequo animo laturum amici.

VII. Venio nunc ad reliquos consulares, quorum est nemo (iure hoc meo dico), qui non mecum habeat aliquam coniunctionem gratiae; alii maximam,

Massiliam oppugnabis) Oppugnabat eorum commoda: nam in senatu actum esse ut iis redderentur adempta a Caesare, facile est intelligere ex iis Antonii verbis, quae recitantur Phil. XIII, 15. Massilienses proficiscenti in Hispanias Caesari, civitatis suae portas clauserant. MAN.

Per quem lata) *Lata* e Vat. recte repositum e Mureto, Graev. Ern. Frustra ineptam scripturam *sublata* defendit Gruter. In Caesaris triumpho Gallico urbis Massiliae simulacrum latum est.

Generi) Intelligendus *Pansa*, qui filiam Fufi Caleni in matrimonio habebat, eamque ob causam, cum praecipuo loco, pietatis causa, sententiam rogarat. Vid. Or. X, cap. 1. ERN.

alii mediocrem; nemo nullam. Quam hesternus dies nobis, consularibus dico, turpis illuxit! Iterum legatos? Quid? ille faceret inducias? Ante consulem, oculosque legatorum, tormentis Mutinam verberavit; opus ostendebat, munitionemque legatis; ne punctum quidem temporis, quum legati adessent, oppugnatio respiravit. Ad hunc legatos? cur? an ut eorum reditu vehementius pertimescatis? Equidem quum antea legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod quum illi ab Antonio contempti et reiecti revertissent, dixissentque senatui, non modo illum e Gallia discessisse, uti censuissemus, sed ne a Mutina quidem recessisse, potestatem sibi D. Bruti conveniendi non fuisse: putabam fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus. Nos etiam languidiores facti sumus, postquam Antonii non solum audaciam et scelus, sed etiam insolentiam superbiamque perspeximus. Vtinam L. Caesar valeret, Servius Sulpicius viveret! multo melius haec causa ageretur a tribus, quam nunc agitur ab uno. Dolenter hoc dicam potius, quam contumeliose. Deserti, deserti, inquam, sumus, Patres conscripti, a principibus. Sed, ut saepe iam dixi, omnes in tanto periculo, qui recte et fortiter sentient, erunt consulares. Animum nobis afferre legati debuerunt; timorem attulerunt: quamquam

Oculosque) Ita legendum esse recte censuit F. Vrsinus; atque sic habet cod. Francii. In cod. Vatic. erat *ante hos*, unde Ant. Augustinus coniecit scribendum esse *ante os*. Graevius retinuit lectionem *ante consulis oculosque leg*. Faërno placebat *ante os oculosque legatorum*.

Discessisse) Vulgo *non discessisse*. Sed alterum illud *non* quia sequitur *ne quidem* recte auctoritate cod. Val. deleverunt Graev. Ern.

Non fuisse) Ernestius corrigendum putabat *fecisse*.

Quamquam mihi quidem nullum) Olim addebatur *unquam timorem*, quae verba abesse melioribus MSS. testati sunt Ferrar. Muret. Ac sine dubio sunt a glossatore, cui Ernestius fortasse totum illud *quamquam*

mihi quidem nullum; quamvis de illo, ad quem missi sunt, bene existiment; a quo etiam mandata acceperunt.

VIII. Proh, dii immortales! ubi est ille mos virtusque maiorum? C. Popillius, apud maiores nostros, quum ad Antiochum regem legatus missus esset, et verbis senatus denuntiasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat: quum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit; dixitque, se renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet. Praeclare: senatus enim faciem secum attulerat, auctoritatem populi romani: cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt, sed ipse est totus repudiandus. Au ego ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? aut ei cum senatu quidquam commune iudicarem, qui imperatorem populi romani, senatu prohibente, obsideret? At quae mandata? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu? Cur autem ea legatis nostris dabat, quum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum, hominem aedilicium? si vero tum fuit aedilis, quum eum iussu Antonii in convivio servi publici loris ceciderunt.

IX. At quam modesta mandata! Ferrei sumus, Patres conscripti, qui quidquam huic negemus. *Vtramque provinciam*, inquit, *remitto; exercitum depono; privatus esse non recuso.* Haec sunt enim verba. Redire ad se videtur. *Omnia obliviscor, in gratiam redeo.* Sed

— *nullum* tribuendum esse suspicabatur.

Se renuntiaturum) Vulgo olim *se non ante renuntiaturum*. Sed illud *non ante* Faërn. aliique deleverunt. Abest etiam MSS. Leid.

Populi romani) Sic Faërn. Graev. id. Ern. MS. Leid. Vulgo. olim *reipublicae.*

Non ab eo mandata accipienda sunt) ut ab Antonio Piso et Philippus acceperunt. Lamb.

quid adiungit? *si legionibus meis sex, si equitibus, si cohorti praetoriae praedam agrumque dederitis.* His etiam praemia postulat, quibus ut ignoscatur, si postulet, impudentissimus iudicetur. Addit praeterea, *quos ipse cum Dolabella dederit agros, teneant ii, quibus dati sint.* Hic est Campanus ager, et Leontinus, quae duo maiores nostri annonae perfugia ducebant. Cavet mimis, aleatoribus, lenonibus; Caphoni etiam, et Saxae cavet; quos centuriones pugnaces et lacertosos inter mimorum et mimarum greges collocavit. Postulat praeterea, *ut chirographorum et commentariorum sua collegaeque sui decreta maneant.* Quid laborat, ut habeat, quod quisque mercatus est, si, quod accepit, habet qui vendidit? *Et ne tangantur rationes ad Opis*: id est, ne septies millies recuperetur. *Ne fraudi sit septemviris, quod egissent.* Nucula hoc, credo, admonuit. Verebatur fortasse, ne amitteret tantas clientelas. Caveri etiam vult *iis, qui secum sunt, quidquid contra leges commiserint.* Mustelae et Tironi prospicit: de se nihil laborat. Quid enim commisit unquam? num aut pecuniam publicam attigit, aut hominem occidit, aut secum habuit armatos? Sed quid est, quod de iis laboret? Postulat enim, *ne sua iudiciaria lex abrogetur.* Quo impetrato, quid est quod metuat? an ne suorum aliquis a Cyda, Lysiade, Curio condemnetur? Neque tamen nos urget mandatis pluribus; remittit aliquantum, et relaxat.

Praedam) Ern. coni. *praemia.*

Quos ipse) Faërn. Graev. *ut quos.*

Chirographorum) Caesaris, in quibus fingebat Antonius esse multa, quae non erant. Max.

Habet qui vendidit) Vulgo legebatur: *si quid accepit, habeat, qui vendidit.* Sed auctore Faërno, Graev. Ern. ediderunt *si, quod accepit, habet qui vendidit* scil. sensu: *si qui vendidit* i. e. Antonius *habet*, *quod accepit* i. e. pecuniam.

Ne amitteret tantas clientelas) quantas sibi agrorum divisione pepererat. Max.

Galliam, inquit, *togatam remitto*, *comatam postulo*. Otiosus videlicet esse mavult. *Cum sex legionibus*, inquit, *iisque suppletis ex D. Bruti exercitu*, non modo ex delectu suo: *tamdiuque ut obtineat*, *quamdiu M. Brutus*, *C. Cassius*, *consules*, *prove coss. provincias obtinebunt*. Huius comitiis C. frater (eius est enim iam annus) iam repulsam tulit. [1] *Ipse autem ut quinquennium*, inquit, *obtineam*. At istud vetat lex Caesaris, et tu acta Caesaris defendis?

X. Haec tu mandata, L. Piso, et tu, L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? Sed, ut suspicor, terror erat quidam; nec vos ut legati apud illum fuistis, nec ut consulares; nec vos vestram, nec reipublicae dignitatem tenere potuistis. Et tamen, nescio quo pacto, sapientia quadam, credo, quod ego non possem, non nimis irati revertistis. Vobis M. Antonius nihil tribuit, clarissimis viris, legatis populi romani. Nos, quid non legato Antonii Cotylae concessimus? Cui portas huius urbis patere ius non erat, huic hoc templum patuit; huic aditus in senatum fuit; hic hesterno die sententias nostras in codicillos, et omnia verba referebat; huic se etiam summis honoribus usi contra di-

(1) Assentior Lambino totum hoc *huius comitiis—repulsam tulit* aliunde intrusum statuenti. In cod. Vatic. ita legebatur *huius comitiis C. frater*, *eius est enim iam annus ut repulsam tulit*; pro quo Antonius Augustinus opinabatur legendum: « *Lucius comitiis consul fiat* »; *iare*, *est enim iam annus ut repulsam tulit*, ut priora quatuor verba Antonii sint; quae vero sequuntur Ciceronis per ironiam Antonio assentientis. Vrsinus malebat: *Binis comitiis L. frater* (*est enim idem annus*) *iam repulsam tulit*. Sed his omnibus nihil efficitur, ut nobis persuadeamus haec verba hic suo loco posita esse. Male enim interrumpunt seriem orationis. Verba *ipse autem ut quinquennium obtineam*, cohaerent cum antecedentibus de Gallia comata enim, sex legionibus tamdiu obtinendo, quam diu Brutus et Cassius provincias suas obtineant.

Non dico animo ferre) Ant. Augustinus emendabat *non dico annos ferre*. Muretus vero: *non dico aequo animo ferre*.

gnitatem suam venditabant. O dii immortales! quam magnum est, personam in republica tueri principis! quae non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium. Domum recipere legatum hostium, in cubiculum admittere, etiam seducere, hominis est, nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem est periculum? Nam si maxime in discrimen venitur, aut libertas parata est victori, aut mors exposita victo: quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest. Turpis autem fuga mortis, omni est morte peior. Nam illud quidem non adducor ut credam, esse quosdam, qui invideant alicuius constantiae, qui labori, qui, eius perpetuam in republica adiuvanda voluntatem et a senatu et a populo romano probari, moleste ferant. Omnes id quidem facere debebamus; eaque erat non modo apud maiores nostros, sed etiam nuper summa laus consularium, vigilare, adesse animo, semper aliquid pro republica aut cogitare, aut facere, aut dicere. Ego Q. Scaevolam augurem memoria teneo, bello Marsico, quum esset summa senectute, et perdita valitudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem; neque eum quisquam illo bello vidit in lecto; senexque et debilis, primus veniebat in curiam. Huius industriam maxime quidem

Venditabant) Quum alii legatos iterum mittendos censerent, alii belli nomen repudiarent, ut Antonio rem gratam facerent. Ferr.

Etiam seducere) Clam alloqui. Vt *Fam.* I, 9, et *Orat.* I, 56.

Si maxime in discrimen venitur) Sic Faërn. emendavit vulgatam lectionem *nam si maximum in discrimen venietur.* Et *venitur* quidem dedit e cod. Vatic. *maxime* vero suo iudicio usus.

Exposita) *Proposita* cod. Vatic. quod praetulerunt Faërn. Muret. Gr.

Qui labori) Sic Faërn. Ern. e cod. Vatic. Vulgo olim *laboribus.*

Aut cogitare aut facere) Sic in cod. Vatic. quum vulgo legeretur *aut facere aut dicere.* Hac autem lectione recepta necesse erat *cogitare* vulgo post *vigilare* positum delere; quod viderunt Faërnus et Graevius.

vellem, ut imitarentur ii, quos oportebat; secundo autem loco, ne alterius labori inviderent.

XI. Etenim, Patres conscripti, quum in spem libertatis sexennio post simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quam captivi frugi et diligentes solent: quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores, liberandi populi romani causa, recusare debemus? Equidem, Patres conscripti, quamquam hoc honore usi, togati esse solent, quum est in sagis civitas, statui tamen, a vobis, ceterisque civibus, in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione reipublicae non differre vestitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, ut aequo animo populus romanus visurus sit nostri honoris insignia: quum partim e nobis ita timidi sint, ut omnem populi romani beneficiorum memoriam abiecerint; partim ita a republica aversi, ut huic se hosti favere prae se ferant: legatos nostros ab Antonio despectos esse et irrisos facile patiantur; legatum Antonii sublevatum velint. Hunc enim reditu ad Antonium prohiberi negabant oportere, et in eodem excipiendo sententiam meam corrigebant. Quibus geram morem. Redeat ad imperatorem suum Varius, sed ea lege, ne unquam Romam revertatur. Ceteris autem, si errorem suum deposuerint, et cum republica in gratiam redierint, veniam et impunitatem dandam puto.

Quas ob res ita censeo: Eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut ad A. Pansam, aut ad C. Hirtium, consulcs, aut ad Decimum

Sexennio post) Scil. quam eam Caesar oppresserat.

Captivi frugi) Faërn. e cod. Vat. *captivi servi frugi.*

Reipublicae) Sic e cod. Vat. Faërn. Graev. Ern. pro vulg. *populi romani.*

Hunc enim reditu) Recte sic Faërn. correxit e cod. Vatic. vulg. *huic enim reditum* eumque sequuti sunt Graev. Ern.

Brutum, imperatorem, consulem designatum, aut ad C. Caesarem pro praetore, ante Idus Martias primas adierint, iis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerunt. Si quis eorum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod honore praemiove dignum esse videatur; uti C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter ambove, si eis videbitur, de eius honore praemiove, primo quoque die ad senatum referant. Si quis post hoc senatusconsultum ad Antonium profectus fuerit, praeter L. Varium, senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse.

Idus Martias primas) *Primas* recte interpr. Ferrar. *proximas*; exemplisque compluribus hunc eius verbi usum confirmavit. Et *primas* olim in nonnullis omissum agnoscunt codd. Vatic. Pal. 2. Colon. Franc. alii.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA NONA

I.

Vellem, dii immortales fecissent, Patres conscripti, ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam honores mortuo quaereremus. Nec vero dubito, quin, si ille vir legationem renuntiare potuisset, reditus eius et nobis gratus fuerit, et reipublicae salutaris futurus: non quo L. Philippo et L. Pisoni aut studium aut cura defuerit in tanto officio tantoque munere; sed quum Ser. Sulpicius aetate illos anteiret, sapientia omnes, subito ereptus e causa, totam legationem orbam et debilitatam reliquit. Quod si cuiquam iustus honos habitus est in morte legato, in nullo iustior, quam in Ser. Sulpicio, reperietur. Ceteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitae periculum, sine ullo mortis metu profecti sunt: Ser. Sulpicius cum aliqua perveniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla revertendi. Qui quum ita affectus esset, ut, si ad gravem valitudinem labor viae accessisset, sibi ipse diffideret, non recusavit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicae ferre posset, experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas

Sapientia omnes) Sic Manut. Faërn. Lambin. e cod. Vatic. Olim erat *omni*, quod Graev. retinuit, vel *omnibus*.

viarum, non morbus ingravescens retardavit: quumque iam ad congressum colloquiumque eius pervenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita.

II. Vt igitur alia, sic hoc, C. Pansa, praeclare, quod nos ad honorandum Ser. Sulpicium cohortatus es, et ipse multa copiose de illius laude dixisti. Quibus a te dictis, nihil praeter sententiam dicerem, nisi P. Servilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuae nemini tribuendum censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem, Patres conscripti, sic interpretor sensisse maiores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quaerendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, eius monumentum exstare voluerunt, ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla maiorum quaerenda, sed consilium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explicandum. Lar Tolumnius, rex Veientium, quatuor legatos populi romani Fidenis interemit: quorum statuae in rostris steterunt usque ad nostram memoriam. Iustus honos. Iis enim maiores nostri, qui ob rempublicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octavii, clari et magni viri, qui primus in eam familiam, quae postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in rostris. Nemo tum novitati invidebat; nemo virtutem non ho-

Ad honorandum) Ita plerique codd. MSS. quod recte Ferrar. Faëro. Graev. Ern. praetulerunt alteri lectioni *ornandum.*

Ipsa morti fuisset) Sic optimi codd. Olim edebatur *ipsa mortis causa fuisset.*

Lar Tolumnius) Sic Vatic. Leid. et alii, unde iam Faërnus et alii edidere pro vulg. *Lartes*. Alii MSS. habent *Lars*, ut Guelf. quomodo et in Livio editum est in optimis edd. Gronov. et Drakenb. nec consentiunt viri docti, utrum omnino sit rectius. *Lartes* quidem vitiosum est. Significat autem hoc praenomen *dominum*, principem, fuitque commune omnibus regibus. Ern.

norabat. At ea fuit legatio Octavii, in qua periculi suspicio non subesset. Nam, quum esset missus a senatu ad animos regum perspiciendos liberorumque populorum, maximeque, ut nepotem Antiochi regis, eius, qui cum maioribus nostris bellum gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet: Laodiceae in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei tum a maioribus statua pro vita, quae multos per annos progeniem eius honestaret; nunc ad tantae familiae memoriam sola restat. Atqui et huic, et Tullo Cluvio, et L. Roscio, et Sp. Antio, et C. Fulcinio, qui a Veientium rege caesi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob rempublicam obita, honori fuit.

III. Itaque, Patres conscripti, si Ser. Sulpicio casus mortem attulisset, dolerem quidem tanto reipublicae vulnere; mortem vero eius non monumentis, sed luctu publico honorandam putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? Secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii, fidelissimae coniugis diligentia, vitare potuisset. At ille, quum videret, si vestrae auctoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui; si paruisset, munus sibi illud pro republica susceptum, vitae finem allaturum: maluit in maximo reipublicae discrimine mori, quam minus, quam potuisset, videri reipublicae profuisse. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi se et curandi potestas fuit. Aderat et hospitum invitatio liberalis pro dignitate summi viri, et eorum hortatio, qui una erant missi, ad requiescendum et vitae suae

Sola restat) Recte sic Ern. vulg. *restaret*.

Tullo Cluvio) Sic editum e cod. Vatic. Vulgo olim *Tullo Clivio*. Pighius malebat *L. Iulio*.

consulendum. At ille properans, festinans, mandata vestra conficere cupiens, in hac constantia, morbo adversante, perseveravit. Cuius quum adventu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quae sibi iussu vestro denuntiarentur, auctoritate erant et sententia Ser. Sulpicii constituta: declaravit, quam odisset senatum, quum auctorem senatus exstinctum laete atque insolenter tulit. Non igitur magis Octavium Leptines, nec Veientium rex, eos, quos modo nominavi, quam Ser. Sulpicium occidit Antonius. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, exstare, quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. Erit enim statua ipsa testis, bellum tam grave fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consequutus sit.

IV. Quod si excusationem Ser. Sulpicii, Patres conscripti, legationis obeundae recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo iniuriam fecimus, sarciamus. Vos enim, Patres conscripti (grave dictu est, sed dicendum tamen), vos, inquam, Ser. Sulpicium vita privastis: quem quum videretis re magis morbum, quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis, quid enim minus in hunc ordinem convenit? sed, quum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate et sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis; atque eum, qui semper vestrum consensum gravissimum iudicavisset, de sententia deiecistis.

Mandata vestra) Recte e MSS. Faërnus hic *vestra* et paulo post *iussu vestro* legendum censuit pro vulg. *nostra* et *iussu nostro*.

Re magis morbum) Optime sic e cod. Vatic. edidit Faërnus, probantibus Graevio et Ern. Vulgatum olim *se magis morbo — excusantem* non est latinum. *Re* vero Manut. bene interpr. *ipsa macie atque imbecillitate*.

Vt vero Pansae consulis accessit cohortatio gravior, quam aures Ser. Sulpicii ferre didicissent, tum vero denique filium, meque seduxit. Atque ita loquutus est, ut auctoritatem vestram vitae suae se diceret anteferre. Cuius nos virtutem admirati, non ausi sumus eius adversari voluntati. Movebatur singulari pietate filius; non multum eius perturbationi meus dolor concedebat: sed uterque nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisque gravitati; quum quidem ille, maxima laude et gratulatione omnium vestrum, pollicitus est, se, quod velletis, esse facturum, neque eius sententiae periculum vitaturum, cuius ipse auctor fuisset: quem exsequi mandata vestra properantem, mane postridie prosequuti sumus. Qui quidem discedens, mecum ita loquutus est, ut eius oratio omen fati videretur.

V. Reddite igitur, Patres conscripti, ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita. Perficite ut is, quem vos ad mortem misistis, immortalitatem habeat a vobis. Cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla eius legationem posteritatis inobscurabit oblivio. Nam reliqua Ser. Sulpicii vita multis erit praeclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata. Semper illius gravitatem, constantiam, fidem, praestantem in republica tuenda curam atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero silebitur admirabilis quaedam et incredibilis, ac paene divina eius in legibus interpretandis, aequitate explicanda, scientia. Omnes, ex omni aetate, qui hac in civitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sint comparandi. Neque

Quem vos ad mortem) Vulgo inserebatur *inscii*, quod Ernestio glossam sapere videbatur.

Inobscurabit) cod. Vatic. *obscurabit*.

enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit. Itaque quae proficiscebantur a legibus et a iure civili, semper ad facilitatem aequitatemque referebat; neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. Ergo hoc statuae monumento non eget: habet *illa* maiora. Haec enim statua mortis honestae testis erit; illa, memoria vitae gloriosae: ut hoc magis monumentum grati senatus, quam clari viri futurum sit. Multum etiam valuisse ad patris honorem pietas filii videbitur: qui quamquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si ille adesset. Est autem ita affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ille moeret patris. Equidem etiam ad famam Ser. Sulpicii filii arbitror pertinere, ut videatur honorem debitum patri praestitisse. Quamquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, filium: cuius luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio levari potest.

VI. Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, aenea statua futura, et ea pedestris, quam inaurata equestris: qualis est L. Sullae prima statua. Mirifice enim Ser. Sulpicius maiorum continentiam diligebat, huius seculi insolentiam vituperabat. Vt igitur si ipsum consulam, quid velit, sic pedestrem ex aere statuam, tanquam ex eius auctoritate et voluntate, decerno: quae quidem

Neque instituere) Sic a cod. Vatic. Faërn. Mur. Lamb. Manut. Ern. At Gruterus cum prioribus *constituere*.

Illa maiora) Bene sic correxit Ern. Vulg. *alia maiora*.

Pertinere) Ita e cod. Vatic. addiderunt Faërn. Murel. Lambin. Graev. Ern. Vulgo *attinere*, quod Gruterus servavit.

Mirifice) Sic recte editum e cod. Vatic. Multi olim *magnifice*.

magnum civium dolorem et desiderium honore monumenti minuet et leniet. Atque hanc meam sententiam, Patres conscripti, P. Servilii sententia probari necesse est: qui sepulcrum publice decernendum Ser. Sulpicio censuit, statuam non censuit. Nam si mors legati sine caede atque ferro nullum honorem desiderat: cur decernit honorem sepulturae, qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpicio, quod non est datum Cn. Octavio: cur, quod illi datum est, huic dandum esse non censet? Maiores quidem nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis. Sed statuae intereunt tempestate, vi, vetustate; sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest. Atque, ut cetera exstinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate. Augeatur igitur isto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest; grati simus in eius morte decoranda, cui nullam iam aliam gratiam referre possumus. Notetur etiam M. Antonii, nefarium bellum gerentis, scelerata audacia. His enim honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatae reiectaeque legationis ab Antonio manebit testificatio sempiterna.

VII. Quas ob res ita censeo: Quum Ser. Sulpicius, Q. F., Lemonia, Rufus, difficillimo reipublicae tempore, gravi periculosoque morbo affectus, auctoritatem senatus, salutemque reipublicae vitae suae praeposuerit, contraque vim gravitatemque morbi contenderit, ut ad castra Antonii, quo senatus eum miserat, perveniret; isque, quum iam prope castra venisset, vi morbi oppressus, vitam amiserit in maximo reipublicae munere; eiusque mors consentanea vitae fue-

Lemonia) Pro, ex Lemonia tribu.

rit, sanctissime honestissimeque actae, in qua saepe magno usui reipublicae Ser. Sulpicius, et privatus, et in magistratibus, fuerit: * Senatui placere, Ser. Sulpicio statuam pedestrem aeneam in rostris ex huius ordinis sententia statui, circumque eam statuam locum gladiatoribus liberos posterosque eius quoquo versus pedes quinque habere, quod is ob rempublicam mortem obierit, eamque causam in basi inscribi; utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter ambove, si eis videatur, quaestoribus urbanis imperent, ut eam basim statuamque faciendam et in rostris statuendam locent; quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam solvendamque curent. Quumque antea senatus auctoritatem suam in virorum fortium funeribus ornamentisque ostenderit, placere, cum quam amplissime supremo die suo efferri. Et, quum Ser. Sulpicius, Q. F., Lemonia, Rufus, ita de republica meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatum censere, atque e republica existimare, aediles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii, Q. F., Lemonia, Rufi, funeri remittere; utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo alio in loco videatur, pedes triginta quoquo versus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur. Quod sepulcrum, ipsius, liberorum, posterorumque eius sit, uti quod optimo iure sepulcrum publice datum est.

Et in magistratibus, fuerit) Verba hic vulgo inserta *quum talis vir ob rempublicam in legatione mortem obierit*, quae nihil habent nisi inficetam eorum quae dicta erant repetitionem, delevi.

Locum gladiatoribus) Vulg. additur *ludisque* quod recte suspectum habuit Ernestius.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA DECIMA

I.

Maximas tibi, Pansa, gratias, omnes et habere et agere debemus, qui, quum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur, ut M. Bruti, praestantissimi civis, literas accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum maximo gaudio et gratulatione frueremur. Quum factum tuum gratum omnibus debet esse, tum vero oratio, qua, recitatis literis, usus es. Declarasti enim, verum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius, qui suae confideret, virtuti invidere. Itaque mihi, qui plurimis officiis sum cum Bruto, et maxima familiaritate coniunctus, minus multa de illo dicenda sunt. Quas enim mihi ipse partes sumpseram, eas praecepit oratio tua. Sed mihi, Patres conscripti, necessitatem attulit paulo plura dicendi, sententia eius, qui rogatus est ante me: a quo ita saepe dissentio, ut iam verear, ne, id quod minime fieri debet, minuere amicitiam nostram videatur perpetua dissensio.

Quod ego semper sensi) *Semper* in codd. MSS. fere omissum abesse tamen salva sententia non posse viderunt Graev. Ern.

Quas enim mihi ipse partes sumpseram) MSS. Ferrarii et Gruteri *quas enim sententias mihi ipse sumpseram*; quod illis sine causa placuit.

Eas praecepit) Hoc recte Graev. Ern. e cod. Vatic. receperunt pro vulg. *praeoccupavit.*

II. Quae est enim ista tua ratio, Calene? quae mens? qui nunquam post Kalendas Ian. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? Cur nunquam tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam sequutus sit? cur semper tui dissimiles defendis? cur, quum te et vita et fortuna tua ad otium et ad dignitatem invitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quae sunt inimica et otio communi et dignitati tuae? Nam, ut superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. Quod est tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes paene venerari debemus, solus oppugnas? Alterum circumsederi non moleste fers, alterum tua sententia spolias iis copiis, quas ipse suo labore et periculo ad reipublicae, non ad suum praesidium, per se, nullo adiuvante, confecit? Quis est iste tuus sensus, quae cogitatio? Brutos tu non probes, Antonios probes? quos omnes carissimos habent, tu oderis? quos acerbissime omnes oderunt, tu constantissime diligas? Amplissimae tibi

Primum rogat?) Sic cod. Vatic. Guelf. Male lectionem *primus* antetulerunt Vrsinus et Graevius. Pansa enim consul *socerum* suum Calenum honoris causa *primum* solebat sententiam rogare, si consules designati non adessent.

Tuam sententiam sequutus sit?) Hanc lectionem frustra sollicitavit Ernestius. Sensus est: *quamvis frequentissimus senatus fuerit, tamen ne unus quidem sententiam tuam sequutus est.* Simile illud Terentianum: *Numquam tam mane egredior — quin* etc. Heaut. I, 1, 15. Nimirum si infrequens senatus est, fieri facile potest, ut alicuius sententia neminem habeat assentientem. Idem tamen in magna senatorum frequentia vix accidere potest, nisi quis sententiam dixerit prorsus odiosam et ab omnium sensu abhorrentem. Ceterum Graevius e MS. suo dedit *quum nunquam tam frequens senatus fuerit, quum unus aliquis tuam sententiam sequutus sit.* Faërnus: *nunquam tam frequens senatus fuerit quo unus aliquis sententiam tuam sequutus sit.* Ernestius locum ita putabat constituendum: *quum nunquam, quum tam frequens senatus fuerit, unus aliquis tuam sententiam sequutus sit.*

Quod mihi maximam admirationem movet) *Quod me maxima admiratione movet* codd. Ferrar. Hittop. Pal. 2, Gualf.

Brutos tu non probes) Sic Ern. correxit sine libris. Vulgo: *quis — quae cogitatio; Brutus ut non probes.*

fortunae sunt, summus honoris gradus, filius, ut et audio et spero, natus ad laudem: cui quum reipublicae causa faveo, tum etiam tua. Quaero igitur eum Brutine similem malis, an Antonii? Ac permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem velis. Dii meliora, inquies. Cur igitur non eis faves, quos laudas, quorum similem filium tuum esse vis? Simul enim reipublicae consules, et propones illi exempla ad imitandum. Hoc vero, Q. Fufi, cupio, sine offensione nostrae amicitiae, sic tecum, ut a te dissentiens senator, queri. Ita enim dixisti, et quidem de scripto (nam te inopia verbi lapsum putarem, nisi tuam in dicendo facultatem nossem): literas Bruti recte et ordine scriptas videri. Quid est aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum? Vsum in republica, Calene, magnum iam habere et debes et potes. Quando ita decerni vidisti? aut quo senatusconsulto huius generis (sunt enim innumerabilia) bene scriptas literas decretum a senatu? Quod verbum tibi non excidit, ut saepe fit, fortuitu: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti. Hanc tibi consuetudinem plerisque in rebus bonis obtrectandi si quis detraxerit: quid tibi, quod sibi quisque velit, non relinquetur? Quamobrem collige te, placaque animum istum aliquando et mitiga; audi viros bonos, quibus uteris multum; loquere cum sapientissimo homine, genero tuo, saepius, quam ipse tecum: tum denique amplissimi honoris nomen

Quid est aliud) In edd. pr. nonnullis erat *quid est aliud quam l. Br.* Particulam *quam* quae recte abest cod. Vatic. deleverunt Ferrar. Lambin. etc.

Aut quo senatusconsulto) Hoc a recentioribus receptum a cod. Vatic. Olim edebatur: *aut quod senatusconsultum huius generis!* quod quidem facile se tueretur, si postea sic legeretur: « *Bene scriptas literas!* » *Quod verbum* etc.

Quod sibi quisque velit, non relinquetur?) Recte hoc e cod. Vatic. inde a Faërno substitutum pro *qui tibi velit obtrectare non relinquetur.*

Quibus uteris multum) Manut. et Lamb. *quibus uteris multis.*

Amplissimi honoris nomen) i. e.

obtinebis. An vero hoc pro nihilo putas (in quo equidem pro amicitia tuam vicem dolere soleo) efferri hoc foras, et ad populi romani aures pervenire, ei qui primus sententiam dixerit, neminem assensum? quod etiam hodie futurum arbitror.

III. Legiones abducis a Bruto. Quas? nempe eas, quas ille ab Antonii scelere avertit, et ad rempublicam sua auctoritate traduxit. Rursus igitur vis nudatum illum atque solum a republica relegatum videri. Vos autem, Patres conscripti, si M. Brutum deserueritis et prodideritis, quem tandem civem unquam ornabitis? cui favebitis? Nisi forte eos, qui diadema imposuerint, conservandos; eos, qui regni nomen sustulerint, deserendos putatis. Ac de hac quidem divina atque immortali laude M. Bruti silebo: quae gratissima memoria omnium civium inclusa, nondum publica auctoritate testata est. Tantamne patientiam, dii boni! tantam moderationem, tantam in iniuria tranquillitatem et modestiam? Qui quum praetor urbanus esset, urbe caruit; ius non dixit, quum omne ius populi romani recuperasset; quumque concursu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri solebat, praesidioque Italiae cunctae septus posset esse, absens iudicio bonorum defensus esse maluit, quam praesens manu: qui ne Apollinares quidem ludos, pro sua populique romani dignitate apparatos, prae-

viri consularis, consulatus gesti A. V. 707. Ern.

A Bruto) Quia sine S. C. eas comparasset. Man.

Ab Antonii) *A C. Antonii* Faërn. a coniectura.

Regni nomen) Sic cod. Vatic. et Nonius Marcellus in *sustulit*. Recte. Vulgo olim *regis*.

Publica auctoritate testata est) Videri posset hic aliquid intercidisse. Sed si integrum habemus hunc locum, transitus paulo abruptior sic cogitatione erit explendus, ut *tantamne patientiam* proxime referatur ad id, quod Bruti laudibus adhuc publica auctoritas defuerat.

Apollinares quidem ludos) Qui ad curam praetoris urbani pertinebant. Philipp. II, cap. 13. Man.

sens fecit, ne quam viam patefaceret sceleratissimorum hominum audaciae. Quamquam, qui unquam alii ludi laetiores fuerunt? In singulis versibus populus romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur; corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat; in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis, Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace et concordia civium cogitantem. Eundem vidi postea Veliae, cedentem Italia, ne qua oriretur belli civilis causa propter se. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis et litoribus luctuosum! Cedere e patria servatorem eius, manere in patria perditores! Cassii classis paucis post diebus consequebatur: ut me puderet, Patres conscripti, in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed, quo consilio redierim, initio audistis, post estis experti. Exspectatum igitur tempus a Bruto est. Nam quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia. Posteaquam vos ad libertatem sensit erectos, praesidia vestrae libertati paravit.

IV. At cui pesti, quantaeque restitit! Si enim C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset (potuisset autem, nisi eius sceleri virtus M. Bruti obstitisset), Macedoniam, Illyricum, Graeciam perdidissemus; esset, vel receptaculum pulso Antonio, vel agger oppugnandae Italiae, Graecia; quae quidem

Quamquam — In singulis versibus) Vulgo edebatur *quamquam qui unquam aut ludi aut dies laetiores fuerunt, quam quum in singulis versibus* etc. Faërnus malebat *fuerunt quam tum? In singulis* etc. Graevius probabat lectionem sui codicis *qui unquam alii ludi.* Ceterum aptius esset ad sententiam *qui unquam alii ludi editori clariores fuerunt.*

Perditores!) Ita cod. Vatic. aliique plures, [melius,] quam ut in aliis *proditores.* In edit. Mediol. est *perditorem* sc. Antonium.

Abirent) Ernestius coni. *abissent.*

nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis non instructa solum, sed etiam ornata, tendit dexteram Italiae, suumque ei praesidium pollicetur. Quod qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum et praesidium firmissimum adimit reipublicae. Equidem cupio, haec quamprimum Antonium audire, ut intelligat, non D. Brutum, quem vallo circumsedet, sed se ipsum obsideri. Tria tenet oppida toto in orbe terrarum; habet inimicissimam Galliam; eos etiam, quibus confidebat, alienissimos, Transpadanos; Italia omnis infesta est; exterae nationes a prima ora Graeciae usque ad Aegyptum, optimorum et fortissimorum civium imperiis et praesidiis tenentur. Erat ei spes una in C. Antonio: qui duorum fratrum aetatibus medius interiectus, vitiis cum utroque certabat; qui, tanquam extruderetur a senatu in Macedoniam, et non contra prohiberetur proficisci, ita cucurrit.

V. Quae tempestas, dii immortales! quae flamma, quae vastitas, quae pestis Graeciae fuisset, nisi incredibilis ac divina virtus furentis hominis conatum atque audaciam compressisset? Quae celeritas illa Bruti? quae cura? quae virtus? Etsi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est, quem nisi in via caducae hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse

Quod) Faërnus pro *quod* legendum opinabatur *quare*. Sed nihil opus.

Tria tenet oppida) Tenebat Bononiam, Regium Lepidi, Parmam. Id cognoscitur ex ep. ad Cassium, Fam. XII, 5. Man.

A prima ora Graeciae) In cod. Vatic. teste Mureto *a primo ore Graeciae* quod ille vulgatu praeferebat.

Ac divina virtus) Sic codd. Ferrarii, Pal. 2. At edd. nonnullae olim *virtus Caesaris*; male Lambinus edidit *virtus M. Bruti Caepionis*. Sed optimum est *virtus* hic absque nomine poni, quum Bruti nomen statim sequatur in verbis *quae celeritas illa Bruti?*

Caducae hereditates) Quas occupavit, tanquam ad eum pertinerent. Caducae autem hereditates dicebantur, quum heres non exstabat. Quod quum accideret, ad fiscum devolvebantur. Man.

diceres. Alios ad negotium publicum ire quum cupimus, vix solemus extrudere: hunc retinentes extrusimus. At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrhachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinii imperatoris exercitu? Succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. Certi fines Macedoniae, certa conditio, certus, si modo erat ullus, exercitus: cum Illyrico vero, et cum Vatinii legionibus, quid erat Antonio? At ne Bruto quidem. Id enim fortasse quispiam improbus dixerit. Omnes legiones, omnes copiae, quae ubique sunt, populi romani sunt. Neque hae legiones, quae M. Antonium reliquerunt, Antonii potius, quam reipublicae fuisse dicentur. Omne enim exercitus et imperii ius amittit is, qui eo imperio et exercitu rempublicam oppugnat.

VI. Quod si ipsa respublica iudicaret, aut si omne ius decretis eius statueretur, Antonione, an Bruto legiones populi romani adiudicaret? Alter advolarat subito ad direptionem pestemque sociorum, ut, quacumque iret, omnia vastaret, diriperet, auferret; exercitu populi romani contra ipsum populum romanum uteretur. Alter eam sibi legem statuerat, ut, quocumque venisset, lux venisse quaedam, et spes salutis videretur. Denique alter ad evertendam rempublicam praesidia quaerebat, alter ad conservandam. Nec vero nos hoc magis videbamus, quam ipsi mili-

Alios ad negotium) Sensus est: alii, quos volumus cito ire in provinciam, quas possunt moras interponunt: ille ita festinavit, quasi vi, aut precibus coactus. FERR.

Hunc retinentes extrusimus) Dicit *extrusimus*, quia vis illa, qua utebantur in retinendo, valuit apud ipsum ad exeundum. Lectio haec est e Vatic. Alii scr. et edd. *exclusimus*, quod nihili est. ERN.

Apollonia?) Et Apollonia, et Dyrrhachium erant in Macedonia, quam regebat Q. Hortensius; Illyrico autem Vatinius praeerat. MAN.

Certus, si modo erat ullus, exercitus) Sic e Vatic. editum a Faërno etc. Vulgo olim *certus etiam erat illius exercitus*.

tes; a quibus tanta in iudicando prudentia non erat postulanda. Cum VII cohortibus isse Apolloniam scribit Antonium, qui iam aut captus est (quod dii dent!) aut certe homo verecundus in Macedoniam non accedit, ne contra senatusconsultum fecisse videatur. Delectus habitus in Macedonia est summo Q. Hortensii studio et industria: cuius animum egregium, dignumque et ipso et maioribus eius, ex Bruti literis perspicere potuistis. Legio, quam L. Piso ducebat, legatus Antonii, Ciceroni se filio meo tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum, a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens summa virtute et constantia ab legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui et antea iure laudatus a nobis, et hoc tempore merito laudandus est, aperuit Dyrrhachii portas Bruto, et exercitum tradidit. Tenet igitur populus romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Graeciam; nostrae sunt legiones, nostra levis armatura, noster equitatus, maximeque noster est Brutus, semperque noster, quum sua excellentissima virtute reipublicae natus, tum fato quodam paterni maternique generis et nominis. Ab hoc igitur quisquam bellum timet, qui, antequam nos id coacti suscepimus, in pace iacere, quam in bello vigere maluit? quamquam ille quidem

Isse Apolloniam) In cod. Vatic. *esse Apolloniae*.

Se filio meo tradidit) Quem Brutus Athenis secum abduxit, eoque legato usus est. Plutarchus in Bruto. MAN.

Alter eum) *Quaestorem* e cod. Vat. additum Ernestius glossatori tribuit; certe si admittatur deleri vult *eum*.

Tuetur) Hic quoque *tenet* MS. Huydecop.

Paterni, maternique generis et nominis) Paterni, a L. Bruto, qui reges eiecit: materni, a Servilio Ahala, qui regnum appetentam Sp. Melium sua manu interfecit. MAN.

In pace iacere) Quum Antii, Lanuvii, Veliae moraretur. ID.

nunquam iacuit, nec hoc cadere verbum in tantam virtutis praestantiam potest. Erat enim in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. Tantum autem aberat a bello, ut, quum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium studiis potius, quam eos in armorum discrimen adduceret. Itaque illi ipsi, si qui sunt, qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen iidem moderationem patientiamque mirantur.

VII. Sed iam video, quid loquantur. Neque enim id occulte faciunt. Timere se dicunt, quomodo ferant veterani, exercitum Brutum habere. Quasi vero quidquam intersit inter A. Hirtii, C. Pansae, D. Bruti, C. Caesaris, et hunc exercitum M. Bruti. Nam si quatuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi romani libertate arma ceperunt: quid est, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem causa ponatur? At enim veteranis suspectum est nomen M. Bruti. Magisne quam Decimi? Equidem non arbitror. Etsi est enim Brutorum commune factum, et laudis societas aequa: D. tamen Bruto iratiores sunt hi, qui id factum dolebant, quo minus ab eo rem illam dicebant fieri debuisse. Quid ergo nunc agunt tot exercitus, nisi ut obsidione D. Brutus liberetur? Qui autem hos exercitus ducunt? Hi, credo, qui C. Caesaris res actas everti, qui causam veteranorum prodi volunt.

Ponatur?) Sic cod. Vatic. Vulgo *reponatur.*

Rem illam dicebant fieri debuisse) Iuire Decimum consilia de Caesaris nece eo minus dicebant debuisse, quia Caesar in eum summa beneficia contulisset, quem etiam scripsit in secundis heredibus. Suetonius. MAN.

Hi credo) Minime ii quidem, qui acta Caesaris everti velint: quae M. Antonius, quantum in ipso fuit, suis legibus evertit. ID.

Causam veteranorum prodi) Spem fallere veteranorum, qui confirmationem agrorum, quos eis Caesar pater assignaverat, a senatu exspectabant. ID.

VIII. Si ipse viveret C. Caesar, acrius, credo, acta sua defenderet, quam vir fortissimus defendit Hirtius; aut amicior causae quisquam potest inveniri, quam filius? At horum alter, nondum ex longinquitate gravissimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicavit se a morte revocatum: alter virtutis robore firmior, quam aetatis, cum istis ipsis veteranis ad D. Brutum liberandum est profectus. Igitur illi certissimi, iidemque acerrimi Caesaris actorum patroni, pro D. Bruti salute bellum gerunt: quos veterani sequuntur. De libertate enim populi romani, non de suis commodis, armis decernendum vident. Quid est igitur, cur iis, qui D. Brutum omnibus opibus conservatum velint, M. Bruti sit suspectus exercitus? An vero, si quid esset, quod a M. Bruto timendum videretur, Pansa id non videret? aut, si videret, non laboraret? Quis aut sapientior ad coniecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior? Atqui huius animum erga M. Brutum, studiumque vidistis. Praecepit oratione sua, quid decernere nos de Bruto, quid sentire oporteret; tantumque abfuit, ut periculosum reipublicae M. Bruti putaret exercitum, ut in eo firmissimum reipublicae praesidium et gravissimum poneret. Scilicet hoc Pansa aut non videt (hebeti enim ingenio est) aut negligit. Quae enim Caesar egit, ea rata esse non curat: de quibus confirmandis et sanciendis legem comitiis centuriatis ex auctoritate nostra laturus est.

Alter) Caesar Octavianus.

Sapientior) Lambino placebat *acutior*, Graevio *sollertior*.

Laturus est) Ex S. C. quod factum fuerat in aede Telluris biduo post Caesaris mortem, de illius actis confirmandis. FERR.

IX. Desinant igitur, aut ii, qui non timent, simulare, se timere, se prospicere reipublicae; aut ii, qui omnia verentur, nimium esse timidi; ne illorum simulatio, horum obsit ignavia. Quae (malum!) est ista ratio, semper optimis causis veteranorum nomen opponere? quorum etiamsi amplecterer virtutem, ut facio: tamen, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. An nos conantes servitutis vincula rumpere, impediet, si quis veteranos id nolle dixerit? Non sunt enim, credo, innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant. Nemo est praeter veteranos milites, qui ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitetur. Potest igitur stare respublica, freta veteranis, sine magno subsidio iuventutis? Quos quidem vos libertatis adiutores complecti debetis, servitutis auctores sequi non debetis. Postremo (erumpat enim aliquando vera et me digna vox) si veteranorum nutu mentes huius ordinis gubernabuntur, omniaque ad eorum voluntatem nostra dicta, facta referentur: optanda mors est, quae civibus romanis semper fuit servitute potior. Omnis est misera servitus; sed fuerit quaedam necessaria: ecquodnam principium putatis libertatis capessendae? An, quum illum necessarium et fatalem paene casum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? Tota Italia desiderio libertatis exarsit; servire diutius non potest civitas; serius populo romano hunc vestitum atque arma dedimus, quam ab eo flagitati sumus.

X. Magna nos quidem spe, et prope explorata, libertatis causam suscepimus. Sed, ut concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem: tamen

Referentur) Sic Ern. e MSS. Gruteri et Guelf. Vulgo *gubernantur — referuntur.*

pro libertate vitae periculo decertandum est. Non enim in spiritu vita est, sed ea nulla est omnino servienti. Omnes nationes servitutem ferre possunt; nostra civitas non potest: nec ullam aliam ob causam, nisi quod illae laborem doloremque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti possunt: nos ita a maioribus instituti atque imbuti sumus, ut omnia consilia atque facta ad virtutem et ad dignitatem referamus. Ita praeclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Quod si immortalitas consequeretur praesentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior servitus esset. Quum vero dies et noctes omnia nos undique fata circumstent, non est viri, minimeque Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturae debeat, patriae reddere. Concurritur undique ad commune incendium restinguendum. Veterani primi Caesaris auctoritatem sequuti, conatum Antonii repulerunt; post eiusdem furorem Martia legio fregit; quarta afflixit. Sic a suis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam sibi armis animisque infestam inimicamque cognovit. Hunc A. Hirtii, C. Caesaris exercitus insequuti sunt; post Pansae delectus urbem, totamque Italiam erexit. Vnus omnium est hostis. Quamquam habet secum L. fratrem, carissimum populo romano civem: cuius desiderium civitas ferre diutius non potest. Quid illa tetrius bellua? quid immanius? qui ob eam causam natus videtur, ne omnium mortalium turpissimus esset M. Antonius. Est una Trebellius, qui iam cum tabulis novis redit in gra-

Decertandum) *Decernendum* edd. pr. et Muret.

Ad virtutem et ad dignitatem) Cod. Vatic. *ad dignitatem et ad virtutem.*

Quem naturae debeat) Sic Faërn. Graev. Ern. e cod. Vatic. Vulgo *quem naturae quis debeat.*

tiam; T. Plancus, ceteri pares; qui id pugnant, id agunt, ut contra rempublicam restituti esse videantur. Sollicitant homines imperitos Saxae et Caphones, ipsi rustici atque agrestes, qui hanc rempublicam nec viderunt unquam, nec videre constitutam volunt; qui non Caesaris, sed Antonii acta defendunt; quos avertit agri Campani infinita possessio; cuius eos non pudere miror, quum videant, se mimos et mimas habere vicinos.

XI. Ad has pestes opprimendas, quid est cur moleste feramus, quod M. Bruti accessit exercitus? Immoderati, credo, hominis et turbulenti: vide, ne nimium paene patientis. Etsi in illius viri consiliis atque factis nihil nec nimium, nec parum fuit unquam. Omnis voluntas M. Bruti, Patres conscripti, omnis cogitatio, tota mens, auctoritatem senatus, libertatem populi romani intuetur: haec habet proposita, haec tueri vult. Tentavit, quid patientia proficere posset. Nihil quum proficeret, vi contra vim experiendum putavit. Cui quidem, Patres conscripti, vos idem tribuere hoc tempore debetis, quod a. d. XIII kalend. Ian. D. Bruto et C. Caesari, me auctore, tribuistis: quorum privatum de republica consilium et factum auctoritate vestra est comprobatum atque laudatum. Quod idem in M. Bruto facere debetis, a quo insperatum et repentinum reipublicae praesidium legionum, equitatus, auxiliorum magnae et firmae copiae comparatae sunt; adiungendusque est Q. Hortensius, qui, quum Macedoniam obtineret, adiutorem se Bruto ad comparandum exercitum, fidelissimum et constantis-

Miror) Faërn. et Graev. e cod. Vatic. *demiror*.

Vide, ne) Faërnus correxit *videte ne*, quod necesse haud fuisse bene monuit Ern.

Proficere) MSS. nonnulli minus bene *perficere*.

Obtineret) Ita Faërn. Graev. Ern. e MSS. Recte. Antea vulgabatur *obtineat*.

simum praebuit. Nam de M. Apuleio separatim censeo referendum: cui testis est per literas Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi. Quae quum ita sint, quod C. Pansa, consul, verba fecit de literis, quae a Q. Caepione Bruto, proconsule, allatae, et huic ordini recitatae sunt, de ea re ita censeo: Quum Q. Caepionis Bruti, proconsulis, opera, consilio, industria, virtute, difficillimo reipublicae tempore provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Graecia, legiones, exercitus, equitatus, in consulum, senatus populique romani potestate sint; id Q. Caepionem Brutum, proconsulem, bene, et e republica, et sua maiorumque suorum dignitate, consuetudineque reipublicae bene gerendae fecisse, eamque rem senatui populoque romano gratam esse et fore: utique Q. Caepio Brutus, proconsul, provinciam Macedoniam, Illyricum, totamque Graeciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemque conservet; eique exercitui, quem ipse constituit, comparavit, praesit; pecuniaque ad rem militarem, si qua opus sit, quae publica sit, et exigi possit, utatur, exigat; pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum imperet, operamque det, ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit. Quumque ex literis Q. Caepionis Bruti, proconsulis, intellectum sit, Q. Hortensii, proconsulis, opera et virtute vehementer rempublicam adiutam, omniaque eius consilia cum consiliis Q. Caepionis Bruti, proconsulis, coniuncta fuisse, eamque rem magno usui reipublicae fuisse: Q. Hortensium proconsulem recte, et ordine, exque republica fecisse; senatuique placere, Q. Hortensium, proconsulem, cum quaestoribus, prove quaestoribus, et legatis suis provinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex senatusconsulto successum sit.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA VNDECIMA

I.

Magno in dolore sum, Patres conscripti, vel moerore potius, quem ex crudeli et miserabili morte C. Trebonii, optimi civis, moderatissimique hominis, accepimus, inest tamen aliquid, quod reipublicae profuturum putem. Perspeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas. Nam duo haec capita nata sunt post homines natos teterrima et spurcissima, Dolabella et Antonius: quorum alter effecit, quod optabat; de altero patefactum est, quid cogitaret. L. Cinna crudelis; C. Marius in iracundia perseverans; L. Sulla vehemens; neque ullius horum in ulciscendo acerbitas

Magno in dolore) Licet uliquando praeceperit, deliberativis orationibus principia esse debere saepe nulla, lamen hac in causa censuit exordium praetexendum, ad animos auditorum inflammandos odio in Antonium et Dolabellam, exaggerato scelere alterius, cum deploratione mortis C. Trebonii. Dvc.

Quorum alter effecit, quod optabat) Dolabella Asiam occupavit, quod maxime optabat efficere. *De altero patefactum est, quid cogitaret.* Patefacta sunt Antonii consilia invadendae contra senatus voluntatem atque auctoritatem Galliae. In.

Acerbitas progressa ultra mortem est) In contentione facinorum satis est oratori, si id quod exaggerat, in aliqua parte gravius esse demonstret. Nam ea pars sola ostenditur. Strages in civilibus bellis editae, ut numero, et aliis pluribus adiunctis hanc superant sane; hac tamen parte superantur, quod ultra mortem progressae non sunt. Truculentior multo Dolabella. Quod exponitur, cap. 2. In.

progressa ultra mortem est. Quae tamen poena in cives nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminum in scelere par, invisitatum, inauditum, ferum, barbarum. Itaque quorum summum quondam inter ipsos odium bellumque meministis, eosdem postea singulari inter se consensu et amore devinxit impurissimae naturae et turpissimae vitae similitudo. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. Sed ille quum procul abesset a consulibus exercitibusque nostris, neque dum, senatum cum populo romano conspirasse, sensisset, fretus Antonii copiis, ea scelera suscepit, quae Romae iam suscepta arbitrabatur a socio furoris sui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare censetis, aut quam omnino causam esse belli? Omnes, qui libere de republica sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum romanum liberum esse voluimus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostes; maiora tamen in nos, quam in hostem, supplicia meditatur: mortem naturae poenam putat esse; iracundiae, tormenta [1] atque cruciatum. Qualis igitur hostis habendus est is, a quo victore si cruciatus absit, mors in beneficii parte numeretur?

II. Quamobrem, Patres conscripti, quamquam hortatore non egetis (ipsi enim vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandae cupiditatem), tamen eo maiore animo studioque libertatem defendite, quo maiora proposita victis supplicia servitutis videtis. In Galliam invasit Antonius, in Asiam Dolabella; in

Invisitatum) Recte sic Ern. Graev. Vulgo *inusitatum*.

Conspirasse) Ern. malebat *conspirare*.

Non inimicos, sed hostes) Distinguit hic inimicum ab hoste; in hoc enim est aliquid longe gravius. Inter cives potest esse inimicitia, hostile odium esse non potest. Dvc.

(1) Schützius, obsequutus Faërno, Manut. Lamb., expunxit *poenam*: Vulgata magis perspicua. Typ.

alienam uterque provinciam. Alteri se Brutus obiecit, impetumque furentis, atque omnia divexare et diripere cupientis, vitae suae periculo colligavit, progressu arcuit, a reditu refrenavit: obsideri se passus ex utraque parte constrinxit Antonium. Alter in Asiam irrupit. Cur? si ut in Syriam, patebat via certa, neque longa. Quid opus fuit cum legione? praemisso Marso nescio quo Octavio, scelerato latrone atque egente, qui popularetur agros, vexaret urbes, non ad spem constituendae rei familiaris, quam tenere eum posse negant qui norunt (mihi enim hic senator ignotus est), sed ad praesentem pastum mendicitatis suae. Consequutus est Dolabella, nulla suspicione belli: quis enim id putaret? Sequutae collocutiones familiarissimae cum Trebonio; complexusque, summae benivolentiae indices, exstiterunt in amore simulato; dextrae, quae fidei testes esse solebant, perfidia sunt et scelere violatae; nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem, quae est fidelissimorum antiquissimorumque sociorum; oppressus Trebonius: si ut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus; si ut ab eo, qui civis etiam tum speciem haberet, miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. Consularem hominem, consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, Samiario exsuli tradidit: interficere captum

Cur? si ut in Syriam, patebat) Ita Faërn. e vestigiis cod. Vatic. quod receperunt Lamb. Graev. Vulgo *alter in Asiam irrupit cursim cui in Syriam patebat* etc. Graevius malebat *alter in Asiam irrupit. Cursus in Syriam patebat* etc.

Ad praesentem pastum mendicitatis suae) Vt haberet homo inops ac famelicus quo latrantem stomachum leniret. Hoc est, quod vulgo aiunt, ut haberet panem. Dvc.

Complexusque s. b. indices) Ita Faërnus edendum putavit. Vulgo *complexusque summae benivolentiae, falsi indices.*

Dextrae — et scelere violatae) Faërnus malebat *dextraeque fidei testes sunt perfidia et scelere violatae.*

statim noluit, ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur. Quum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae, idque per biduum. Post cervicibus fractis caput abscidit, idque fixum gestari iussit in pilo; reliquum corpus tractum atque laniatum abiecit in mare. Cum hoc bellandum hoste est; a cuius teterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de caede civium romanorum? de direptione fanorum? quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex, nos alio bello distineri putat. Quasi vero non unum idemque bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium.

III. Imaginem M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis; ex hoc illa efficta est; ab hoc illa Dolabellae scelerum praecepta sunt tradita. Num leniorem, quam in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? Mihi quidem et ille pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia, neque Antonius ullius supplicii adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem esse relicturus. Ponite igitur ante oculos, Patres conscripti, miseram illam quidem et flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam: nocturnum impetum in urbem Asiae clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, quum miser ille prius latronum gladios videret, quam, quae res esset, audisset; fu-

Caput abscidit) Ita Faërn. et Graev. e cod. Vatic. Vulgo *a cervicibus caput abscidit.*

Idque fixum) Iidem e cod. Vatic. delerunt *affixum.*

Ex hoc illa efficta) Sic MS. cod. Vatic. idque recte ediderunt Faërn. Man. Lamb. Graev. Ern. Olim *effecta*, quod male Grulerus reliquit.

Esse relicturus) *Esse* quod pendet a *videtur*, recte e cod. Vatic. receperunt Muret. Graev. Ern. Vulgo *est.*

rentis introitum Dolabellae, vocem impuram, atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem tortoremque Samiarium. Quae tulisse illum fortiter et patienter ferunt. Magna laus, meoque iudicio omnium maxima. Est enim sapientis, quidquid homini accidere possit, id, praemeditari, ferendum modice esse. * Maioris omnino est consilii, providere, ne quid tale accidat; sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit.

IV. Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quamquam eius nunquam particeps fuit, ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivo, sed etiam in mortuo; atque in eius corpore lacerando atque vexando, quum animum satiare non posset, oculos paverit suos. O multo miserior Dolabella, quam ille, quem tu miserrimum esse voluisti! Dolores Trebonius pertulit magnos; multi, ex morbi gravitate maiores; quos tamen non miseros, sed laboriosos dicere solemus. Longus fuit dolor bidui: at compluribus annorum saepe multorum. Nec vero graviora sunt carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta morborum. Alia sunt, alia, inquam, o perditissimi homines et amentissimi, multo miseriora. Nam, quo maior vis est animi, quam corporis, hoc sunt graviora ea, quae concipiuntur animo, quam illa, quae corpore. Miserior igitur, qui suscipit in se scelus, quam is, qui alterius facinus subire cogitur. Cruciatus est a Dolabella Trebonius; et quidem a Carthaginiensibus Regulus. In qua re quum crude-

* *Ferendum modice esse*) Vulgo addebatur *si evenerit*, quod optimo iure Ern. uncis inclusit. Est enim e sequentibus temere huc tractum.

Particeps fuit) Bene sic Ern. e MS. Vulgo *fuerit*.

Et quidem) Ern. e cod. Haydec. addidit *et*. Sed eo nihil opus.

In qua re) Faërnus maluit *quare*.

lissimi Poeni iudicati sint in hoste, quid in cive Dolabella iudicandus? An vero hoc conferendum est? aut dubitandum, uter miserior? isne, cuius mortem senatus populusque romanus ulcisci cupit; an is, qui cunctis senatus sententiis hostis est iudicatus? Nam ceteris quidem vitae partibus, quis est, qui possit sine Trebonii maxima contumelia conferre vitam Trebonii cum Dolabellae? Alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in patria liberanda, quis ignorat? Alteri a puero pro deliciis crudelitas fuit; deinde ea libidinum turpitudo, ut in hoc sit semper laetatus, quod ea faceret, quae sibi obiici ne ab inimico quidem possent verecundo. Et hic, dii immortales! aliquando fuit meus. Occulta enim erant vitia non inquirenti. Neque nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille vobis, nisi moenibus patriae, nisi huic urbi, nisi diis penatibus, nisi aris et focis omnium nostrum, nisi denique naturae et humanitati inventus esset inimicus. A quo admoniti, diligentius et vigilantius caveamus Antonium.

V. Etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos et insignes latrones. At videtis, quos et quam multos habeat Antonius. Primum L. fratrem. Quam

Dolabella iudicandus?) In MSS. *quid in cive Dolabella iudicandum est.* Sed Ferrarius vidit legendum esse *iudicandus.* Muret. Graev. ediderunt *quid in cive de Dolabella iudicandum?*

Vlcisci cupit) Sic e vestigiis cod. Vetic. ediderunt Faërn. Muret. Graev. Olim *ulciscetur* vel *ulciscitur* quod recepit Ern.

Semper laetatus) *Semper ipse laetatus* codd. Ferrar. id. Graev. meliue abest *ipse* edd. pr.

Et hic, Dii immortales! aliquando fuit meus) Dolabella Tulliam in matrimonio habuerat Ciceronis filiam, et cum ipso arctissima fuerat familiaritate coniunctus. Ob hanc coniunctionem atrocior est Cicero in Antonii accusatione, quam Dolabellae; etsi constat mitiorem altero fuisse Antonium. Hic quidem exarsit, sed Ciceronianis declamationibus et satyris inflammatus. Dvc.

Aliquando fuit meus) In edd. antiquioribus addebatur *amicus*; quod glossatori debetur.

facem, dii immortales! quod facinus! quod scelus! quem gurgitem! quam voraginem! Quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cuius sanguinem non bibere censetis? in cuius possessiones atque fortunas non impudentissimos oculos spe et mente defigere? Quid Censorinum? qui se verbo praetorem esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit. Quid Bestiam? qui se consulatum in Bruti locum petere profitetur. Atque hoc quidem detestabile omen avertat Iupiter! Quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro praetura putat. Alter Caesar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus: quamquam leges eum non tenent, propter eximiam, credo, dignitatem. At hic, me defendente, quinquies absolutus est. Sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis. Sed haec iudicum culpa, non mea est. Ego defendi fide optima: illi debuerunt clarissimum et praestantissimum senatorem in civitate retinere. Qui tamen nunc nihil aliud agere videtur, nisi ut intelligamus, illos, quorum res iudicatas irritas fecimus, bene et e republica iu-

Re certa noluit) Qui enim praetor urbanus esse potest, quum ab urbe discesserit? MAN. Haec irrisio est non sine gratia ac lepore; Censorinus repulsam tulerat. Porro est operae pretium animadvertere, qua arte Cicero in hac enumeratione auditorum satietati occurrat, ut aspergat iocos. DVC.

Damnationem) De ambitu ex petitione praeturae, defendente Cicerone. Vide ep. 3, lib. XI ad Q. Frat.

Vopiscus ille) Vopiscus a Iulio Caesare civitatem adeptus eius nomen assumpserat.

In gladiatore difficilis) Significat eum, quum sextum accusaretur, damnatum esse.

In civitate retinere) Ironice dictum. Nempe damnatus in exsilium abiit; postea a Caesare restitutus aedilitatem gessit.

Bene et e republica iudicavisse) C. Caesar dictator quum alios multos, legibus in exsilium pulsos, restituit, tum ipsum Vopiscum, adeoque res iudicatas illorum iudicum irritas fecerat, a quibus illi fuerant damnati. Quid deinde? Interfecto Caesare, fa-

dicavisse. Neque hoc in hoc uno est. Sunt alii in eisdem castris honeste condemnati, turpiter restituti. Quod horum consilium, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimum, putatis fore? Accedit Saxa, nescio quis, quem nobis Caesar ex ultima Celtiberia tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis: a qua quum sit alienissimus, suo capiti, salvis nobis, ominetur. Cum hoc veteranus Capho: quo neminem veterani peius oderunt. His, quasi praeter dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum est largitus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas praediorum: quibus utinam contenti essent! ferremus, etsi tolerabile non erat; sed quidvis patiendum fuit, ut hoc teterrimum bellum non haberemus.

VI. Quid? illa castrorum M. Antonii lumina, nonne ante oculos proponitis? Primum duos collegas Antonii et Dolabellae, Nuculam et Lentonem, Italiae divisores lege ea, quam senatus per vim latam iudicavit: quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragoediam. Quid dicam de Apulo Domitio? cuius

ctum est senatusconsultum, ut leges, decreta, omnis denique acta Caesaris rata essent: hic senatus etiam, praeter alia quamplurima, illud probaverat, ut res antea iudicatae, irritae forent, quum indicavit eos omnes, ad quos beneficium Caesaris pertinuerat, iure fuisse restitutos. Vopiscus tamen ita vivebat, seque adeo sceleratum praestabat, ut quilibet intelligere posset, bene, et e republica iudices illos iudicavisse, qui civem perditissimum ex urbe eiecissent. FERR.

Castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis) Qui sibi videtur ex castrorum metatore factus esse metator ac divisor urbis: qui sperat, se Antonii castra in ipsa urbe Roma locaturum, eamque militibus pro voluntate distributurum. DVC.

A qua quum sit alienissimus) Quum ad ipsum, utpote extraneum, nihil pertineant nec bona urbis nostrae, nec mala, desinat nobis ominari, atque haec eius omina in eius caput convertantur. ID.

Ominentur) I. e. pernicies, quam sperat se urbi nostrae illaturum, ut in ipsum recidat optamus. *Ominetur* scil. refertur ad antecedens *sperat*.

Collegas Antonii) Sic Ern. e codd. Ferrar. Guelf. Vulgo *Antoniorum*.

bona modo proscripta vidimus: tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. Sed non possunt non prodige vivere, qui nostra bona sperant, quum effundunt sua. Vidimus etiam P. Decii auctionem, clarissimi viri: qui maiorum suorum exempla perseqnens, pro alieno se aere devovit. Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. Hominem ridiculum, qui se exire aere alieno putet posse, quum vendat aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? quem ultae videntur furiae creditorum: vindicem enim tabularum novarum novam tabulam vidimus. Quid de L. Planco? quem praestantissimus civis, Aquila, Pollentia expulit, et quidem crure fracto: quod utinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset! Lumen et decus illius exercitus paene praeterii, C. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum, * quoniam omnia iura dissolvit: nisi forte iure Germanum Cimber occidit.

Tanta procuratorum est negligentia) Acerba irrisione dictum, quasi per procuratores stetisset, quo minus Domitii bona venderentur.

Sed non possunt non prodige vivere) Sarcasmus et irrisio. Perinde quasi in illa veneni infusione sit prodiga quaedam liberalitas. DVC.

Vidimus etiam P. Decii auctionem) Vulgo erat *videte*. Graevius edidit *vidi*; in MS. Gu. *vide*. Ernestio placebat *vidimus*, aut *vidistis*. Prius praetuli. Sic paulo ante: *proscripta vidimus*.

Pro alieno se aere devovit) Hoc facere dixit, in carmen intuens, quo Decii usi erant in devotione sui, in quo hoc erat in extremo: « Sicut verbis nuncupavi, ita pro republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hostium mecum Diis Manibus, Tellurique devoveo. » FERR. Vide Livium VIII, 9.

Creditorum) Optime sic Ernestius correxit vulgatum *debitorum*. Nempe Cicero dicit, Trebellium, qui in fraudem creditorum novas tabulas defendisset, ultas esse creditorum furias; quod ipsius bona per tabulas auctionarias vendita essent.

Vindicem) Proscripta Trebellii bona vidimus, ea tabula ulcisci videtur tabulas novas, quibus adversatus erat. Tabulam enim posuit, qui tabulas novas oppugnaverat. MAN. *

* *Lysidicum ipsum*) Vulgo addebatur *graeco verbo*; scil. e glossa.

Dissolvit) Ita ut ipse merito appellari posset λυσίδικος.

Germanum Cimber occidit) Correctio ridicula, et iocus mordax. Hic

Quum hanc, et huius generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet? quum Dolabella tantis se obstrinxerit parricidiis, nequaquam pari latronum manu et copia! Quapropter, ut invitus saepe dissensi a Q. Fufio, ita sum eius sententiae libenter assensus. Ex quo iudicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa dissidere. Itaque non assentior solum, sed etiam gratias ago Q. Fufio. Dixit enim severam, gravem, republica dignam sententiam: iudicavit hostem Dolabellam; bona eius censuit publice possidenda. Quo quum addi nihil posset (quid enim atrocius potuit, quid severius decernere?), dixit tamen, si quis eorum, qui post se rogati essent, graviorem sententiam dixisset, in eam se iturum. Quam severitatem quis potest non laudare?

VII. Nunc quoniam hostis est iudicatus Dolabella, bello est persequendus. Neque enim quiescet: habet legionem, habet fugitivos, habet sceleratam impiorum manum; est ipse confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus. Quamobrem, quoniam cum Dolabella bellum gerendum est, imperator est deligendus. Duae dictae sunt sententiae; quarum neutram probo: alteram, quia semper, nisi quum est necesse, periculosam arbitror; alteram quia alienam his temporibus existimo. Nam, extraordinarium imperium populare

C. Annius Cimber fratrem occiderat. Latina vox *Germanus*, et fratrem significat, et hominem e Germania. Itidem *Cimber*, quod erat istius C. Annii cognomen, hominem designat oriundum e Cimbrica Chersoneso, aut, ut aliqui malunt, Cherroneso. Ex illa ambiguitate iocum Cicero captavit. Dvc.

Decernere?) In Vatic. erat *de genere*, unde Muretus coni. legendum *de genero*. Iam etsi gener Dolabellae fuit Fufius, nihil tamen opus erat hic eius affinitatis mentionem facere. Si tamen libri MSS. adducerent, intelligendum esset post *de genero* ex antecedentibus *censere*, vel utrumque coniungendum: *de genero decernere*.

Quiescet) Faern. e cod. Vat. *quescet*.

Quoniam cum Dolabella) Vulgo inculcatum glossema: *hesterno die hoste decreto*, Ernestio auctore delevi.

Nam, extraordinarium) Olim addebatur *semper*, recte eiectum a Faerno. Ern.

atque ventosum est, minimae nostrae gravitatis, minime huius ordinis. Bello Antiochi magno et gravi, quum L. Scipioni, Publii filio, obvenisset Asia, parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusque ad collegam eius, C. Laelium, illius Sapientis patrem, negotium deferret: surrexit P. Africanus, frater maior L. Scipionis, et illam ignominiam a familia deprecatus est; dixitque, et in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei legatum, id aetatis, iisque rebus gestis, defuturum. Quod quum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis provincia commutatum: nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quaesitum, quam duobus antea maximis Punicis bellis, quae a consulibus, aut a dictatoribus gesta et confecta sunt; aut quam Pyrrhi, quam Philippi, quam post Achaico bello, quam Punico tertio: ad quod populus romanus ita sibi ipse delegit idoneum ducem, P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere consulem vellet. Cum Aristonico bellum gerendum fuit, L. Valerio, P. Licinio consulibus.

Populare atque ventosum est) Popularis est levitatis, quae qualibet aura movetur, et novis rebus gaudet, imperium decernere extraordinarium. Contra senatoriae gravitatis est, antiquis stare institutis ac legibus, ut per ordinarios magistratus ea fiant, ad quae facienda sunt creati. Rei enim publicae omnis est exitiosa novitas. Dvc.

Bello Antiochi) Faërn. e vestigiis cod. Vat. *Antiochino*.

Illius Sapientis) *Illius* Ernestius substituendum esse vidit, pro *huius*, quod intelligi non posset nisi de praesente et vivo.

Bellum gerere consulem vellet) Maluit populus romanus eum solvere legibus, et consulem creare extra ordinem, quam privato cursm belli committere. Dvc.

Cum Aristonico bellum gerendum fuit) Quum Pergami rex Attalus, Eumenis filius, testamento populum Romanum reliquisset heredem bonorum omnium; Aristonicus, Eumenis, ex Ephesia quadam muliercula, filius, Asiam, ut paternum regnum, opibus multorum et favore adiutus invasit. Is cum bello persequendus esset, orta est inter consules de provinciis contentio. Erant tum consules P. Licinius Crassus, et L. Valerius Flaccus: ille pontifex maximus, hic flamen Martialis. Quum uterque Asiam habere vellet; Crassus, ut collegam ab

Rogatus est populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus consul, et pontifex maximus, Flacco collegae, flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. Quam multam populus remisit: pontifici tamen flaminem parere iussit. Sed ne tum quidem populus ad privatum detulit bellum: quamquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumphaverat; qui quum longe omnes belli gloria et virtute superaret, duas tantum tribus tulit. Ita populus romanus consuli potius Crasso, quam privato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeii imperiis, summi viri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt. Nam Sertorianum bellum a senatu privato datum est, quia consules recusabant: quum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule.

VIII. Quae igitur haec comitia? aut quam ambi-

eius provinciae ac belli administratione arceret, pro ea, qua pollebat, ut pontifex, in flamines auctoritate, multam Flacco dicit, si ab urbe, et a sacris discessisset. Neque finis certaminum fuit, donec ad populum ferri placuit, quem id bellum gerere iuberet. De Crasso dubitabatur, ne pontificem maximum abire ex Italia contra religiones foret: dictae erant sententiae, ut potius pro consule aliquis mitteretur: aderat Africanus, qui posset mitti. Populus remisit multam flamini, eum tamen dicto audientem pontifici esse iussit: privatum ei bello praefici non placuit: duarum tantummodo tribuum puncta tulit Africanus: consuli P. Licinio Crasso provincia decreta est. Dvc.

Ne tum quidem populus) Ita Graev. Ern. e cod. Vatic. Vulgo *populus Romanus*.

Tribuni plebis turbulenti tulerunt) Gabinius et Manilius. Quam aliter de iisdem hic idem loquitur in suasione legis Maniliae! At tum dicebat ad populum; et eloquentiae est servire tempori, quum sit prudentiae civilis quasi administra. Dvc.

Quae igitur haec comitia?) Extraordinaria imperia populus in comitiis decernebat. Propterea quum L. Caesar suaderet, ut senatus imperium mandaret extraordinarium, ait Cicero, ipsum comitia in curiam introducere: consequutura ostendit incommoda; in primis animorum offensiones, quae saltem in comitiis nullae sunt verendae; quoniam populus tabellis suffragia committit; quo fit, ut ii, qui repulsam ferunt, scire nequeant, a quibusnam sint praeteriti et neglecti. At in senatu, voce dicuntur sententiae. Idcirco ait:

tionem constantissimus et gravissimus civis, L. Caesar in senatum introduxit? Clarissimo viro atque innocentissimo decrevit imperium, privato tamen. In quo maximum nobis onus imposuit. Assensero: ambitionem induxero in curiam. Negaro: videbor suffragio meo, tanquam comitiis, honorem homini amicissimo denegasse. Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus: tabella modo detur nobis, sicut populo data est. Cur committis, Caesar, ut aut praestantissimus vir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse videatur; aut unusquisque nostrum praeteritus, si, quum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur? At enim (nam id exaudio) C. Caesari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi. Ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat. Quum dico mihi, senatui dico, populoque romano. A quo respublica praesidium, ne cogitatum quidem, tantum haberet, ut sine eo salva esse non posset, huic extraordinarium imperium non darem? Aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. Quae est enim ratio, aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus? Non igitur, quod ereptum non est, id existimandum est datum. Eripuissetis C. Caesari, Patres conscripti, imperium, nisi dedissetis. Milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen sequuti, pro republica arma ceperant, volebant sibi ab illo imperari:

Esto, agamus ut in campo et comitiis, ambiamus, prensemus, suffragemur, imitemur popularem levitatem, dummodo detur nobis, ut populo, tabella, quae det eam libertatem, ut, quod velimus, faciamus. Dvc.

At enim) Prolepsis. Occupat quod opponi poterat, et ostendit, quid inter L. Caesaris pro Servilio sententiam, et suam pro Caesare Octaviano intersit. Id.

Exaudio) Nempe dicebant quidem submisse, sed ut Cicero audiret; hoc est *exaudio*. Ern.

C. Caesari) Octaviano.

Mea sententia dedi) Vt adolescens vix annorum viginti exercitum regeret pro consulari potestate. Dvc.

legio Martia, et quarta, ita se contulerant ad auctoritatem senatus, populique romani dignitatem, ut cum deposcerent imperatorem et ducem. Caesari bellum necessitas, fasces senatus dedit. Otioso vero, nihil agenti privato, obsecro te, L. Caesar (cum peritissimo homine mihi res est) quando imperium senatus dedit?

IX. Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amicissimo, ac de me optime merito, videar. Etsi quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? Illa vero, Patres conscripti, aliena consulum dignitate, aliena temporum gravitate sententia est, ut consules, Dolabellae persequendi causa, Asiam et Syriam sortiantur. Dicam, cur inutile reipublicae: sed prius, quam turpe consulibus sit, videte. Quum consul designatus obsideatur, in eoque liberando salus sit posita reipublicae; quumque a populo romano pestiferi cives, parricidaeque desciverint; quumque id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus; et, si in potestatem quis Antonii venerit, proposita sint tormenta atque cruciatus; quumque harum rerum omnium decertatio consulibus optimis et fortissimis commissa et commendata sit: Asiae et Syriae mentio fiet, ut aut suspicioni crimen, aut invidiae materiam dedisse videamur? At vero ita decernunt, *ut liberato Bruto:* id enim restabat, ut relicto, deserto, prodito. Ego vero mentionem omnino provinciarum factam dico

Contulerant) Sic Ern. e cod. Vatic. Vulgo *contulerat.*

Otioso vero) P. Servilium otiosum dicit esse, et nihil agentem, hoc est, vere privatum: quia neque habebat exercitum, neque erat armatus, ut Caesar, in Antonium. Fran.

At vero ita decernunt) Prolepsis, cum irrisione. At decernunt, non ituros adversus Dolabellam, nisi quum liberatus obsidione Brutus fuerit. Benigne quidem, quod nolunt hunc relinqui, deseri, prodi. Duc.

alienissimo tempore. Quamvis enim intentus animus tuus sit, C. Pansa, sicut est, ad virum fortissimum et omnium clarissimum liberandum: tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum, et partem aliquam in Asiam et Syriam derivare curae et cogitationis tuae. Si autem fieri posset, vel plures te animos habere vellem, quos omnes ad Mutinam intenderes. Quod quoniam fieri non potest, istoc animo, quem habes praestantissimum atque optimum, nihil te volumus, nisi de Bruto cogitare. Facis tu id quidem, et eo maxime incumbis: duas tamen res, magnas praesertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. Incitare et inflammare tuum istud praestantissimum studium, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus. Adde istuc sermones hominum, adde suspiciones, adde invidiam. Imitare me, quem tu semper laudasti: qui instructam ornatamque a senatu provinciam deposui, ut incendium patriae, omissa omni cogitatione, restinguerem. Nemo erit, praeter unum me, quicum profecto, si quid interesse tua putasses, pro summa familiaritate nostra communicasses, qui credat, te invito, provinciam tibi esse decretam. Hanc, quaeso, pro tua singulari sapientia, reprime famam; atque effice, ne id quod non curas, cupere videare. Quod quidem eo vehementius tibi laborandum est, quia in eandem cadere suspicionem collega, vir clarissimus, non potest. Nihil horum scit, nihil suspicatur. Bellum gerit; in acie stat; de sanguine et de spiritu decertat; ante provinciam sibi decretam audiet, quam potuerit tempus ei rei datum suspicari. Vereor, ne exercitus

Sicut est, ad virum) Ab hoc verbo usque ad tertiam fere partem orat. XII, deficit cod. Vatic.

quoque nostri, qui non delectus necessitate, sed voluntariis studiis se ad rempublicam contulerunt, tardentur animis, si quidquam aliud a nobis, nisi de instanti bello cogitatum putabunt.

X. Quod si provinciae consulibus expetendae videntur, sicut saepe multis clarissimis viris expetitae sunt: reddite prius nobis Brutum, lumen et decus civitatis; qui ita conservandus est, ut id signum, quod de caelo delapsum, Vestae custodiis continetur; quo salvo, salvi sumus futuri. Tunc vel in caelum vos, si fieri poterit, humeris nostris tollemus; provincias certe dignissimas vobis deligemus. Nunc quod agitur, agamus. Agitur autem, liberine vivamus, an mortem obeamus: quae certe servituti anteponenda est. Quid, si etiam affert tarditatem ista sententia ad Dolabellam persequendum? Quando enim veniet consul? an id exspectamus, quo ne vestigium quidem Asiae civitatum atque urbium relinquatur? At mittent aliquem de suo numero. Valde mihi probari potest, qui paulo ante clarissimo viro privato imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. Num P. Servilio digniorem? At eum quidem civitas non habet. Quod ergo ipse nemini putat dandum, ne a senatu quidem; id ego unius iudicio delatum comprobem? Expedito nobis homine et parato, Patres conscripti, opus est, et eo, qui imperium legitimum habeat; qui praeterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in republica liberanda.

Te necessario) Haec Ernestius uncis inclusit.

Vt id signum) Ernestius vel *id* delendum, vel *illud* reponendum censebat.

Vestae custodiis continetur) Palladium, quod inter septem imperii romani pignora recenset Servius, *in Aeneid.* VII, 188, et in Vestae penetralibus custodiebatur. Dvc.

Quod ergo ipse) Servilius: qui munus illud recusaverat, dixeratque

XI. Quis igitur is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterque. Decernerem plane, sicut multa, consulem, alterum, ambove, ni Brutum colligassemus in Graecia, et eius auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam maluissemus: non ut ex ea acie respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum. Praeterea, Patres conscripti, M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam, magnam urbem et gravem; tenet, opinor, Byllidem; tenet Amantiam; instat Epiro; urget Illyricum; habet aliquot cohortes, habet equitatum. Hinc, si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Graeciam certe amiserimus. Est autem etiam de Brundisio atque illa ora Italiae providendum. Quamquam miror tamdiu morari Antonium. Solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere. Quod si confecerit Brutus, et intellexerit, plus se reipublicae profuturum, si Dolabellam persequatur, quam

nemini dandum, ne a senatu quidem. Supra: *Quis potest refragari; non modo non potenti, verum etiam recusanti?* MAN.

Sicut multa, consulem) Schütz. edidit *sicut multi.* T.

Brutum colligassamus in Graecia) Hoc dixit, propter senatusconsultum, quo senatus ei provinciam Macedoniam, Illyricum, cunctamque Graeciam decreverat, mandaveratque, ut cum suis copiis proxima Italiam esset. FERR.

Non ut ex ea acie — sed ut ipsa acies) Haec corrupta esse omnes fatentur. Equidem coniicio legendum: *non modo ut ex ea* (scil. *Italia*) *ad id* (auxilium) *respectum haberemus, sed ut ipsa Italia subsidium haberet etiam transmarinum.* Sic optime hic locus consentit cum Philipp. X, 5, ubi de Bruti exercitu sic dixerat; *qui ab illo abducit exercitum et respectum pulcherrimum et praesidium firmissimum adimit reipublicae.*

Solet enim accipere ipse manicas) Quas capiebant, credo, iter facturi, quibus brachia muniebant nuda contra iniurias caeli, ut pileis capita. Id igitur Cicero innuit: solet non diu morari in illis locis, ad quae appropinquare audit sibi adversantes copias: sed celeriter adornare fugam, tanquam homo mollis et effeminatus. Horum enim erant manicae, quae viris apud Romanos vitio vertebantur. GRAEV.

Quod si conficerit) Lambino placebat *conficeret bellum.*

si in Graecia maneat: aget ipse per sese, ut adhuc quoque fecit; neque in tot incendiis, quibus confestim succurrendum est, exspectabit senatum. Nam et Brutus et Cassius multis iam in rebus ipse sibi senatus fuit. Necesse est enim, in tanta conversione et perturbatione rerum, temporibus potius parere, quam moribus. Nec enim nunc primum aut Brutus aut Cassius salutem libertatemque patriae, legem sanctissimam, et morem optimum iudicavit. Itaque si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, quum essent tales virtute, auctoritate, nobilitate viri: quorum alterius iam notus nobis est exercitus, alterius auditus.

XII. Non igitur Brutus exspectavit decreta nostra, quum studia nosset. Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus; in Macedoniam alienam advolavit; omnia sua putavit, quae vos vestra esse velletis; legiones conscripsit novas, excepit veteres; equitatum ad se abduxit Dolabellae, atque eum nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia iudicavit. Nam ni ita esset, quo iure equitatum a consule abduceret? Quid? C. Cassius, pari magnitudine animi et consilii praeditus, nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? Qua lege? quo iure? Eo, quod Iupiter ipse sanxit, ut omnia, quae reipublicae salutaria essent, legitima et

Nam et Brutus et Cassius) Multa susceperant et confecerant privato consilio, nullaque publica auctoritate Brutus et Cassius. Quamobrem nunc eorum acta conatur hac sententia defendere. Quod quum aliqua perturbatio est orta reipublicae, et extraordinarius tumultus concitatus, inusitata sunt etiam adhibenda remedia, et praesentissima; neque semper necesse est imperium exspectare magistratuum, si, quod agendum est, videtur e republica futurum. Dvc.

Auctoritate, nobilitate) Vulgo additur *summi*, quod quum antecedat *tales*, inepte abundat.

Tanto parricidio) *Tanto* abest MS. Huydec. probante Ernestio.

iusta haberentur. Est enim lex nihil aliud, nisi recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Cassius, quum est in Syriam profectus, alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur; his vero oppressis, suam, lege naturae. Sed ut ea vestra quoque auctoritate firmetur, censeo: Quum P. Dolabella, quique eius crudelissimi et teterrimi facinoris ministri, socii, adiutores fuerunt, hostes populi romani a senatu iudicati sint; quumque senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut is, qui omnia deorum hominumque iura novo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioque patriae se parricidio obstrinxerit, poenas diis hominibusque meritas debitasque persolvat: Senatui placere, C. Cassium, proconsulem, provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo iure provinciam obtinuerit; eumque a Q. Marcio Crispo, proconsule, L. Statio Murco, proconsule, A. Allieno legato, exercitus accipere, hosque ei tradere: cumque his copiis, et si quas praeterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequi: eius belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, cetera, quae ad id bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, ius potestatemque habeat; utque, quamcumque in provinciam eius belli gerendi causa advenerit, ibi maius imperium C. Cassii, proconsulis, sit, quam eius erit, qui eam provinciam tum obtinebit, quum C. Cassius, proconsul, in eam provinciam venerit; Regem Deiotarum patrem, et regem Deiotarum filium, si, ut multis bellis saepenumero imperium populi romani

Vt ea vestra) Ita Ferrar. Graev. Ern. Olim *ut ex vestra*.

Hosque ei tradere) Ita scribendum censuit Ern. pro vulg. *eosque*; durius enim est *cum — eosque ei*.

iuverint, item C. Cassium proconsulem copiis suis, opibusque iuvissent, senatui populoque romano gratum esse facturos: itemque si ceteri reges, tetrarchae, dynastaeque fecissent, senatum populumque romanum eorum officii non immemorem futurum: utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter ambove, si eis videbitur, republica recuperata, de provinciis consularibus, praetoriis, ad hunc ordinem primo quoque tempore referant. Interea provinciae ab iis, a quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex senatusconsulto successum sit.

XIII. Hoc senatusconsulto ardentem inflammabitis, et armatum armabitis Cassium. Nec enim animum eius potestis ignorare, nec copias. Animus is est, quem videtis; copiae, quas audistis, fortis et constantis viri, qui, ne vivo quidem Trebonio, Dolabellae latrocinium in Syriam penetrare sivisset. Allienus, familiaris et necessarius meus, post interitum Trebonii profectus, ne dici quidem se legatum Dolabellae volet. Est Q. Caecilii Bassi, privati illius quidem, sed fortis et praeclari viri, robustus et victor exercitus. Deiotari regis, et patris et filii, et magnus et nostro more instructus exercitus: summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam? cuius benivolentia in populum romanum est ipsius aequalis aetati; qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. Quae de illo viro Sulla, quae Murena, quae Servilius, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe in senatu praedicaverunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui unum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque

Summa virtus) Ita plerique MSS. plurimis editoribus probatum. Vulgo nonnulli *summaque*.

benivolum, unum fidelem populo romano iudicavit. Fuimus imperatores, ego et M. Bibulus, in propinquis finitimisque provinciis. Ab eodem rege adiuti sumus et equitatu et pedestribus copiis. Sequutum est hoc acerbissimum et calamitosissimum civile bellum. In quo, quid faciendum Deiotaro, quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse: praesertim quum contra, ac Deiotarus sensit, victoria belli iudicarit. Quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum senatu; sin recta sententia, ne victa quidem causa vituperanda est.

XIV. Ad has copias accedent alii reges, etiam delectus accedent. Neque vero classes deerunt: tanti Tyrii Cassium faciunt, tanti eius in Syria nomen atque Phoenice est. Paratum habet imperatorem, C. Cassium, Patres conscripti, respublica contra Dolabellam, nec paratum solum, sed peritum atque fortem. Magnas ille res gessit ante Bibuli, summi viri, adventum, quum Pacori nobilissimos duces maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit. Maximam eius, et singularem laudem praetermitto. Cuius enim praedicatio nondum omnibus grata est, hanc memoriae potius, quam vocis testimonio conservemus. Animadverti, Patres conscripti, dici iam a quibusdam, exornari etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari: Cassio vero sententia mea dominatum

Tanti Tyrii — tanti eius in Syria nomen) Quoniam erant mari propinquae regiones, in quibus gerendum Cassius bellum habebat, opus ei erat navalibus copiis, quas dicit Cicero non defuturas; suppeditantibus, propter insignem viri famam atque existimationem, Tyriis, Syria, Phaenicibus: qui omnes rei nauticae peritia, et navium multitudine commendati. Hieronymus Ferrarius reponendum censebat, *tantum eius .... nomen*, ut esset illi simile, *quantum nomen eius fuerit* in Orat. pro Deiot. cap. 4. Dvc.

Pacori) Parthos duce Pacore regis Orodis filio Euphratem transiisse, fusosque a Cassio, caesosque fuisse etiam ex Epist. ad Atticum apparet. Fabr.

et principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reipublicae. Quid? D. Brutum nonne omnibus sententiis semper ornavi? Num igitur reprehenditis? An Antonios potius ornarem, non modo suarum familiarum, sed romani nominis probra atque dedecora? An Censorinum ornem, in bello hostem, in pace sectorem? An cetera ex eodem latrocinio naufragia colligam? Ego vero istos, otii, concordiae, legum, iudiciorum, libertatis inimicos, tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos tam oderim, quam rempublicam diligo. Vide, inquit, ne veteranos offendas. Hoc enim vel maxime exaudio. Ego vero veteranos tueri debeo; sed hos, quibus sanitas est, certe timere non debeo. Eos veteranos, qui pro republica arma ceperunt, sequutique sunt C. Caesarem, auctoritate beneficiorum paternorum, hodieque rempublicam defendunt cum magno periculo, non tueri solum, sed etiam commodis augere debeo. Qui autem quiescunt, ut sexta et octava legio, in magna gloria et laude ponendos puto. Comites vero Antonii, qui postquam beneficia Caesaris comederunt, consulem designatum obsident, huic urbi ferro ignique minitantur, Saxae se et Caphoni tradiderunt, ad facinus praedamque natis, num quis est, qui tuendos putet? Ergo aut boni sunt, quos etiam ornare; aut quieti, quos conservare debemus; aut impii, quorum contra furorem, et bellum et iusta arma suscepimus.

XV. Quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, veremur? Eorumne, qui D. Brutum obsidione

Reprehenditis) Ernestio placebat *reprehendistis*.

Ego vero) Recte sic Faërn. e MS. pro vulg. *Ego autem*.

Sed hos, quibus) Muretus edidit: *sed eos quidem quibus sanitas est*.

Ferro ignique) Ferrar. et Lambin. *ferrum ignemque*.

Suscepimus) MSS. Franc. et Graev. *cepimus*. Colon. *accepimus*.

cupiunt liberare? quibus quum Bruti salus cara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? An eorum, qui utrisque armis vacant? Non vereor, ne acerbus civis quisquam istorum sit, qui otio delectantur. Tertio vero generi non militum veteranorum, sed importunissimorum hostium, cupio quam acerbissimum dolorem inurere. Quamquam, Patres conscripti, quousque dicemus sententias veteranorum arbitratu? Quod eorum tantum fastidium est, quae tanta arrogantia, ut ad arbitrium illorum imperatores etiam deligamus? Ego autem (dicendum est enim, Patres conscripti, quod sentio), non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiae, quid novae legiones, ad liberandam patriam paratissimae, quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. Nihil enim semper floret; aetas succedit aetati; diu legiones Caesaris viguerunt; nunc vigent Pansae, vigent Hirtii, vigent Caesaris filii, vigent Planci; vincunt numero, vincunt aetatibus; nimirum etiam auctoritate vincunt. Id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. Itaque his praemia promissa sunt; illis persoluta. Fruantur his illi, persolvantur his, quae spopondimus. Id enim deos immortales spero aequissimum iudicare.

Quae quum ita sint, eam, quam dixi, sententiam, vobis, Patres conscripti, censeo comprobandam.

Ad arbitrium illorum) Ern. malebat *ipsorum*.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA DVODECIMA

I.

Etsi minime decere videtur, Patres conscripti, falli, decipi, errare eum, cui vos maximis saepe de rebus assentiamini: consolor me tamen, quoniam vobiscum pariter, et una cum sapientissimo consule erravi. Nam quum duo consulares spem honestae pacis nobis attulissent, quod erant familiares M. Antonii, quod domestici, nosse aliquod eius vulnus, quod nobis ignotum esset, videbantur. Apud alterum uxor, liberi; alter, quotidie literas mittere, accipere, aperte favere Antonio. Hi subito hortari ad pacem, quod iamdiu non fecissent, non sine causa videbantur. Accessit consul hortator. At qui consul? si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset; si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi Antonio cedente atque victo; si magnitudinem animi, qui praeferret mortem servituti. Vos autem, Patres conscripti, non tam immemores vestrorum gravissimorum decretorum videbamini, quam spe allata deditionis, quam amici pacem appellarent, de imponendis non de accipiendis legibus

Duo consulares) Q. Fufius Calenus et Piso.

Apud alterum) Calenum.

Quam spe allata — de imponendis) Ed. Grut. *quam spe allata* (*deditionem quam amici, pacem appellarent alieni*) *de imponendis*.

cogitare. Auxerat autem meam quidem spem, credo item vestram, quod domum Antonii afflictam moestitia audiebam, lamentari uxorem; hic etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei, tristiores videbam. Quod si non ita est, cur a Pisone et a Caleno potissimum, cur hoc tempore, cur tam improviso, cur tam repente pacis est facta mentio? Negat se scire Piso, negat audisse quidquam; negat Calenus, rem ullam novam allatam esse. Atque id nunc negant, posteaquam nos pacificatoria legatione implicatos putant.

II. Quid ergo opus est novo consilio, si in re nihil omnino novi est? Decepti, decepti, inquam, sumus, Patres conscripti: Antonii est acta causa ab amicis eius, non publica. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem; praestrinxerat aciem animi D. Bruti salus. Quod si in bello dari vicarii solerent, libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Atqui hac voce Q. Fufii capti sumus: *ne si a Mutina quidem recesserit, audiemus Antonium? ne si in senatus quidem potestatem futurum se dixerit?* Durum videbatur. Itaque fracti sumus; cessimus. Recedit igitur a Mutina? *nescio.* Paret senatui? *credo*, inquit Calenus: *sed ita, ut teneat dignitatem.* Valde hercule vobis laborandum est, Patres conscripti, ut vestram dignitatem amittatis, quae maxima est; Antonii, quae neque est ulla, neque esse potest, reti-

Lamentari uxorem) Ernestius hic aliquid excidisse suspicabatur. Infra certe etiam *liberi* commemorantur. Deinde idem cum Graevio dedit *hic* pro vulg. *hinc*, ut *hic* significet *in senatu.*

Negat se scire Piso) Sic edd. pr. et Graev. At Ern. e MS. Lang. Guelf. aliis *negat Piso scire se.*

Praestrinxerat) Grut. aliique recentiores *restrinxerat.* Ferrarii cod. unus *praestrinxerat* quod receperunt Graev. Ern. MSS. et edd. vett. *perstrinxerat.*

Audiemus) Sic Ern. e codd. H. Guelf. edd. pr. Valgo *audiamus.*

neatis; ut eam per vos recuperet, quam per se perdidit. Si iacens vobiscum aliquid ageret, audirem fortasse; quamquam ..... sed hoc malo dicere, audirem. Stanti resistendum est, aut concedenda una cum dignitate libertas. At non est integrum. Constituta legatio est. Quid autem integrum non est sapienti, quod restitui potest? Cuiusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Posteriores enim cogitationes (ut aiunt) sapientiores solent esse. Discussa est illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia, neque per nos solum, sed admonemur a nostris. Attendistis paulo ante, praestantissimi viri quae esset oratio. Moestam, inquit, domum offendi, coniugem, liberos. Admirabantur boni viri, accusabant amici, quod spe pacis legationem suscepissem. Nec mirum, P. Servili! Tuis enim verissimis gravissimisque sententiis omni est non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius. Ad eum ire te legatum, quis non miraretur? De me experior: cuius idem consilium, quod tuum, sentio, quam reprehendatur. Nos reprehendimur soli? Quid? vir fortissimus Pansa sine causa tam accurate paulo ante loquutus est tamdiu? Quid egit, nisi uti falsam proditionis a se suspicionem depelleret? Vnde autem est ista suspicio? Ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit, eodem captus errore, quo nos.

Quod si est erratum, Patres conscripti, spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus est portus poenitenti, mutatio consilii.

III. Quid enim, per deos immortales! potest reipu-

Quis non miraretur) Ernestius malebat *miretur*. Recte si iam pro certo haberet Servilium legationem obire. Nunc autem idem dicit ac: *si tu ad eum ires legatus, quis non miraretur?*

blicae prodesse nostra legatio? Prodesse dico? quid, si etiam obfutura est? Obfutura? quid, si iam nocuit? An vos acerrimam illam et fortissimam populi romani libertatis recuperandae cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? Quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? An non putamus fore, ut eos poeniteat professos esse, et prae se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos et animis et corporibus in salutem reipublicae contulerunt? Quemadmodum vestrum hoc consilium Capua probabit, quae temporibus his Roma altera est? Illa impios cives iudicavit, eiecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissime conanti, e manibus est ereptus Antonius. Quid? legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus. Quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus, spe pacis oblata? Ipsa illa Martia, caelestis et divina legio, hoc nuntio languescet et mollietur, atque illud pulcherrimum Martium nomen amittet; excident gladii; fluent arma de manibus. Senatum enim sequuta, non arbitrabitur se graviori odio in Antonium esse debere, quam senatum. Pudet huius legionis, pudet quartae, quae pari virtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem et imperatorem suum, sed ut hostem et oppugnatorem patriae, reliquit Antonium; pudet optimi exercitus, qui coniunctus est ex duobus; qui

Quid, si iam nocuit) In MSS. aliquot Ferrario teste, *quid si iam nocuit atque obfuit;* unde ille coniecit legendum *quid si iam obfuit.*

Est ereptus Antonius) Philipp. II: *Quemadmodum illinc abieris, vel potius paene non abieris, scimus.* MAN. Vide Philipp. II, 39.

Martium) Manutio videbatur interpolatum.

Ex duobus) Exercitum Hirtii significat, cum Caesaris exercitu coniunctum. MAN.

iam lustratus, qui profectus ad Mutinam est; qui si pacis, id est, timoris nostri, nomen audiverit, ut non referat pedem, insistet certe. Quid enim, revocante et receptui canente senatu, properet dimicare?

IV. Quid autem hoc iniustius, quam nos, inscientibus iis, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec solum inscientibus, sed etiam invitis? An vos A. Hirtium, praeclarissimum consulem, C. Caesarem, deorum beneficio natum ad haec tempora, quorum epistolas, spem victoriae declarantes, in manu teneo, pacem velle censetis? Vincere illi expetunt: pacisque dulcissimum et pulcherrimum nomen non pactione, sed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? illa enim huius belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, sequuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit: eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus obiecit; exhauritur, vastatur, uritur. Omnes aequo animo belli patitur iniurias, dummodo repellat periculum servitutis. Et, ut omittam reliquas partes Galliae (nam sunt omnes pares), Patavini alios excluserunt, alios eiecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, et, quod maxime deerat, armis, nostros duces adiuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa erant, et propter multorum annorum iniurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his republica, fideles esse, qui, etiam expertes eius, fidem suam semper praestiterunt. His igitur omnibus victoriam sperantibus pacis nomen afferemus, id est, desperationem victoriae?

Quid enim) Ita Gruterus e MSS. antea *quis enim*.

Cum his republica) Int. civitatis romanae iure accepto per Caesarem.

V. Quid, si ne potest quidem ulla esse pax? quae enim est conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? Multis rebus a nobis ad pacem invitatus Antonius bellum tamen maluit. Missi legati, repugnante me; sed tamen missi. Delata mandata; non paruit. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet; oppugnavit etiam vehementius. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit? Verecundioremne coram putamus in postulando fore, quam fuerit tum, quum misit mandata ad senatum? Atqui tum ea petebat, quae videbantur improba omnino, sed tamen aliquo modo posse concedi; nondum erat vestris tam gravissimis, tamque multis iudiciis ignominiisque concisus: nunc ea petit, quae dare nullo modo possumus, nisi prius volumus nos bello victos confiteri. Senatusconsulta falsa delata ab eo iudicavimus. Num ea vera possumus iudicare? Leges statuimus per vim et contra auspicia latas, iisque nec populum nec plebem teneri. Num eas restitui posse censetis? Septies millies avertisse Antonium pecuniae publicae iudicavistis. Num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo civitatibus, sacerdotia, regna venierunt. Num figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris refixistis.

VI. Quod si ea, quae decrevimus, obruere volumus, num etiam memoriam rerum delere possumus? Quando enim obliviscetur ulla posteritas, cuius sce-

Ignominiisque concisus) Cod. Lang. *conscissus*.

Possumus iudicare) Abhinc, post lacunam supra notatam, redit cod. Val.

Obruere volumus) *Volumus*, omissum in MS. Vatic. Ergo Graevius Ern. alii id deleverant: quia quid posset fieri quaereretur, non quod vellent facere. Sed illud *obruere decreta* utique erat voluntatis. Ernestius malebat legere *obruere possumus* et in fine tantum *delere*.

lere in hac vestitus foeditate fuerimus? Vt centurionum legionis Martiae Brundisii profusus sanguis eluatur; num elui praedicatio crudelitatis poterit? Vt media praeteream, quae vetustas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta, sceleris indicia, latrociniique vestigia? Huic igitur importuno atque impuro parricidae, quid habemus, per deos immortales! quod remittamus? An Galliam ultimam, et exercitum? Quid est aliud, non pacem facere, sed differre bellum? nec solum propagare bellum, sed concedere etiam victoriam? An ille non vicerit, quacumque conditione in hanc urbem cum suis venerit? Armis nunc omnia tenemus; auctoritate valemus plurimum; absunt tot perditi cives, nefarium sequuti ducem. Tamen eorum ora, sermonesque, qui in urbe ex eo numero relicti sunt, ferre non possumus. Quid censetis, quum tot uno tempore irruperint? nos arma posuerimus, illi non posuerint? nonne nos nostris consiliis victos in perpetuum fore? Ponite ante oculos M. Antonium consularem; sperantem consulatum Lucium adiungite; supplete ceteros, neque nostri ordinis solum, honores et imperia meditantes; nolite ne tirones quidem, Numisios, et Mustellas, Saxasve contemnere. Cum his facta pax, non erit pax, sed pactio servitutis.

VII. L. Pisonis amplissimi viri, praeclara vox, a te

Non pacem facere) Vulgo *quam non pacem facere*. Recte *quam* delevit Ern. auctoritate cod. Vatic.

Propagare bellum) Sic plurimi codd. MSS. Nonnulli olim *prorogare*.

Armis nunc omnia tenemus) Ernestius post Graev. reposuit: *quum suis armis venerit. Nunc omnia tenemus.* Vulgatum tamen verum. Idque Faërnus firmavit auctoritate cod. Vatic. Nam *armis omnia tenemus* opponitur sequenti membro: *auctoritate valemus*. Praeterea si Antonius cum suis venerit, per se intelligitur eum cum armis venturum.

Illi non posuerint) *Posuerint* (pro quo nonnulli codd. habent *deposuerint*) servandum duxi, ab Ern. deletum.

non solum in hoc ordine, Pansa, sed etiam in concione iure laudata est. Excessurum se ex Italia, dixit, deos penates et sedes patrias relicturum, si (quod dii omen averterint!) rempublicam oppressisset Antonius. Quaero igitur a te, Piso, nonne oppressam rempublicam putes, si tot, tam impii, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? Quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censes civitati fore? Aut isto tuo, mihi crede, consilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, vitam inopem et vagam persequamur, aut cervices latronibus dandae, atque in patria cadendum. Vbi sunt, C. Pansa, illae cohortationes pulcherrimae tuae, quibus a te excitatus senatus, inflammatus populus romanus, non solum audivit, sed etiam didicit, nihil esse homini romano foedius servitute? Idcircone saga sumpsimus, arma cepimus, iuventutem omnem ex tota Italia excussimus, ut, exercitu florentissimo et maximo, legati ad pacem mitterentur? Si postulandam, quid timemus? si accipiendam, cur non rogamur? In hac ego legatione sim, aut ad id consilium admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a ceteris, sciturus populus romanus sit? Ita fiet, ut, si quid remissum aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius, quum ei peccandi potestas a me concessa videatur.

VIII. Quod si habenda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego nunquam le-

Excussimus) Sic Nonius Marcellus et MS. Vatic. Vulgo *excivimus*.

Aut ad id consilium) In eorum numero sim, qui agant cum Antonio de pace? Nam si quid indulgenter concessum fuerit Antonio, dissentiente me, populus tamen existimabit, me quoque assensum dedisse. FERR.

gatos mittendos censui; ego ante legatorum reditum ausus sum dicere: Pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum lateret, repudiandam; ego princeps sagorum; ego semper illum hostem appellavi, quum alii adversarium; semper hoc bellum, quum alii tumultum. Nec haec in senatu solum; eadem ad populum semper egi; nec solum in ipsum, sed in eius socios facinorum et ministros, et praesentes, et eos, qui una sunt, in totam denique M. Antonii domum sum semper invectus. Itaque, ut alacres et laeti, spe pacis oblata, inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur: sic me iniquum eiurabant, de me querebantur. Diffidebant etiam Servilio. Meminerant, eius sententiis confixum Antonium; L. Caesarem, fortem quidem illum et constantem senatorem, avunculum tamen; Calenum, procuratorem; Pisonem, familiarem. Te ipsum, Pansa, vehementissimum et fortissimum consulem, factum iam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit; sed mentio a te facta pacis, suspicionem multis attulit immutatae voluntatis. Inter has personas me interiectum amici Antonii moleste ferunt: quibus gerendus mos est, quoniam semel liberales esse coepimus. Proficiscantur legati optimis ominibus; sed ii proficiscantur, in quibus non offendatur Antonius. Quod si de Antonio non laboratis, mihi certe, Patres conscripti, consulere debetis. Parcite oculis saltem meis, et aliquam veniam iusto dolori date. Quo enim adspectu videre potero (mitto hostem patriae, ex quo

Bellum lateret) Gruter. e MSS. addidit *reipublicae*.

Sic me iniquum) *Inimicum* MS. Guelf. Sed verum est et proprium in hac formula *iniquum*.

Eiurabant) Eiurare, est iureiurando recusare aliquem, ut sibi iniquum et suspectum. FERR.

Liberales esse coepimus) Mittendis iterum legatis. ID.

mihi odium in illum commune vobiscum est), sed quomodo adspiciam mihi uni crudelissimum hostem, ut declarant eius de me acerbissimae conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adspicere possim? qui nuper, quum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audacissimi videbantur, mea bona donare se dixit Petissio Vrbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa proiectus est. An L. Antonium adspicere potero? cuius ego crudelitatem effugere non potuissem, nisi me moenibus et portis et studio municipii mei defendissem. Atque idem hic mirmillo Asiaticus, la[illegible] Italiae, collega Lentonis et Nuculae, quum Aquilae primipili nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit. Si enim de suis dixisset, ne aquilam quidem ipsam credituram putavit. Non ferent, non ferent, inquam, oculi Saxam, Caphonem, non duos praetores, non tribunum plebis, non duo designatos tribunos, non Bestiam, non Trebellium, non Plancnm. Non possum animo aequo videre tot, tam importunos, tam sceleratos hostes; nec id fit fastidio meo, sed caritate reipublicae.

IX. Sed vincam animum, mihique imperabo; dolorem iustissimum, si non potero frangere, occultabo. Quid? vitae censetisne, Patres conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quae mihi quidem minime cara est, praesertim quum Dolabella fecerit, ut optanda mors esset, modo sine cruciatu atque tormentis; vobis tamen, et populo romano vilis esse

Aquilae primipili) Ludit in ambigua voce *Aquilae*, quae centurionis nomen erat, et totius legionis. Gr.

Non ferent) Alterum *non ferent* Ern. addidit e MSS. Huydec.

Quum Dolabella fecerit) Dolabella, interfecto crudeliter Trebonio, effecit ut optabilis mors esset sine cruciatibus. Ferr.

spiritus meus non debet. Is enim sum, nisi me forte fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam, quae plurima adii propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obstarem reipublicae: ne quid arrogantius videar dicere.

Quod quum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis? Hic quum essem in urbe ac domi, tamen multa saepe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universae civitatis oculi custodiunt. Quid censetis, quum iter ingressus ero, longum praesertim? nullasne insidias pertimescendas? Tres viae sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi romani, D. Brutum, adspicere possim: cuius in complexu libenter extremum vitae spiritum ediderim, quum omnes actiones horum mensum, omnes sententiae meae pervenerint ad eum, qui mihi fuit propositus, exitum. Tres ergo, ut dixi, viae: a supero mari, Flaminia; ab infero, Aurelia; media, Cassia. Nunc, quaeso, attendite, num aberret coniectura suspicio periculi mei. Etruriam discriminat Cassia. Scimusne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Caesennii septemviralis auctoritas? Nobiscum nec animo certe est, nec corpore. Si autem aut domi est, aut non longe a domo, certe in Etruria est, id est, in via. Quis igitur mihi praestat, Lento-

Vt non obstarem) Sic recte Lambin. Ern. Vulgo *obstarent*.

Horum mensum) Sic e MSS. Murel. Graev. Vulgo *mensium*.

Num aberret coniectura) Vulgo *a coniectura*. Male. Ernestius coniiciebat *num aberret a coniectura vestra suspicio p. m.* Sed verum est *aberret coniectura*. Sic de Natura Deor. I, 36, quum dixisset, vituperatos esse eos qui *suspicati* sint esse naturam divinam addit: *Qui etiam si aberrant coniectura*.

Septemviralis auctoritas) Vnus septemvirum, qui ab Antonio dividendis agris praefecti fuerant. Cael. Sec.

Nec corpore) Abhinc iterum deficit Cod. Vatic. usque ad finem huius orationis.

nem uno capite esse contentum? Dic mihi praeterea, Pansa, Ventidius ubi sit, cui fui semper amicus, antequam ille reipublicae bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus. Possum Cassiam vitare, tenere Flaminiam. Quid, si Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit? poterone Ariminum tuto accedere? Restat Aurelia. Hic quidem etiam praesidia habebo; possessiones enim sunt P. Clodii. Tota familia occurret, hospitio invitabit, propter familiaritatem notissimam.

X. Hisce ego me viis committam, qui Terminalibus nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non sum ausus? Domesticis me parietibus vix tueor sine amicorum custodiis. Itaque in urbe maneo; si licebit, manebo. Haec mea sedes est, haec vigilia, haec custodia, hoc praesidium stativum. Teneant alii castra, *regant* res bellicas; oderint hostem; nos, ut dicimus, semperque fecimus, urbem et res urbanas vobiscum pariter tuebimur. Neque vero recuso munus hoc: quamquam populum romanum video pro me recusare. Nemo me minus timidus, nemo cautior. Res declarat. Vigesimus annus est, quum omnes scelerati me unum petunt. Itaque ipsi, ne dicam mihi, reipublicae poenas dederunt: me salvum adhuc respublica conservavit sibi. Timide hoc dicam: scio enim quidvis homini accidere posse; verumtamen semel circumseptus lectis valentissimorum hominum viribus

Vno capite esse contentum) sola morte esse contentum: non autem me cum cruciatu interficere velle, ut Dolabella Trebonium. Fern.

Habebo) Ironice scilicet.

Terminalibus) Die, qui Termino deo dicatus erat, XI nimirum Calendas Martii, de quo Ovid. II Fast. Carl. Sec.

Regant res bellicas) Ita correxi vulg. *teneant alii castra, regna, res bellicas.*

Oderint) Faërnus e coniectura, *fuderint*, idque Lambino placuit. Wartenburg coni. *viderint.*

Semel circumseptus) Clodianis temporibus. Ita correxit Faërnus, probantibus Manutio et Ernestio. Vulgo *circumsessus.*

cecidi sciens, ut honestissime possem exsurgere. Possumne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto, tamque periculoso commisero? Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpae reprehensionem, et stultitiae vituperationem relinquere. Quis bonus non luget mortem Trebonii? quis non dolet interitum talis et civis et viri? At sunt, qui dicant (dure illi quidem, sed tamen dicunt); minus dolendum, quod ab homine impuro nefarioque non caverit. Etenim qui multorum custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere. Quum septus sis legibus, et iudiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias praesidia quaerenda. Quis enim audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? Haec neque hoc tempore, neque in me valent. Non modo enim poenam non extimescet, qui mihi vim attulerit, sed etiam gloriam sperabit a latronum gregibus, et praemia.

XI. Haec ego in urbe praevideo; facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit. Num idem in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiamsi non erunt insidiae, quae facillime esse poterunt, animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit de officiis legationis attendere. Sed effugi insidias; perrupi Apenninum. Nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est. Quinam locus capietur? Si extra castra, ceteri viderint; ego mortem actutum futuram puto. Novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. Cuius acerbitas morum, immanitasque naturae, ne vino quidem permista temperari solet: hic ira dementiaque inflammatus, adhibito fratre Lucio, teterrima

bellua, nunquam profecto a me sacrilegas manus atque impias abstinebit. Memini colloquia et cum acerrimis hostibus, et cum gravissime dissentientibus civibus. Cn. Pompeius, Sexti filius, consul, me praesente, quum essem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio Scatone, duce Marsorum, inter bina castra colloquutus est. Quo quidem memini Sex. Pompeium, fratrem consulis, ad colloquium ipsum Roma venire, doctum virum atque sapientem. Quem quum Scato salutasset, Quem te appellem? inquit. At ille: Voluntate hospitem, necessitate hostem. Erat in illo colloquio aequitas; nullus timor, nulla suberat suspicio; mediocre etiam odium. Non enim, ut eriperent nobis socii civitatem, sed ut in eam reciperentur, petebant. Sulla cum Scipione inter Cales et Teanum, quum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate senatus, de suffragiis populi, et de iure civitatis, leges inter se, conditionesque contulerunt. Non tenuit omnino colloquium illud fidem: a vi tamen periculoque abfuit. Possumusne igitur in Antonii latrocinio aeque esse tuti? Non possumus; aut, si ceteri possunt, me posse diffido.

XII. Quod si non extra castra congrediemur, quae ad colloquium castra sumentur? In nostra ille nunquam veniet: multo minus nos in illius. Reliquum est,

Gravissime) Aliquot MSS. ut Langii *acerbissime*.

Scatone) Appian. et Vellei. Pat. *Catonem* appellant.

De suffragiis) populi, quibus non admisceri libertinos, sed in quatuor tantum urbanis tribubus, ut antea, suffragium ferre, Sulla volebat: Mariani contra, suffragii lationem eis esse in omnibus XXXV tribubus. MAN.

Conditionesque, contulerunt) Sic Ferrar. Lambin. Ern. Vulgo olim legis *inter se conditione, contulerunt*. Gruter. et Graev. *leges inter se, conditiones, contulerunt*.

Non tenuit omnino colloquium illud fidem) Quia Scipionis exercitus, a Sulla corruptus, ducem suum reliquit: quem tamen Sulla, quum posset interficere, dimisit incolumem. Epitome, lib. LXXXV; Plutarchus in Sulla.

ut et accipiantur et remittantur postulata per literas. Ergo erimus in castris. Mea ad omnia postulata una sententia: quam quum hic, vobis audientibus, dixero, isse et redisse me putatote; legationem confecero. Omnia ad senatum mea sententia reiiciam, quaecumque postulabit Antonius. Neque enim licet aliter, neque permissum est nobis ab hoc ordine, ut bellis confectis, decem legatis permitti solet more maiorum: neque ulla omnino a senatu mandata accepimus. Quae quum agam in consilio, nonnullis, ut arbitror, repugnantibus, nonne metuendum est, ne imperita militum multitudo per me pacem distineri putet? Facite, hoc meum consilium legiones novas non improbare. Nam Martiam, et quartam, nihil cogitetis, praeter dignitatem et decus, comprobaturas esse: certo scio. Quid? veteranos non veremur? nam timeri se, ne ipsi quidem volunt. Sed quonam modo accipient severitatem meam? Multa enim falsa de me audierunt; multa ad eos improbi detulerunt. Quorum commoda, ut vos optimi testes estis, semper ego sententia, auctoritate, oratione firmavi: sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriam rerum, quas gesserunt pro populi romani libertate, et salute reipublicae, nimis feroces, et ad suam vim omnia nostra consilia revocantes. Horum ego cogitationem non vereor; impetum pertimesco. Haec quoque pericula tanta si effugero, satisne tutum reditum putatis fore? Quum

Postulabit) MS. Huydec. *postulavit*, unde Ern. coni. *postularit*.

Decem legatis) Qui mittebantur, ut victis gentibus leges darent, eaque regio, quae redacta armis esset in populi romani potestatem, provinciae formam acciperet. Nobis, inquit, non idem, quod illis permissum est: sed nostra sententia nihil constituere, ad senatum reiicere omnia debemus. MAN.

Cogitationem) Sic MS. Ferrar. et Guelf. Huydec. Vulgo olim *cogitationes*.

enim et vestra auctoritate et meo me more defendero, et meam fidem reipublicae constantiamque praestitero: tum erunt mihi non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam, qui invident, extimescendi. Custodiatur igitur mea vita reipublicae, eaque, quoad vel dignitas vel natura patietur, patriae reservetur: mors autem necessitatem habeat fati, aut, si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria. Haec quum ita sint, etsi hanc legationem respublica, ut levissime dicam, non desiderat; tamen, si tuto licebit ire, proficiscar. Omnino, Patres conscripti, totum huiusce rei consilium non periculo meo, sed utilitate reipublicae metiar. De qua mihi, quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto, idque potissimum faciendum, quod maxime interesse reipublicae iudicavero.

Vt levissime dicam) Possem dicere: Reiicit, odit, utpote quae damnum potius, quam fructum afferret: sed hoc tantum dico: Non desiderat, quasi minime necessariam. MAN.

Multum etiam) MS. Vrsin. *dumque mihi liberum est, multo etiam.*—

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA TERTIADECIMA

I.

A principio huius belli, Patres conscripti, quod cum impiis civibus, consceleratisque hominibus, suscepimus, timui, ne conditio insidiosa pacis, libertatis recuperandae studia restingueret. Dulce enim etiam nomen est pacis; res vero ipsa quum iucunda, tum salutaris. Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordiae, quem caedes civium, quem bellum civile delectat; eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto. Itaque sive Sulla, sive Marius, sive uterque, sive Octavius, sive Cinna, sive iterum Sulla, sive alter Marius, et Carbo, sive quis alius civile bellum optavit, eum detestabilem civem reipublicae natum iudico. Nam quid ego de proximo dicam, cuius acta defendimus, quum ipsum iure caesum fateamur? Nihil igitur hoc cive, nihil hoc homine tetrius: si aut civis,

Consceleratisque hominibus) Olim edebatur *sceleratisque*. Muret. Graev. e MSS. *consceleratisque*. Sed Ernestius vidit addendum esse *hominibus*.

Nec libertatis iura cara habere potest) Graev. e cod. Vatic. edidit: *nec publicas leges videtur nec libertatis iura cara habere*. Vulgatum ut multo gravius praetulit Ern. cui tamen *potest* videbatur numerosius post *publicas leges* collocari.

De proximo) scil. Caesare.

Quum ipsum) *Quum auctorem ipsum* Muret. Graev. e cod. Vatic.

Hoc cive) Antonio.

aut homo habendus est, qui civile bellum concupiscit. Sed hoc primum videndum est, Patres conscripti, cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile: in quo pactio pacis lex sit servitutis. Pacem cum Scipione Sulla sive faciebat, sive simulabat, non erat desperandum, si convenisset, fore aliquem tolerabilem statum civitatis. Cinna si concordiam cum Octavio confirmare voluisset, hominum in republica sanitas remanere potuisset. Proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupiditate Caesar remisisset: et pacem stabilem, et aliquam rempublicam nobis habere licuisset.

II. Hoc vero quid est? cum Antoniis pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? Exempli causa paucos nominavi: genus infinitum, immanitatemque ipsi cernitis reliquorum. Addite illa naufragia Caesaris amicorum, Barbas Cassios, Barbatos, Polliones; addite Antonii collusores et sodales, Eutrapelum, Melam, Caelium, Pontium, Crassicium, Tironem, Mustelam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. Accedunt Alaudae, ceterique veterani, seminarium iudicum tertiae decuriae, qui, suis rebus exhaustis, beneficiis Caesaris devoratis, fortunas nostras concupiverunt. O fidam dexteram Antonii, qua ille plurimos cives trucidavit! o ratum religiosumque foedus, quod cum Antoniis fecerimus! Hoc si Marcus violare conabitur, Lucii eum sanctitas a scelere revocabit. Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi

Bellum inexpiabile) *Expiabile* MS. Guelf. Edd. vett.

Si convenisset) Ita MSS. complures, in his Guelf. Male Lamb. Gothofr. Gruter. *convenissent*.

Hominum in republica) Suspectum est *hominum*. Faërnus malebat *omnino*. Sed hoc minus satisfacit.

Accedunt Alaudae) Vulgo *huc accedunt*. Sed *huc* quum de rebus non de personis dicatur, auctore Ernestio delevi.

locus non erit. Ora vobis eorum ponite, Patres conscripti, ante oculos, * incessum, adspectum, vultum, spiritum; latera tegentes alios, sequentes alios, alios praegredientes amicos. Quam vim anhelitus, quas contumelias fore censetis, minasque verborum? Nisi forte eos pax ista leniet, maximeque, quum in hunc ordinem venerint, salutabunt benigne, comiter appellabunt unumquemque nostrum.

III. Non recordamini, per deos immortales! quas in eos sententias dixeritis? Acta Antonii rescidistis; leges refixistis; per vim et contra auspicia latas decrevistis; totius Italiae delectus excitastis; collegam et socium scelerum omnium, hostem iudicavistis. Cum hoc quae pax potest esse? Si esset externus hostis, tamen id ipsum vix, talibus factis, posset aliquo modo. Maria, montes, regionum magnitudines interessent: odissetis eum, quem non videretis. Hi in oculis haerebunt, et, quum licebit, in faucibus: quibus enim septis tam immanes belluas continebimus? At incertus exitus belli est. Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis, virtutem praestare; tantum enim possunt; fortunae culpam non extimescere. Sed

* *Ora vobis eorum ponite — ante oculos*) Vulgo additur *et maxime Antoniorum*. Recte autem Ernestius monuit hic de solis Antoniis agi, et *eorum* ad eos solos pertinere; ideoque verba *et maxime Antoniorum* e glossatoris adnotatione fluxisse.

Quam vim anhelitus) Codd. nonnulli teste Ferrario, *quem vini anhelitum*. Id receperunt Faërn. Manut. Lamb. Graev. Vulgatum recte defendit Ern.

Totius Italiae delectus) *Delectus* vitiosum esse sensit Ernestius. Aut legendum est *totius Italiae iuventutem delectu excitastis*; aut *totius Italiae delectum instituistis*.

Collegam) Dolabellam, post interfectum Trebonium.

Tamen id ipsum vix) Pax fieri aliquo modo posset, *tamen*, si talia praecessissent facta, qualia et ab Antonio contra senatum, et a senatu contra Antonium, *id ipsum* fieri vix posset. *Anon.*

Tantum enim possunt) Ita cod. Vatic. et MS. Graev. Receperunt Lamb. Graev. Olim *virtute praestare tantum ut possent.*

quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur (quamquam vix videntur haec posse seiungi, seiungamus tamen): fortitudo dimicare iubet, iustum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum. Quid sapientia? cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione protectior. Quid igitur censet? parendum est enim: atque id optimum iudicandum, quod sit sapientissime constitutum. Si hoc praecipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen: quaeram ex ea, etiamne, si erit, quum id fecero, serviendum. Si annuerit: nae ego sapientiam istam, quamvis sit erudita, non audiam. Sin responderit: Tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut posteriora libertate ducas, itaque his uti velis, si libera republica possis; nec pro his libertatem, sed pro libertate haec proiicias, tanquam pignora iniuriae: tum sapientiae vocem audire videar, eique, uti deo, paream. Itaque si, receptis illis, possumus esse liberi, vincamus odium, pacemque patiamur: sin ius, incolumibus his, nullum esse potest, laetemur decertandi oblatam esse fortunam. Aut enim, victis his, fruemur victrice republica, aut oppressi (quod omen avertat Iupiter!), si non spiritu, at virtutis laude vivemus.

Odium incendit) Codd. duo Gulielmiani *intendit*.

Ratione protectior) Ern. malebat *tectior*.

Si libera republica possis) Sic Faërn. Mur. Graev. Ern. e cod. Vatic. Olim male *si liberare rempublicam possis*.

Tanquam pignora iniuriae) Tanquam ea, quae si malis retinere, quam libertatem, iniuste facias. Proiice igitur, quibus proiectis, nullam iam pati iniuriam possumus. FERR.

Sin ius, incolumibus his, nullum esse potest) Edd. pr. *Sin liber vivis his incolumibusque nullus esse potest*. Cod. Vatic. ex eoque Faërn. Muret. Graev. *sin otium his incolumibus nullum esse potest*. Recte autem le-

IV. At enim nos M. Lepidus, imperator iterum, pontifex maximus, optime proximo civili bello de republica meritus, ad pacem adhortatur. Nullius apud me, Patres conscripti, auctoritas maior est, quam M. Lepidi, vel propter ipsius virtutem, vel propter familiae dignitatem. Accedunt eodem multa privata, magna eius in me merita, ac mea quaedam in illum officia. Maximum vero eius beneficium numero, quod hoc animo in rempublicam est: quae mihi vita mea semper fuit carior. Nam quum Magnum Pompeium, clarissimum adolescentem, praestantissimi viri filium, auctoritate adduxit ad pacem, remque publicam sine armis maximo civilis belli periculo liberavit: tum me eius beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto. Itaque ei et honores decrevi, quos potui amplissimos, in quibus vos mihi estis assensi; nec unquam de illo et sperare optime et loqui destiti. Magnis et multis pignoribus M. Lepidum respublica illigatum tenet; summa nobilitas est hominis, summi honores, amplissimum sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, fratris, maiorumque monumenta; probatissima uxor, optatissimi liberi, res familiaris quum ampla, tum casta a cruore civili; nemo ab eo civis violatus, multi eius beneficio et misericordia liberati. Talis igitur vir et civis opinione labi potest, voluntate a republica dissidere nullo pacto potest. Pacem vult M. Lepidus. Praeclare; si talem potest efficere, qualem nuper effecit; qua pace Cn. Pompeii filium respublica adspiciet, suoque sinu complexuque recipiet; neque solum illum, sed cum

ctionem multorum MSS. *sin ius* defendit Ern. quam postulat vis oppositionis.

Quos potui) *Quam potui* edd. vett. Sed Faërn. Graev. it. Ern. e cod. Guelf. et Huyd. *quos potui.*

Cn. Pompeii filium) Sex. Pompeium.

illo se ipsam sibi restitutam putabit. Haec causa fuit, cur decerneretis statuam in rostris cum inscriptione praeclara: cur absenti triumphum. Quamquam enim magnas res bellicas gesserat, et triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum, quod nec L. Aemilio, nec Aemiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompeio, qui maiora bella gesserunt: sed, quod silentio civile bellum confecerat, ut primum licuit, honores in eum maximos contulistis.

V. Existimasne igitur, M. Lepide, qualem Pompeium respublica habitura sit civem, tales futuros in republica Antonios? In altero pudor, gravitas, moderatio, integritas: in illis (et qnum hos compello, praetereo animo ex grege latrocinii neminem), libidines; scelera, ad omne facinus immanis audacia. Deinde obsecro vos, Patres conscripti, quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quae dicitur caeca, vidit? Salvis enim actis Caesaris, quae concordiae causa defendimus, Pompeio sua domus patebit; eamque non minoris, quam emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeii domum filius. O rem acerbam! Sed haec satis diu multumque defleta sunt. Decrevistis tantam pecuniam Pompeio, quantam ex bonis patriis in praedae dissipatione inimicus victor redegisset. Sed hanc mihi dispensationem, pro paterna

Vt primum licuit) Sic Ern. Graev. Faërn. *cum primum*. Alii *primum ut*.

Praetereo animo) Hoc restituit Ern. ex edd. vet. et codd. MSS. Vulgo *omnino*.

Sua domus patebit) In hoc loco haesit Ernestius putavitque legendum: *Pompeio sua domus non patebit*. Sed hac correctione facile caremus. Sensus est: Quod salvis actis Caesaris fieri non posset, quae defendimus, id nunc fortuna ipsa adiuvante fiet: *Pompeio sua domus patebit*, sed ita fit eam redimat pecunia *publica*. Sic utique id fiet salvis Caesaris actis, quibus Pompeii bona proscripta erant. Ernestii coniecturae prorsus repugnat locus, cap. 5 extr. « *Mihi quidem — ut actis Caesaris firmis ac ratis — recuperare* ».

Dispensationem) Tantum pecuniae decretum fuerat a senatu Pompeio,

necessitudine et coniunctione, deposco. Redimet hortos, aedes, urbana quaedam, quae possidet Antonius. Nam argentum, vestem, supellectilem, vinum amittet aequo animo, quae ille helluo dissipavit. Albanum, Firmanum a Dolabella recuperabit; etiam ab Antonio Tusculanum. Hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident, de Falerno Anseres depellentur. Sunt alii plures fortasse; sed mea memoria dilabuntur. Ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt, Pompeianas possessiones, quanti emerint, filio reddituros. Satis inconsiderati fuit, ne dicam audacis, rem ullam ex illis attingere. Retinere vero quis poterit, clarissimo domino restituto? An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeii servus, libertus Caesaris, agri Lucani possessiones occupavit? Atque illud septies millies, quod adolescenti, Patres conscripti, spopondistis, ita describetur, ut videatur a vobis Cn. Pompeii filius in patrimonio suo collocatus. Haec senatus. Reliqua populus romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur: in primis paternum auguratus locum,

quantum redegisset Caesar ex venditione eorum bonorum; sibi Cicero petebat hoc munus solvendae Pompeio pecuniae. Fern.

De Falerno Anseres) Alludit ad cognomen hominis, qui illud praedium acceperat, Antonii Anseris poëtae, qui cum Antonio erat in castris ad Mutinam. Ern. — *De Falerno Anseres*) Fundo Cn. Pompeii quem Antonius poëtae cuidam, qui Anser vocabatur, eratque cum ipso Antonio in castris, dono dedit. *Servius*. Man. Anseribus non facile quidquam edacius invenitur, inquit S. Augustinus lib. contra epist. Manich. cap. 35. An haec fortasse ratio est cur Antonianos, qui Pompeii in agro Falerno villas possessionesque obtinebant, *Anseres* nominet Cicero? *Anon.*

An is non reddet) Opinantur hic notari Demetrium, Pompeii servum, qui hero trucidato, muneribus placavit Caesarem, et inter eius libertos numerari obtinuit. Eius de insolentia quaedam refert Plutarchus in Pompeio. *Anon.*

Spopondistis) Non, spopondistis illud septies millies adolescenti: sed, quod vos esse facturos adolescenti spopondistis. Refertur enim ad illud, *ita describite*. Man.

in quem ego eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Vtrum igitur augurem Iovis optimi maximi, cuius interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus romanus libentius sanciet, Pompeium an Antonium? Mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluisse, ut, actis Caesaris firmis ac ratis, Cn. Pompeii filius posset et dignitatem et fortunas patrias recuperare.

VI. Ac ne illud quidem silentio, Patres conscripti, praetereundum puto, quod clarissimi viri legati, L. Paullus, Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in rempublicam, eamque perpetuam atque constantem, nuntiant, se Pompeii conveniendi causa devertisse Massiliam, eumque cognovisse paratissimo animo, ut cum suis copiis iret ad Mutinam, ni vereretur veteranorum animos offendere. Est vero eius patris filius, qui sapienter faciebat non minus multa, quam fortiter. Itaque intelligitis et animum ei praesto fuisse, nec consilium defuisse. Atque etiam hoc M. Lepido providendum est, ne quid arrogantius, quam eius mores ferunt, facere videatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit, illum exercitum, senatus populique romani atque universae reipublicae esse, non suum. At uti potest pro suo. Quid tum? omniane viris bonis, quae facere possunt, facienda sunt? etiamne, si turpia, si perniciosa erunt? si facere omnino non licebit? Quid autem turpius aut foedius, aut quid minus deceat, quam contra senatum, contra cives, contra patriam exercitum ducere?

Praetereundum puto) Sic plerique codd. MSS. In nonnullis edd. *praetermittendum*.

Aut foedius) Ern. malebat *ac foedius*.

Aut quid) Sic Ern. ex edd. pr. et MS. Guelf. Vulgo *quod*.

quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? Licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: si quidem licere dicimus, quod legibus, quod more maiorum institutisque conceditur. Neque enim, quod quisque potest, id ei licet; nec, si non obstatur, propterea etiam permittitur. Tibi enim exercitum, Lepide, tanquam maioribus tuis, patria pro se dedit. Hoc tu arcebis hostem, fines imperii propagabis; senatui populoque romano parebis, si quam ad aliam rem te forte traduxerit.

VII. Haec si cogitas, es, M. Lepide, pontifex maximus, M. Lepidi, pontificis maximi, pronepos. Sin hominibus tantum licere iudicas, quantum possunt, vide, ne alienis exemplis, iisque recentibus, uti, quam et antiquis et domesticis malle videare. Quod si auctoritatem interponis sine armis, magis equidem laudo; sed vide, ne hoc ipsum non sit necesse. Quamquam enim est tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo, tamen senatus se ipse non contemnit; nec vero fuit unquam gravior, constantior, fortior. Incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam; non potest ullius auctoritate tantus senatus populique romani ardor exstingui; odimus; irati pugnamus; extorqueri de manibus arma non possunt; receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus; speramus optima; pati vel difficillima malumus, quam servire. Caesar confecit invictum exercitum; duo fortissimi consules adsunt cum copiis; L. Planci, consulis designati, varia et magna auxilia non desunt; de D. Bruti salute certatur. Vnus furiosus gladiator cum teterrimorum latronum manu, contra patriam, contra deos penates, contra aras et focos,

Exstingui) Vrsinus malebat *restingui*.

contra quatuor consules gerit bellum. Huic cedamus? huius conditiones audiamus? cum hoc pacem fieri posse credamus?

VIII. At periculum est, ne ab hoc opprimamur. Non metuo, ne is, qui suis amplissimis fortunis, nisi nobis salvis, frui non potest, prodat salutem suam. Bonos cives primum natura efficit, adiuvat deinde fortuna. Omnibus enim bonis expedit, salvam esse rem publicam. Sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet. Quis fortunatior Lepido, ut ante dixi? quis eodem sanior? Vidit eius moestitiam atque lacrymas populus romanus Lupercalibus; vidit, quam abiectus, quam confectus esset, quum Caesari diadema imponens Antonius, servum se illius, quam collegam esse malebat. Qui si reliquis flagitiis et sceleribus se abstinere potuisset, tamen unum ob hoc factum, dignum illum omni poena putarem. Nam, si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat? et, si eius pueritia pertulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni, etiamne in nostros liberos dominum et tyrannum comparabat? Itaque illo interfecto, qualem eum in nos esse voluit, talis ipse in ceteros exstitit. Qua enim in barbaria quisquam tam teter, tam crudelis tyrannus, quam in hac urbe armis barbarorum stipatus Antonius? Caesare dominante veniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto. Hoc archipirata (quid enim dicam tyranno?) haec subsellia ab Ityreis occupabantur. Prorupit subito Brundisium, ut

Quatuor consules) Nempe duos huius anni Hirtium et Pansam, duos designatos D. Brutum et Plancum. ERN.

Nisi nobis salvis) Ferrar. e cod. Laug. *bonis*, cod. Guelf. *vobis*.

In ceteros exstitit) Ernestius *ceteros* intelligebat eos, qui essent extra urbem. Sed quum statim exemplum tyrannidis Antonii afferat in senatu declaratum, *ipse in ceteros* idem est ac *ipse in alios*; nam Caesare vivo eum Antonius tam sibi quam aliis tyrannum imposuerat.

inde, agmine quadrato, ad urbem accederet; lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum, Suessam, fortissimorum militum sanguine implevit; Brundisii, in sinu, non modo avarissimae, sed etiam crudelissimae uxoris, delectos Martiae legionis centuriones trucidavit. Inde se quo furore, quo ardore, ad urbem, id est, ad caedem optimi cuiusque, rapiebat!

IX. Quo tempore dii immortales ipsi praesidium improvisum nec opinantibus nobis obtulerunt. Caesaris enim incredibilis ac divina virtus latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit: quem tum ille demens laedere se putabat edictis, ignorans, quaecumque falso diceret in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiae suae. Ingressus urbem est, quo comitatu, vel potius agmine! quum dextra, sinistra, gemente populo romano, minaretur dominis, notaret domos, divisurum se urbem palam suis polliceretur. Rediit ad milites; ibi pestifera illa Tiburi concio. Inde ad urbem cursus; senatus in Capitolium; parata de circumscribendo adolescente sententia consularis: quum repente (nam Martiam legionem Albae consedisse sciebat) affertur ei de quarta nuntius. Quo perculsus, abiecit consilium referendi ad senatum de Caesare. Egressus est non viis, sed tramitibus, paludatus; eoque die ipso innumerabilia senatusconsulta fecit; quae quidem omnia citius delata, quam scripta sunt. Ex eo non iter, sed cursus et fuga in Galliam. Caesarem sequi arbitrabatur cum legione Martia, cum quarta, cum veteranis; quorum ille nomen prae metu ferre non poterat; eique in Galliam penetranti, D. se

Caesaris) scil. Octaviani.

Delata, quam) Olim erat *lecta*, quod Grulerus retinuit. Sed cod. Laug. et Gnelf. *delata* quod receperunt Ferrar. Graev. Ern. — Forte etiam legendum, *lata*. AMAR.

Brutus obiecit; qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamque illi exsultanti, tanquam frenos furoris iniecit. Quam quum operibus munitionibusque sepsisset, nec eum florentissimae coloniae dignitas, neque consulis designati maiestas a parricidio deterreret: tum, me (testor et vos, et populum romanum, et omnes deos, qui huic urbi praesident) invito et repugnante, legati missi tres consulares ad latronem M. Antonium, gladiatorum ducem. Quis tam barbarus unquam? tam immanis? tam ferus? Non audivit; non respondit: neque eos solum praesentes, sed multo magis nos, a quibus illi erant missi, sprevit, et pro nihilo putavit. Postea, quod scelus, quod facinus parricida non edidit? circumsedit colonos vestros, exercitum populi romani, imperatorem, consulem designatum; agros divexat civium optimorum; hostis teterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur. Cum hoc, M. Lepide, pax esse quae potest? cuius ne supplicio quidem ullo satiari videtur posse populus romanus.

X. Quod si quis adhuc dubitare potuit, quin nulla societas huic ordini populoque romano cum illa importunissima bellua possit esse: desinet profecto dubitare, his cognitis literis, quas mihi missas ab Hirtio consule modo accepi. Eas dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim, Patres conscripti, ut adhuc fecistis, me attente audiatis. *Antonius Hirtio et Caesari.* Neque se imperatorem dicit, neque Hirtium consulem, nec pro praetore Caesarem. Satis hoc quidem scite. Deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere. *Cognita morte C.*

Desinet profecto) Recte sic Ernestius, quia praecessit *potuit*. Vulgo *desinat*.

Se imperatorem dicit) Vulgo abest *dicit*, quod auctore Ernestio inserui.

Trebonii, non plus gavisus sum, quam dolui. Videte, quid se gavisum, quid doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis. *Dedisse poenas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, et apparuisse numen deorum intra finem anni vertentis, aut iam soluto supplicio parricidii, aut impendente, laetandum est.* O Spartace! quem enim te potius appellem? cuius propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina: laetandum esse, ausus es scribere, Trebonium dedisse poenas? sceleratum Trebonium? quo scelere, nisi quod te Idibus Martiis a debita tibi peste seduxit? Age, hoc laetaris: videamus, quid moleste feras. *Hostem iudicatum hoc tempore Dolabellam, eo quod sicarium occiderit, et videri cariorem populo romano filium scurrae, quam C. Caesarem, patriae parentem, ingemiscendum est.* Quid ingemiscis hostem Dolabellam iudicatum? Quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, consulibus missis, Caesare ornato, sagis denique sumptis, hostem iudicatum? Quid est autem, scelerate, quod gemas, hostem Dolabellam iudicatum a senatu, quem tu ordinem omnino esse nullum putas? sed eam tibi causam belli gerendi proponis, ut senatum funditus deleas, reliqui boni et locupletes omnes summum ordinem subsequantur. At scurrae filium appellat. Quasi vero ignotus nobis fuerit splendidus eques romanus, Trebonii pater. Is autem humilitatem despicere audet cuiusquam, qui ex Fadia sustulerit liberos?

Aut iam soluto — impendente) Glossatoris notam esse suspicatus est Ernestius. Si genuina sunt Antonius dicere voluit, Caesaris caedem partim in Trebonio punitam esse, partim in reliquis interfectoribus punitum iri.

Seduxit) Ep. ad Trebonium, lib. X: *Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor.* Man.

Qui ex Fadia) Optimam hanc

XI. *Acerbissimum vero est, te, A. Hirti, ornatum esse beneficiis Caesaris, et talem ab eo relictum, qualem ipse miraris.* Equidem negare non possum, a Caesare Hirtium ornatum; sed illa ornamenta, in virtute et industria posita, lucent. Tu vero, qui te ab eodem Caesare ornatum negare non potes, quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, vino, tempus aetatis omne consumpsisses, ut faciebas, quum in gremiis mimarum, mentum mentemque deponeres. *Et te, o puer...* Puerum appellat, quem non modo virum, sed etiam fortissimum virum sensit et sentiet. Est istuc quidem nomen aetatis, sed ab eo minime usurpandum, qui suam amentiam puero huic praebet ad gloriam. *qui omnia eius nomini debes.....* Debet vero, solvitque praeclare. Si enim ille patriae parens est, ut tu appellas (ego, quid sentiam, videro): cur non hic parens verior, a quo certe vitam habemus, e tuis facinorosissimis manibus ereptam?..... *id agere, ut iure damnatus sit Dolabella?* Turpem vero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam! *et ut venefica haec liberetur obsidione?* Veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare. Recesseris: undique omnes insequentur. Manseris: haerebis. Nimirum recte veneficam appellas, a quo tibi praesentem

Ferrarii emeodalioocm receperunl omnes. In MSS. eral *ex eadem*, vel *ex ea die*.

Ecquo genus) Vrsinus malebat *ingenium*. Recte opinor: sicul aole dicebantur *ornamenta in virtute et industria posita*.

Si quis acutior) Ironia. Vocal aotem Anoibalem, qoia ille etiam inter montium angustias a Fabio Dictatore circumsessus, vix inde se explicaverat. Ferr.

pestem vides comparatam. *Vt quam potentissimus sit Cassius atque Brutus?* Putes Censorinum dicere, aut Ventidium, aut etiam ipsos Antonios. Cur autem nolint potentes esse, non modo optimos et nobilissimos viros, sed tecum etiam in reipublicae defensione coniunctos? *Nimirum eodem modo haec adspicitis, ut priora;* quae tandem? *castra Pompeii senatum appellatis.*

XII. An vero tua castra potius senatum appellaremus? in quibus tu videlicet consularis, cuius totus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus; duo praetores sine causa diffisi, se aliquid habituros: nos enim Caesaris beneficia defendimus; praetorii, Philadelphus Annius, et innocens Gallius: aedilicii, corycus laterum et vocis meae Bestia, et fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius, et homo diruptus dirutusque, Q. Caelius, columenque amicorum Antonii, Cotyla Varius; quos Antonius deliciarum causa loris in convivio caedi iubebat a servis publicis; septemvirales, Lento, Nucula; tum deliciae atque amores populi romani L. Antonius; tribuni primum duo designati, Tullus Hostilius, qui suo iure in porta nomen inscripsit; qui quum prodere imperatorem suum non posset, reliquit. Alter est designatus,

Vt priora) Eodem modo sinitis potentes fieri Brutum et Cassium, quo Dolabellam hostem iudicari a senatu passi estis. Ib.

Coricus laterum — Bestia) In *Coricus* vel latet nomen *Vopiscus*; cur enim hunc inter aedilicios istos omittat, supra XI, 5 nominatum? vel legendum *Corycus*, ut *Corycus laterum et vocis meae* sit i. q. *in quo defendendo olim latera et vocem satis exercui.* Nam eum quinquies a se defensum esse supra memoravit. Tum autem legerem: *Corycus laterum et vocis meae Vopiscus, et Bestia. Corycus* (κωρυκος) erat saccus suspensus, farina aut arena repletus, in quo impellendo et movendo exercebantur athletae. Pro *Coricus* nonnulli habent *C. Oricus.*

In porta nomen inscripsit) Quae Hostilia dicebatur. Iure igitur quodam suo in porta nomen suum inscripsit. MAN.

Imperatorem suum) Caesarem adolescentem, aut D. Brutum potius, quam Hirtium. Ib.

Viseius nescio qui, fortis (ut aiunt) latro; quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem.

XIII. Sequuntur alii, tribunicii, T. Plancus in primis: qui si senatum dilexisset, nunquam curiam incendisset. Quo scelere damnatus, in eam urbem rediit armis, e qua excesserat legibus; sed hoc ei commune cum plurimis dissimillimis. Illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet: perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. Fracta sunt, et vivit. Hoc tamen, ut alia multa, Aquilae fertur acceptum. Est etiam ibi Decius, ab illis, ut opinor, Muribus Decii. Itaque Caesaris munere, Deciorum quidem, multo intervallo, per hunc praeclarum virum memoria renovata est. Saxam vero Decidium praeterire qui possum, hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum tribunum plebis videremus, quem civem nunquam videramus? Est quidem alter Saserna: sed omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, ut in eorum praenominibus errem. Nec vero Exitius, Philadelphi frater, quaestor, praetermittendus est, ne, si de clarissimo adolescente siluero, invidisse videar Antonio. Est etiam Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Caesaris mortem; mutavit calceos; pater conscriptus

Temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem) locus est in voce *temperantem*. Quum enim dicere videatur σώφρονα, ad balneatorum munus respicit, quorum est aquam temperare. Horatius: *Quo Chium pretio cadum mercemur, quis aquam temperet ignibus.* Mur.

T. Plancus) Tribunus pl. fuit Plancus, quo anno Clodius a Milone occisus est: auctorque fuit, ut Clodii corpus in curia plebs cremaret: quo incendio curia quoque ipsa conflagravit. Eo crimine lege Pompeia de vi damnatum Caesar restituit. Phil. x, xi. Man.

Dissimillimis) Pigh. Annal. pag. 418 conj. *sibi simillimis.*

Illud tamen verum) Ernestius malebat *proprium.*

Aquilae fertur acceptum) Qui enim fracto crure Pollentia expulit. Philipp. XI, 6. Manut.

repente factus est. Non novi Sex. Albedium; sed tamen neminem tam maledicum offendi, qui illum negaret dignum Antonii senatu. Arbitror me aliquos praeteriisse; de iis tamen, qui occurrebant, tacere non potui.

XIV. Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit; in quo decem fuimus consulares: qui si omnes viverent, bellum omnino hoc non fuisset; auctoritati cessisset audacia. Sed quantum praesidii fuerit in ceteris, hinc intelligi potest, quod ego unus relictus e multis, contudi et fregi, adiuvantibus vobis, exsultantis praedonis audaciam. Quod si fortuna nobis modo non eripuisset Ser. Sulpicium, eiusque collegam ante, M. Marcellum: quos cives? quos viros? si duos consules, amicissimos patriae, simul ex Italia eiectos; si L. Afranium, summum ducem; si P. Lentulum, civem quum in ceteris rebus, tum in salute mea singularem; si Bibulum, cuius est in rempublicam merito semper laudata constantia; si L. Domitium, praestantissimum civem; si Appium Claudium, pari nobilitate et voluntate praeditum; si P. Scipionem, clarissimum virum, maiorumque suorum simillimum, respublica tenere potuisset: certe, his consularibus, non esset Pompeianus despiciendus senatus. Vtrum igitur aequius, utrum melius reipublicae fuit, Cn. Pompeium, an sectorem Cn. Pompeii vivere Antonium? Qui vero praetorii? quorum princeps M. Cato, idemque omnium gentium virtute princeps. Quid reliquos clarissimos viros commemorem? Nostis omnes. Magis vereor, ne longum me in enumerando, quam ne ingratum in praetereundo putetis. Qui aedilicii?

Consules) C. Marcellum, L. Lentulum, Pompeii comites, urbem primum, deinde Italiam relinquentis. MAN. — *Qui vero praetorii*) *Quid vero* Vrsin. e MS.

qui tribunicii? qui quaestorii? Quid multa? talis senatorum et dignitas et multitudo fuit, ut magna excusatione opus iis sit, qui illa in castra non venerunt.

XV. Nunc reliqua attendite. *Victum Ciceronem ducem habuistis.* Eo libentius *ducem* audio, quod certe ille dicit invitus: nam de victo nihil laboro. Fatum enim meum est, sine republica nec vinci posse, nec vincere. *Macedoniam munitis exercitibus.* Et quidem fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat, extorsimus. *Africam commisistis Varo bis capto.* Hic cum C. fratre putat se litigare. *In Syriam Cassium misistis.* Non igitur sentis, huic causae orbem terrae patere; te, extra munitiones tuas, vestigium ubi imprimas, non habere? *Cascam tribunatum gerere passi estis?* Quid? ergo ut Marullum, ut Caesetium, a republica removeremus eum, per quem, ut neque idem hoc posthac, neque multa huiusmodi accidere possent, consequuti sumus? *Vectigalia Iuliana Lupercis ademistis.* Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est, obrutus vino, unguentis oblitus, nudus, gementem populum romanum ad

Varo bis capto) Quintilium Varum bis ceperat Caesar: primum Corfinii cum L. Domitio, deinde in Africa, cui provinciae praefuerat. Vide Orat. pro Ligario. FERR.

Orbem terrae patere) Sic Vrsinus legit in cod. vet. Et praetulit Lambinus vulgato *parere*.

Cascam) Servilium Cascam, unum e Caesaris percussoribus. MAN.

Quid? ergo — removeremus) Ita melius interpunxi. Vulgo *quid ergo? ut Marullum, ut Caesetium a republica removeremus, eum*, etc. Sensus est: *Quid? ergo nos, ut Caesar olim Marullum et Caesetium ob detractam statuae Caesaris fasciam tribunatu movit, nos Cascam a republica removeremus.*

Vt Marullum, ut Caesetium) Tribunos pl. quos Caesar a rep. removerat, quia quum statuae suae coronam lauream fascia candida praeligatam nescio quis a turba imposuisset, fasciam detrahi, hominemque duci in vincula iussissent. Sueton. Plut. Appian. Dio. MAN.

Vt neque idem hoc) Ne accidere posset id, quod acciderat Marullo, et Caesetio. ID.

Ademistis) Lupercis vectigal Caesar dederat, eo mortuo senatus ademit. ID.

servitutem cohortari? *Veteranorum colonias, deductas lege et senatusconsulto, sustulistis.* Nos sustulimus, an contra lege comitiis centuriatis lata sanximus? Vide ne tu veteranos tamen eos, qui erant perditi, perdideris, in eumque locum deduxeris, ex quo ipsi iam sentiunt se nunquam exituros. *Massiliensibus iure belli adempta reddituros vos, pollicemini.* Nihil disputo de iure belli. Magis facilis disputatio est, quam necessaria. Illud tamen advertite, Patres conscripti, quam sit huic reipublicae natus hostis Antonius, qui tantopere eam civitatem oderit, quam scit huic reipublicae semper fuisse amicissimam.

XVI. *Neminem Pompeianum, qui vivat, tenere lege Hirtia dignitates?* Quisquam iam legis Hirtiae mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum, quam eos, de quibus lata est, poenitere? Omnino, mea quidem sententia, legem illam appellare fas non est; et, ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare. *Apuleiana pecunia Brutum subornastis.* Quid, si omnibus suis copiis excellentem virum respublica armasset? quem tandem bonum poeniteret? nec enim sine pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset. *Securi percussos Paetum et Menedemum, civitate donatos, et hospites Caesaris, laudastis.*

Lege et senatusconsulto) In multis MSS. copula abest.

Lege comitiis centuriatis lata) Sic Ferrar. Vulgo olim *an contra legem comitiis centuriatis latam.*

Illud tamen advertite) Ferrar. e MSS. *animadvertite.*

Neminem) In cod. Vrsini *an nescitis neminem*; quod Ferrario quoque placebat.

Lege Hirtia) Hanc legem tulerat Hirtius tribunus pl. seu praetor, ne Pompeiani magistratus petere possent. Sic etiam Sulla tulerat de proscriptorum filiis: quam tamen legem ne Caesar quidem ipse servavit. FERR.

Dignitates) Ernestius malebat *dignitatem.*

Quisquam iam legis) Vulgo olim *qui quasi iam legis.* Ferrar. *qui quaeso.*

Non debemus illam Hirtii legem putare) Sed Caesaris, cuius eam iussu tulerit Hirtius praetor. FERR.

Non laudavimus, quod ne audivimus quidem. Valde enim nobis in tanta perturbatione reipublicae de duobus nequissimis Graeculis cogitandum fuit. *Theopompum, nudum, expulsum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexistis.* Magnum crimen senatus. De Theopompo, summo homine, negleximus: qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat? *Ser. Galbam eodem pugione succinctum in castris videtis.* Nihil tibi de Galba respondeo, fortissimo et constantissimo cive: coram aderit: praesens tibi et ipse, et ille, quem insimulas, pugio respondebit. *Milites aut meos, aut veteranos contraxistis, tanquam ad exitium eorum, qui Caesarem occiderant. Et eosdem nec opinantes ad quaestoris sui, aut imperatoris, aut commilitonum suorum pericula impulistis.* Scilicet verba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, quarta; nec sciebant veterani, quid ageretur. Non illi senatus auctoritatem, non libertatem populi romani sequebantur; Caesaris mortem ulcisci volebant, quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur; te videlicet salvum, beatum, florentem esse cupiebant. O miser tum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis!

XVII. Sed maximum crimen audite. *Denique quid non aut probavistis, aut fecistis? quid faciat, si reviviscat ....* Quis? credo enim, afferet aliquod scelerati hominis exemplum! *Cn. Pompeius ipse?* O nos turpes, si quidem Cn. Pompeium imitati sumus! *aut filius eius,*

Non laudavimus) Ita recte correxit Ern. Vulgo *laudamus*.

Ser. Galbam) Unum ex iis qui Caesarem occiderant. Sulpitiae gentis, proavum, teste Suetonio, Galbae imperatoris. Eius exstat lib. X ad Ciceronem epistola de proelio ad Mutinam commisso. Ferr.

Quaestoris sui) Quaestor Caesaris Antonius fuerat in Gallia. Phil. II. Id. — *Aut imperatoris*) Dux eorum civili bello fuerat Antonius: cui Pharsalica etiam pugna sinistrum cornu Caesar praebuit. Id.

si domi possit esse? Poterit, mihi crede. Nam paucis diebus et in domum et in hortos paternos immigrabit. *Postremo negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento iuvero*. Alii istuc negent! ego vero, ne si ista quidem feceris, unquam tecum pacem huic civitati futuram puto. *Quid? hoc placetne veteranis istis? quibus adhuc omnia integra sunt.* Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuque offenderint . . . *quoniam vos assentationibus et venenatis muneribus venistis.* Depravati ac corrupti sunt quibus persuasum est, foedissimum hostem iustissimo bello persequi? *At militibus inclusis opem fertis. Nihil moror eos salvos esse, et ire quo iubetis: si tamen patiuntur perire eum, qui meruit.* Quam benigne! denique usi liberalitate Antonii milites imperatorem reliquerunt, et se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, quam Antonius etiam collegae parentasset. *Concordiae factam esse mentionem scribitis in senatu, et legatos esse*

Imitati sumus!) Bene sic Ern. Vulgo *imitaturi*.

Si domi possit esse?) *Esse* addendum erat; vulgo omissum. Vidit Ern.

Alii istuc negent!) Ita Ernestio auctore rescripsi. Vulgo *Alii istuc negant*.

Quibus adhuc omnia integra sunt) Nondum enim contra me in aciem descenderunt: licet iis, utram velint, partem adhuc sequi. Refellit hoc Cicero, et ostendit, iis qui Antonium tanto studio consensuque reliquerint, integra iam omnia non esse: unum quidem illud vere integrum iis esse, ut ipsum Antonium oppugnare incipiant, quem iam transeuntes ad Caesarem *offenderint*. Sic enim lego: non, ut alii, *defenderint*. Quod ad Brutum referri non potest, quem veterani armis defendere nondum coeperant. Nondum enim Mutinam pervenerant. Ferr.

Offenderint) Recte sic plurimi codd. MS. Olim edebatur *defenderint*.

Muneribus) Honoribus, qui exitio vobis erunt. Id.

Ac corrupti sunt) Sic Ern. Edd. pr. *aut corrupti*. Grut. Graev. *an corrupti*.

Imperatorem) D. Brutum. *Reliquerunt*. Ironia. Ferr.

Non Dolabella prius imperatori suo) Non prius Dolabella imperatori suo Caesari Trebonii nece parentasset, quam Antonius eidem Caesari, collegae suo, D. Bruto interfecto. Id.

consulares quinque. Difficile est credere, eos, qui me praecipitem egerint, aequissimas conditiones ferentem, et tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare, aliquid moderate aut humane esse facturos. Vix etiam verisimile est, qui iudicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere posse, idem sentientibus. Parumne videtur omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? nonne cernitis, ex uno fonte omnia scelera manare? Ipse denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam iudicaverint ob rectissimum facinus (ita enim videtur Antonio), sibi parcere, idem sentienti.

XVIII. Quid huic facias, qui haec literis memoriaeque mandarit, ita sibi convenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, et, si posset, etiam Brutum, Cassium, discruciatos necaret, eademque inhiberet supplicia nobis? Conservandus civis cum tam pio iustoque foedere. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas, aequas quidem et verecundas; ut haberet Galliam ultimam, aptissimam ad bellum renovandum instruendumque provinciam; ut Alaudae in tertia decuria iudicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis reipublicae sordibus; ut acta sua rata essent, cuius nullum remanet consulatus vestigium. Cavebat etiam L. Antonio, qui fuerat aequissimus agri privati et publici decempedator, Nucula et Lentone collega. *Quamobrem vos potius animadvertite, utrum sit elegantius, et partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Caesaris; et utrum sit aequius, concurrere nos, quo facilius reviviscat Pompeianorum causa, toties iugulata, an consentire, ne ludibrio simus inimicis.* Si

Inhiberet) Sic edd. pr. et multi MSS. alii olim *adhiberet.*

esset iugulata, nunquam exsurgeret: quod tibi tuisque contingat! *Vtrum*, inquit, *elegantius.* Atqui hoc bello de elegantia quaeritur! *et partibus utilius.* Partes, furiose, dicuntur in foro, in curia. Bellum contra patriam nefarium suscepisti; oppugnas Mutinam; circumsedes consulem designatum; bellum contra te duo consules gerunt, cumque his pro praetore Caesar; cuncta contra te Italia armata est. Istas tu partes potius quam a populo romano defectionem vocas? *Potius Trebonii mortem, an Caesaris persequamur?* Trebonii satis persequuti sumus, hoste iudicato Dolabella; Caesaris mors facillime defenditur oblivione et silentio. Sed videte, quid moliatur. Quum mortem Caesaris ulciscendam putat, mortem proponit non iis solum, qui illam rem gesserunt, sed iis etiam, si qui non moleste tulerunt.

XIX. *Quibus utri nostrum ceciderint, lucro futurum est. Quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone, dimicantes: qui usque eo felix est, ut iisdem ornamentis deceperit vos, quibus deceptum Caesarem gloriatus est.* Pergit in me maledicta, quasi vero ei pulcherrime priora processerint: quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae. Ego *lanista?* et quidem non insipiens. Deteriores enim iugulari cupio, meliores vincere. *Vtri ceciderint*, scribit lucro nobis futurum. O praeclarum lucrum! quo, te victore (quod dii omen avertant!), beata mors eorum futura sit, qui e vita excesserint sine tormentis. A me *deceptos* ait eisdem *ornamentis* Hirtium et Caesarem. Quod, quaeso, adhuc a me est tri-

Exsurgeret) Cod. Lang. *resurgeret.*

Lanista Cicerone) Quasi cives ille inter se committeret, ut lanista gladiatores, eorum magister. Ferr.

Et quidem) Ita Ferrarius bene. Vulgo erat *Equidem.*

butum Hirtio ornamentum? nam Caesari plura et maiora debentur. Deceptum autem patrem a me Caesarem dicere audes? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus: cuius, homo ingratissime, flaminium cur reliquisti? Sed iam videte magni et clari viri admirabilem gravitatem atque constantiam. *Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre; nec deserere partes, quas Pompeius odivit, nec veteranos sedibus suis moveri pati, nec singulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem, quam dedi Dolabellae.* Omitto alia: *fidem Dolabellae*, sanctissimi viri, deserere homo pius non potest. Quam fidem? an optimi cuiusque caedis, urbis et Italiae partitionis, suis dandarum diripiendarumque provinciarum? Nam quid erat aliud, quod inter Antonium et Dolabellam, impurissimos parricidas, foedere ac fide sanciretur? *Nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis.* Tibi cum Lepido societas, aut cum ullo, non dicam bono civi, sicut ille est, sed homine sano? Id agis, ut Lepidum aut impium aut insanum existimari velis. Nihil agis (quamquam affirmare de altero difficile est), de Lepido praesertim, quem ego metuam nunquam; bene sperabo, dum licebit. Revocare te a furore Lepidus voluit, non adiutor esse dementiae. Tu porro ne pios

Flaminium cur reliquisti?) Legimus Phil. 2 flamioem Caesaris, quem senulus ei lanquam deo decrevit, M. Antonium fuisse. Legimus at Phil. XI, quum L. Valerius Flaccus consul, idemque flamen Martialis, ad bellum itorus esset, P. Crassum, eius collegam, qui pontifex max. erat, multam dixisse, si a sacris discessisset, flamiuemque pontifici, iussu populi, paruisse. Cur tum igitur, ioquit Cicero, flaminio Caesaris relicto, ad bellum profectus es? FERR.

Sedibus suis) Agris a Caesare assignatis. Hoc ad conciliandos sibi vetersuorum omniam animos, quum re vera de iis tantum laboraret, qui cum ipso erant. ID.

De altero) Ita MSS. Ferrar. et Graevii. Olim edebatur *de aliquo*.

Metuam nunquam) Nunquam fore credam socium furoris tui. Aut nobiscum erit, aut quiescet. Val: Metuam nunquam, quia non is est, qui nocere posse videatur. FERR.

quidem, sed piissimos quaeris; et, quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id, propter tuam divinam pietatem, novum inducis. *Nec Plancum prodere, participem consiliorum.* Plancum participem? cuius memorabilis ac divina virtus lucem affert reipublicae (nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, maximo equitatu peditatuque Gallorum), quique, nisi ante eius adventum reipublicae poenas dederis, huius belli feret principatum. Quamquam enim prima praesidia utiliora reipublicae sunt, tamen extrema sunt gratiora.

XX. Sed iam se colligit, et ad extremum incipit philosophari. *Si me rectis sensibus euntem dii immortales, ut spero, adiuverint, vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet, praecipio gaudia suppliciorum vestrorum. Namque, si victi Pompeiani tam insolentes sunt; victores quales futuri sint, vos potius experiemini.* Praecipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompeianis, sed cum universa republica bellum est. Omnes te dii, homines, summi, medii, infimi; cives, peregrini; viri, mulieres; liberi, servi oderunt. Sensimus hoc nuper falso nuntio: vero propediem sentiemus. Quae si tecum ipse recolis, aequiore animo et maiore consolatione moriere. *Denique summa iudicii mei spectat huc, ut meorum iniurias ferre possim, si aut oblivisci velint ipsi fecisse, aut ulcisci parati sint una nobiscum Caesaris mortem.* Hac Antonii sententia cognita, dubitaturosne A. Hirtium, C. Pansam, consules, putatis, quin ad Antonium transeant? Brutum obsideant? Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa et Hirtio loquor? Caesar, singulari pietate adolescens, poterit

Plancum) L. Plancum, consulem designatum, qui Galliam ulteriorem regebat. Plin. 5. ID.

Et Hirtio loquor?) Ita iam Faërn. legendum censuit, ut erat in exemplari Ant. Augustini pro vulg. *loquar*.

se tenere, quin D. Bruti sanguine poenas patrias persequatur? Itaque fecerunt, uti, his literis lectis, ad munitiones propius accederent. Quo maior adolescens Caesar, maioreque deorum immortalium beneficio reipublicae natus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate, abductus unquam est. Intelligit, maximam pietatem conservatione patriae contineri. Quod si partium certamen esset, quarum omnino nomen exstinctum est, Antoniusne potius et Ventidius partes Caesaris defenderent, quam primum Caesar, adolescens summa pietate et memoria parentis sui? deinde Pansa et Hirtius, qui quasi cornua dua tenuerunt Caesaris, tum, quum illae vere partes vocabantur? Hae vero quae sunt partes, quum alteris senatus auctoritas, populi romani libertas, reipublicae salus proposita sit; alteris caedes bonorum, urbis, Italiaeque partitio? Veniamus aliquando ad clausulam. *Legatos venire non credo* — Bene me novit. *bellum quo veniat:* proposito praesertim exemplo Dolabellae. Sanctiore erunt, credo, iure legati, quam duo consules, contra quos arma fert; quam Caesar, cuius patris flamen est; quam consul designatus, quem oppugnat; quam Mutina, quam obsidet; quam patria, cui ignem ferrumque minitatur. *Quum venerint, quae postulent, cognoscam.* Quin tu abis in malam pestem, malumque cruciatum? Ad te quisquam veniat, nisi Ventidii similis? Oriens incendium qui restinguerent, summos

Poterit se tenere) Sic codd. Ferrar. quod sequuti sunt Faërn. Muret. Man. Lambin. Graev. Ern. Olim *poteritne.*

Quasi cornua duo) Dextram et sinistram partem aciei duxerunt in Caesaris exercitu, dum res illi fuit cum Pompeio. Significat praecipuas illorum partes fuisse in copiis et amicitia Caesaris. *An.*

Sanctiore) Recte sic Graev. e cod. Colon. Antea edebatur *sanctiores.*

Ferrumque) Hoc Graevius invenit in cod. MS. idque iam ediderant Faërn. Mur. Man. Lamb. Vulgo olim *igni ferroque.*

viros misimus; repudiasti: nunc in tantam flammam, tamque inveteratam mittamus, quum locum tibi reliquum non modo ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris?

XXI. Hanc ego epistolam, Patres conscripti, non quo illum dignum putarem, recitavi, sed ut confessionibus ipsius omnia patefacta eins parricidia videretis. Cum hoc pacem M. Lepidus, vir ornatissimus omnibus et virtutis et fortunae bonis, si haec videret denique, aut vellet, aut fieri posse arbitraretur? *Prius undis flamma*, ut ait poëta, nescio quis, prius denique omnia, quam aut cum Antoniis respublica, aut cum republica Antonii redeant in gratiam. Monstra quaedam sunt ista, et portenta et prodigia reipublicae. Moveri sedibus suis huic urbi melius est, atque alias, si fieri possit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quam illos, Caesaris virtute eiectos, Bruti retentos, inter haec moenia videre. Optatissimum est vincere; secundum est, nullum casum pro dignitate et libertate patriae non ferendum putare. Quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipere vitae cupiditate. Quae quum ita sint, de mandatis literisque M. Lepidi, viri clarissimi, Servilio assentior: et hoc amplius censeo, Magnum Pompeium, Cnaei filium, pro patris maiorumque suorum animo studioque in rempublicam, suaque pristina virtute, industria, voluntate, fecisse, quod suam, eorumque,

Prius undis flamma) Hoc ipso proverbio usus est postea Augustus, quum significare vellet se nunquam filiam in urbem revocaturum. Quod his verbis narrat Dio libro XV: τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ, ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, θᾶσσον, ἔφη, πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνην καταχθήσεσθαι. Mvr.

Vnde Antoniorum nec facta) Alludit ad illud ex vetere tragoedia: — *Vbi Nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* Id.

quos secum haberet, operam senatui populoque romano pollicitus esset, eamque rem senatui populoque romano gratam acceptamque esse, eique honori dignitatique eam rem fore. Hoc vel coniungi cum hoc senatusconsulto licet, vel seiungi potest, separatimque perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompeius collaudatus esse videatur.

IN

M. ANTONIVM

PHILIPPICA QVARTADECIMA

I.

Si, ut ex literis, quae recitatae sunt, Patres conscripti, sceleratissimorum hostium exercitum caesum fusumque cognovi, sic id, quod et omnes maxime optamus, et ex ea victoria, quae parta est, consequutum arbitramur, D. Brutum egressum iam Mutina esse cognovissem: propter cuius periculum ad saga issemus, propter eiusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante vero, quam ea res, quam avidissime civitas exspectat, allata sit, laetitiae usus satis est maximae praeclarissimaeque pugnae: reditum ad vestitum confectae victoriae reservate. Confectio autem huius belli est D. Bruti salus. Quae autem est ista sententia, ut in hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos vero quum semel ad eum, quem cupimus optamusque, vestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. Nam hoc quidem quum turpe est, tum ne diis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere. Atque animadverto, Patres conscripti, quosdam huic favere sententiae: quorum ea mens, idque consilium est, ut, quum videant gloriosissimum illum D. Bruto

futurum diem, quo die propter eius salutem redierimus ad vestitum, hunc tantum ei fructum eripere cupiant, ne memoriae posteritatique prodatur, propter unius civis periculum populum romanum ad saga ivisse, propter eiusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc, nullam tam pravae sententiae causam reperietis.

II. Vos vero, Patres conscripti, conservate auctoritatem vestram, manete in sententia, tenete vestra memoria, quod saepe ostendistis, huius totius belli in unius viri fortissimi et maximi vita positum esse discrimen. Ad D. Brutum liberandum legati missi, principes civitatis, qui illi hosti ac parricidae denuntiarent, ut a Mutina discederet; eiusdem D. Bruti conservandi gratia consul sortitu ad bellum profectus A. Hirtius; cuius imbecillitatem valitudinis, animi virtus, et spes victoriae confirmavit; Caesar, quum, exercitu per se comparato, a primis pestibus rempublicam liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum, vicitque dolorem aliquem domesticum patriae caritate. Quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecuniis comparandis, senatusconsultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? a quo populus romanus frequens ita salutem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati victus anteferret.

Ad vestitum) Graev. e MS. uno *ad togam.*

Hunc tantum) *Tantum* addidit Ern. e MS. Huydec. et edd. pr.

Tenete vestra memoria) *Tenete*, *tenete* MS. Huydecop. quod Ernestius sibi non displicere dicit.

Dolorem aliquem domesticum) Scil. ex patris caede captum. Ernestio *aliquem* languere videbatur nec a Cicerone scriptum.

Victus anteferret) Nempe clausis tabernis, indicto tumultu et ab labore

Quod sperare nos quidem debemus, Patres conscripti, aut inibi esse, aut iam esse confectum: sed spei fructum rei convenit et eventui reservari, ne aut deorum immortalium beneficium festinatione praeripuisse, aut vim fortunae stultitia contempsisse videamur.

III. Sed quoniam significatio vestra satis declarat, quid hac de re sentiatis; ad literas veniam, quae sunt a consulibus et a propraetore missae, si pauca ante, quae ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladii, Patres conscripti, legionum exercituumque nostrorum, vel madefacti potius duobus consulum, tertio Caesaris proelio. Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas: nefarium scelus, si civium. Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superavit, nomine hostis carebit? nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, et dubitare, utrum in cive, an in hoste figantur. Supplicationem decernitis: hostem non appellatis. Gratae vero nostrae diis immortalibus gratulationes erunt; gratae victimae, quum interfecta sit civium multitudo. *De improbis*, inquit, *et audacibus.* Nam sic eos appellat clarissimus vir: quae sunt urbanarum maledicta litium, non inustae belli internecini notae. Testamenta, credo, subiiciunt, aut eiiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt; his enim vitiis affectos et talibus, malos et audaces appellare consuetudo solet.

abstioendo, quo victus quaereretur. ERN.

Vel madefacti potius) Minus est *madefacti*, quam *imbuti*. Correctiooe usus est, ut legionum gladios noodum satiatos esse ostenderet hostium saoguine. MAN.

Clarissimus vir) qui supplicationem decreverat, P. Servilius. ID.

Non inustae belli internecini notae) Sic Ferrar. At Cuiacius Obss. I, 3, malebat: *non iustae belli notae. Internecina testamenta credo, subiiciunt.* — Est autem testamentum internecinum, propter quod dominus necatus est, ut docet Festus. LAMB.

Bellum inexpiabile infert quatuor consulibus unus omnium latronum teterrimus; gerit idem bellum cum senatu populoque romano; omnibus (quamquam ruit ipse suis cladibus) pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat; Dolabellae ferum et immane facinus, quod nulla barbaria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur; quaeque esset facturus in hac urbe, nisi enim hic ipse Iupiter ab hoc templo atque his moenibus repulisset, declaravit in Parmensium calamitate, quos, optimos viros, honestissimosque homines, maxime cum auctoritate huius ordinis populique romani dignitate coniunctos, crudelissimis exemplis interemit propudium illud et portentum, L. Antonius, insigne odium omnium hominum, vel, si etiam dii oderint quos oportet, omnium deorum.

IV. Refugit animus, Patres conscripti, eaque dicere reformidat, quae L. Antonius in Parmensium liberis et coniugibus effecerit. Quas enim turpitudines Antonii libenter subierunt, easdem per vim laetantur aliis se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt: libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita. Est igitur quisquam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatem Carthaginiensium victam esse fateatur? Qua enim in urbe tam immanis Hannibal capta, quam in Parma surrepta Antonius? Nisi forte huius coloniae, et ceterarum, in quas eodem est animo, non est hostis pu-

Quatuor consulibus) Pausae et Hirtio consulatum gerentibus, Bruto et Planco consulibus designatis. Man.

Hic ipse Iupiter) Sic auctore Ferrario edidit Ern. pro vulgato *hunc ipse Iupiter*. Nempe ante oculos erat simulacrum in aede Iovis Capitolini.

Crudelissimis exemplis interemit) Iis tormentis excruciatos, quae exemplo esse possent. Id.

Eaque dicere) Ernestius coni. *atque*. Idem postea pro *effecerit*, malebat *fecerit*.

Non est hostis) Vulgo additur *An-*

tandus. Si vero coloniarum et municipiorum sine ulla dubitatione hostis est: quid tandem huius censetis urbis, quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit? quam iam peritus metator et callidus decempeda sua Saxa diviserat? Recordamini, per deos immortales! Patres conscripti, quid hoc biduo timuerimus a domesticis hostibus, rumoribus improbissimis dissipatis. Quis liberos, quis coniugem adspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Iam aut foedissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. Haec a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? Gravius si quis attulerit nomen, libenter assentiar: hoc vulgari contentus vix sum; leviore non utar.

V. Itaque quum supplicationes iustissimas ex iis literis, quae recitatae sunt, decernere debeamus, Serviliusque decreverit; augebo omnino numerum dierum, praesertim quum non uni, sed communiter tribus ducibus sint decernendae. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute, consilio, felicitate, maximis periculis servitutis atque interitus liberati sumus. Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? Quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit; aut usitatus honos pervulgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi et singulares debentur. An si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset, non

tonius, rectius omissum in cod. Huy-dec. et edd. pr.

Ad explendas) Ita recte correxerunt e cod. Pal. 4, Manut. Lambin. Graev. Vulgo *expiandas*.

Latrocinii sui) Graevius malebat *latrociniis suis*.

Communiter) e MS. Graevius post Faërnum et Muretum addidit.

An si quis) Ita Muret. Lambin. Vulgo *At si quis*.

eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus? tot legionibus caesis, tanta multitudine interfecta, hostium dico; ita inquam, hostium, quamvis hoc isti hostes domestici nolint, clarissimis ducibus supplicationum honorem tribuemus, imperatorum nomen adimemus? Quanto enim honore, laetitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipsi huius urbis liberatores, quum hesterno die, propter eorum res gestas me ovantem, et prope triumphantem, populus romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? Is enim demum est, mea quidem sententia, iustus triumphus ac verus, quum bene de republica meritis testimonium a consensu civitatis datur. Nam sive in communi gaudio populi romani uni gratulabantur, magnum iudicium; sive gratias agebant, eo maius; sive utrumque, nihil magnificentius excogitari potest.

VI. Tu igitur ipse de te? dixerit quispiam. Et quidem invitus: sed iniuriae dolor fecit me, praeter consuetudinem, gloriosum. Nonne satis est, ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiam in eos, qui omnes suas curas in reipublicae salute defigunt, crimen invidiaque quaeretur? Scitis enim per hos dies celeberrimum fuisse sermonem, me pridie Vinalia, qui dies hodie est, cum fascibus descensurum. In aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum, non in eum,

Sive gratias) Vulgo *sive uni gratias*. Illud *uni* recte delendum censuit Ferr. Et abest aliquot MSS. Itaque omiserunt Graev. Ern.

In reipublicae salute defigunt) Vulgo legebatur *in peius crimen*. Sed verba *in peius* ex aliquot MSS. a Grutero inserta recte repudiarunt Graev. Ern.

Me pridie Vinalia) Vulgo mendose *per Idus Quintiles*. Pantagathus corrigebat *per Idus Apriles*. Optime autem e Ferrarii coniectura Muretus, Lambinus et Olivetus, *pridie Vinalia*. — Nemo interpretum haec melius explicavit, quam Fabricius in Ciceronis Historia. Oliv.

Consultum) *Confictum* malebant Muret. Lamb.

qui, ne quid tale in republica fieri posset, effecerit. An ut ego, qui Catilinam haec molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse exsisterem repente Catilina? Quibus auspiciis istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? Quemquamne fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Vnde igitur ista suspicio, vel potius unde iste sermo? Quum, ut scitis, hoc triduo, vel quatriduo, tristis a Mutina fama manaret: inflati laetitia atque insolentia impii cives, unum se in locum, ad illam curiam, viribus potius suis, quam reipublicae infelicem, congregabant. Ibi quum consilium inirent de caede nostra, partirenturque inter se, qui Capitolium, qui rostra, qui urbis portas occuparent, ad me concursum futurum civitatis putabant. Quod ut cum invidia mea fieret, et cum vitae etiam periculo, famam istam fascium dissipaverunt: fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. Quod quum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum, parabatur: ex quo caedes esset vestrum omnium consequuta. Quae res patescit, Patres conscripti; sed suo tempore totius huius sceleris fons aperietur. Itaque P. Apuleius, tribunus plebis, meorum omnium consiliorum periculorumque iam inde a consulatu meo testis, conscius, adiutor, dolorem ferre non potuit doloris mei: concionem habuit maximam, populo romano unum atque idem sentiente. In qua concione quum me, pro summa nostra coniunctione et familiaritate, liberare su-

Ad illam curiam) Pompeiam, in qua Caesar interfectus est.

Fons aperietur) Fontem huius sceleris virum consularem, virtuti et gloriae Ciceronis invidentem, ea, quae sequuntur, ostendunt: eaque non in quamquam magis, quam in Q. Fufium Calenum, Antonii procuratorem, defensoremque perpetuum, suspicio cadit. MAN.

spicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a me unquam de republica, nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem, duabus tribusve horis, optatissimi nuntii et literae venerunt: ut idem dies non modo me iniquissima invidia liberarit, sed etiam celeberrima populi romani gratulatione auxerit.

VII. Haec interposui, Patres conscripti, non tam ut pro me dicerem (male enim mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus), quam ut quosdam nimis ieiuno animo et angusto monerem, id quod semper ipse fecissem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. Magnus est in republica campus, ut sapienter dicere Crassus solebat: multis apertus cursus ad laudem. Vtinam quidem illi principes viverent, qui me post meum consulatum, quum iis ipse cederem, principem non inviti videbant! Hoc vero tempore in tanta inopia constantium et fortium consularium, quo me dolore affici creditis, quum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum constanter in suscepta causa permanere, sententiamque suam non semper utilitate reipublicae, sed tum spe, tum timore moderari? Quod si quis de contentione principatus laborat, quae nulla esse debet, stultissime facit, si vitiis cum virtute contendit. Vt enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Tu, si ego de republica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis? Nolim, primum reipublicae causa, deinde etiam dignitatis tuae.

Vt pro me dicerem) Edd. pr. et codd. Pall. *dixerim*.

Nolim) Sic Ern. e MS. Haydec. Vulgo *nollem*.

Sed, si principatus ageretur, quem nunquam expetivi, quid tandem mihi esset optatius? Ego enim malis sententiis vinci non possum, bonis forsitan possum, et libenter. Haec populum romanum videre, animadvertere, iudicare, quidam moleste ferunt. Poteratne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut quisque mereretur, iudicarent? Vt enim de universo senatu populus romanus verissime iudicat, nullis reipublicae temporibus hunc ordinem firmiorem atque fortiorem fuisse: sic de unoquoque nostrum, et maxime, qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes, avent audire, quid quisque senserit. Ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, existimant. Memoria tenent, me ante diem XIII Kalendas Ianuarias principem revocandae libertatis fuisse; me ex Kalendis Ianuariis ad hanc horam invigilasse reipublicae; meam domum, measque aures dies et noctes omnium praeceptis monitisque patuisse; meis literis, meis nuntiis, meis cohortationibus omnes, qui ubique essent, ad patriae praesidium excitatos; meis sententiis a Kalendis Ianuariis nunquam legatos ad Antonium; semper illum hostem, semper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore verae pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferae pacis inimicus. Idem Ventidium, quum alii tribunum plebis voluissent, non ego semper hostem? Has in sententias meas si consules designati discessionem facere voluissent, omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus iampridem de manibus arma cecidissent.

VIII. Sed, quod tum non licuit, Patres conscripti, id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, verbis notari, sententiis

Meis cohortationibus) Nonnulli *meisque*. — *Si consules designati*) Suspicabatur Manutius, verbum *designati* additum esse ab interprete imperito. Tvr.

nostris hostes iudicari. Antea quum hostem aut quum bellum nominassem, semel et saepius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt; quod in hac causa iam fieri non potest. Ex literis enim C. Pansae, A. Hirtii consulum, C. Caesaris propraetoris, de honore diis immortalibus habendo sententias diximus. Supplicationem modo qui decrevit, idem imprudens hostes iudicavit. Nunquam enim in civili bello supplicatio decreta est. Decretam dico? ne victoris quidem literis postulata est. Civile bellum consul Sulla gessit: legionibus in urbem adductis, quos voluit, expulit; quos potuit, occidit; supplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum insequutum est: supplicatio Cinnae nulla victoris. Cinnae victoriam imperator ultus est Sulla: nulla supplicatio decreta a senatu. Ad te ipsum, P. Servili, num misit ullas collega literas de illa calamitosa pugna Pharsaliae? num te de supplicatione voluit referre? profecto noluit. At misit postea de Alexandria, de Pharnace. Pharsalicae vero pugnae ne triumphum quidem egit. Eos enim cives pugna illa sustulerat, quibus non modo vivis, sed etiam victoribus, et incolumis et florens civitas esse posset. Quod idem contigerat superioribus bellis civilibus. Nam mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob caedem hostium, sed ob conservationem civium, novo et inaudito genere, decreta est. Quamobrem aut supplicatio ob rempublicam pulcherrime gestam postulantibus vestris imperatoribus publice deneganda est, quod praeter

De numero sententiarum sustulerunt) Int. Consulea non repetenda sententia eius, et super ea discessionis faciendae potestate data, in quo illa repetitio s. pronuntiatio necessaria erat. Locus classicus de ea re est apud Caes. de B. C. I. II. Ern.

Quibus non modo vivis, sed etiam victoribus) Sic Ern. e MSS. Vulgo *quibus non modo victoribus sed etiam vivis.*

Postulantibus vestris imperatoribus

Gabinium contigit nemini; aut, supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, iudicetis necesse est.

IX. Quod ergo ille re, id ego etiam verbo, quum imperatores eos appello; hoc ipso nomine et eos, qui iam devicti sunt, et eos, qui supersunt, hostes iudico, quum victores appello imperatores. Quomodo enim potius Pansam appellem? etsi habet honoris amplissimi nomen. Quomodo Hirtium? est ille quidem consul: sed alterum nomen beneficii est populi romani, alterum virtutis atque victoriae. Quid? Caesarem, deorum beneficio reipublicae procreatum, dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem et foedam crudelitatem, non solum a iugulis nostris, sed etiam a membris et visceribus avertit. Vnius autem diei quot et quantae virtutes, dii immortales, fuerunt! Princeps enim omnium Pansa proclii faciendi et cum Antonio confligendi fuit: dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore. Cuius si acerrimum impetum cohibere Pansa potuisset, uno proelio confecta res esset. Sed quum libertatis avida legio effrenatius in aciem hostium irrupisset, ipseque in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus e proelio, reipublicae vitam reservavit. Ego vero hunc non solum imperatorem, sed etiam clarissimum imperatorem iudico: qui, quum aut morte aut victoria se satisfacturum reipublicae

publice) *Publice* restituit Ern. e MSS. compluribus et edd. vett. P. Manutius deleverat.

Quum victores appello imperatores) Haec Ferrarius pro glossemate habebat. Ernestius uncis inclusit. Mihi tamen genuina videntur. Nam nec repetitio inanis est; nec iis omissis verba *quomodo enim potius P. appellem* satis cohaererent cum antecedentibus.

Impetum cohibere Pansa) Pansae nomen hic ab aliquot codd. abest ideoque id auctore Ferrario Graevius omisit. Equidem cum Ernestio servandum puto.

spopondisset, alterum fecit, alterius dii immortales omen avertant!

X. Quid dicam de Hirtio? qui, re audita, e castris duas legiones eduxit incredibili studio atque virtute, quartam illam, quae, relicto Antonio, se olim cum Martia legione coniunxit, et septimam, quae constituta ex veteranis, docuit illo proelio, militibus iis, qui Caesaris beneficia servassent, senatus populique romani carum nomen esse. His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipse aquilam quartae legionis quum inferret, qua nullius pulcriorem speciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit, hostesque nefarios, huic Iovi maximo, ceterisque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi romani, nostrae vitae sanguinique imminentes, prostravit, fudit, occidit; ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum duxque fugerit. O solem ipsum beatissimum, qui, antequam se abderet, stratis cadaveribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium! An vero quisquam dubitabit appellare Caesarem imperatorem? Aetas eius certe ab hac sententia neminem deterrebit, quandoquidem virtute superavit aetatem. Ac mihi semper eo maiora beneficia C. Caesaris visa sunt, quo minus erant ab aetate illa postulanda: cui quum imperium dabamus, eodem tempore etiam spem nominis eius deferebamus; quod, quum est sequutus auctoritatem nostri decreti, rebus gestis suis comprobavit. Hic ergo adolescens maximi

Qui Caesaris beneficia servassent) Nam qui ea comederant, rerum novarum studio tenebantur. Phil. XI et XIII. MAN.

Qua nullius pulcriorem) Hoc ait, imperatoris speciem nullam pulcriorem esse, quam inferentis aquilam. *An.*

Spem nominis eius) Imperator ut appellaretur, quum haberet imperium. FERR.

animi, ut verissime scribit Hirtius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumque proelium fecit. Ita trium imperatorum populi romani virtute, consilio, felicitate, uno die locis pluribus respublica est conservata. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes: causas, ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia.

XI. Est autem fidei pietatisque nostrae, declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamque grati. Quamobrem promissa nostra, atque ea, quae legionibus, bello confecto, tributuros nos spopondimus, hodierno senatusconsulto renovanda censeo. Aequum est enim, militum, talium praesertim, honorem coniungi. Atque utinam, Patres conscripti, civibus omnibus solvere nobis praemia liceret! quamquam nos ea, quae promisimus, studiose cumulata reddemus. Sed id quidem restat, ut spero, victoribus, quibus senatus fides praestatur: quam quidem quum difficillimo reipublicae tempore sequuti sint, eos nunquam oportebit consilii sui poenitere. Sed facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Illud admirabilius et maius, maximeque proprium senatus sapientis est, grata eorum

Causas — complectar ipsa sententia) Sic Muret. et Graevius cuios in MSS. legebatur *causis*. Vulgo *quas*, inepte; referendum enim esset ad *supplicationes*, quas *sententia complecti* nemo dixerit.

Honorem coniungi) Int. *cum imperatorum honore*; nisi qoidem id excidit. Nam alibi sic Cicero dicit. Interea acceperim *coniungi* pro *adiungi*. Ern. Tota sententia *aequum est — coniungi* nihil habet, quod non elegantius paulo ante verbis *est autem — grati* dictum sit.

Studiose cumulata) Lambinus *studiose cumulateque*.

Quibus senatus fides praestatur) Vt de solutione non dubitent. Praestatur autem et superiore S. C. quo promisimus, et hoc hodierno, quo promissa renovantor. Man.

Flagitari videmur) MS. Huydec. *videbamur*, unde Ern. coniecit legendom vel *flagitari videbimur*, vel *flagitabimur*.

virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent! Duo certe non praeteribo, quae maxime occurrunt: quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam; alterum ad leniendum moerorem et luctum proximorum.

XII. Placet igitur mihi, Patres conscripti, legionis Martiae militibus, et eis, qui una pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum. Magna atque incredibilia sunt in rempublicam huius merita legionis. Haec se prima latrocinio abrupit Antonii; haec tenuit Albam; haec se ad Caesarem contulit; hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consequuta est. Quarta victrix desiderat neminem; ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors, quae naturae debita, pro patria est potissimum reddita! Vos vero patriae natos iudico; quorum etiam nomen a Marte est: ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga foeda mors est; in victoria gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent: vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consequuti. Brevis a natura nobis vita data est; at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior, quam haec vita; quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? Actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam

Alterum) Monumentum amplissimum. MAN.

Alterum) Vt quae ipsis promissa fuerant, ea parentibus, liberis, coniugibus eorum tribuantur. ID.

Pignerari) Sibi quasi suos assumere. Nam in acie fortissimi quique moriuntur. ID.

sanctissimi milites, quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, quum vobis immortale monumentum suis paene manibus senatus populusque romanus exstruxerit. Multi saepe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis, clari et magni fuerunt: nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam maiora possemus, quandoquidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis; vos redire molientem repulistis. Erit igitur exstructa moles opere magnifico, incisaeque literae, divinae virtutis testes sempiternae: nunquam de vobis, eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vitae immortalitatem estis consequuti.

XIII. Sed quoniam, Patres conscripti, gloriae munus optimis et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio: parentibus, quod tanta reipublicae praesidia genuerunt; liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis; coniugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere praestabit; fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, vel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio, qua deponerent moerorem atque lu-

Nec reticentia posterorum insepulta) H. e. *non carebit monumenti s. sepulcri honore* quod viderunt Ferrar. et Ern. Frustra *insepulta* pro *sepulta* dictum putabat Grulerus.

Erit igitur exstructa moles) Multa sunt in huius orationis extremo, quae conformata videri possunt ad exemplum eius, qua Pericles eos qui pro patria occubuerant, laudat apud Thucydidem lib. II. Mvr.

Adhiberi publice posset oratio) Burmanni coniecturam qua *consolatio* legendum putabat necessariam non esse recte iudicavit Ern.

ctum, gauderentque potius, quum multa et varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse, eosque nec inhumatos esse, nec desertos (quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur); nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus, eaque exstructione, quae sit, ad memoriam aeternitatis, ara virtutis. Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari et virtutem suorum, et pietatem, et senatus fidem, et crudelissimi memoriam belli: in quo, nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi romani occidisset. Atque etiam censeo, Patres conscripti, quae praemia militibus promisimus nos, republica recuperata, tributuros ea vivis victoribusque cumulate, quum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus, eadem tribuenda censeo. Sed, ut aliquando sententia complectar, ita censeo.

XIV. Quum C. Pansa, consul, imperator, initium cum hostibus confligendi fecerit, quo proelio legio Martia admirabili incredibilique virtute libertatem populi romani defenderit, quod idem legiones tironum fecerint; ipseque C. Pansa, consul, imperator, quum inter media hostium tela versaretur, vulnera acceperit; quumque A. Hirtius, consul, imperator, proelio au-

Ara virtutis) Cui inscribetur elogium, eorum virtutem immortalitati consecrans. Solebant enim in locis, ubi victoria erat parta, locari arae, quibus inscribebantur res in illo loco gestae, et illorum laus, quorum virtute gestae erant, ut multis dudum docuerunt viri docti. GRAEV.

Legiones tironum) Quatuor, ut scripsit Galba, quas ex delectu Italiae consul Pansa comparaverat. MAN.

Proelio audito, re cognita) Sic MSS. antiquissimi. Vulgo *proelio audito et cognito*.

dito, re cognita, fortissimo praestantissimoque animo exercitum castris eduxerit, impetumque in M. Antonium, exercitnmque hostium fecerit, eiusque copias occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum quidem militem desideraverit; quumque C. Caesar, imperator, consilio diligentiaque sua castra feliciter defenderit, copiasque hostium, quae ad castra accesserant, profligarit, occiderit: ob eas res senatum existimare et iudicare, eorum trium imperatorum virtute, imperio, consilio, gravitate, constantia, magnitudine animi, felicitate, populum romanum foedissima crudelissimaque servitute liberatum; quumque rempublicam, urbem, templa deorum immortalium, bona fortunasque omnium, liberosque conservarint dimicatione, et periculo vitae suae, uti ob eas res bene, fortiter feliciterque gestas, C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter ambove, aut si aberunt, M. Cornutus, praetor urbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat. Quumque virtus legionum digna clarissimis imperatoribus exstiterit, senatum, quae sit antea pollicitus legionibus exercitibusque nostris, ea summo studio, republica recuperata, persoluturum; quumque legio Martia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita cum maiore numero hostium contenderit, ut plurimos caederent, caperent nonnullos; quumque sine ulla retractatione pro patria vitam profuderint; quumque simili virtute reliquarum legionum milites pro salute et libertate populi romani mortem oppetiverint: senatui placere, ut C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter ambove, si eis videatur, iis, qui sanguinem pro vita, libertate, fortunisque populi romani, pro urbe, templisque deorum immortalium profudissent, monumentum quam amplissimum lo-

eandum, faciundum curent; quaestores urbis ad eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere iubeant, ut exstet ad memoriam posteritatis sempiternam, ad scelus crudelissimorum hostium, militumque divinam virtutem: utique, quae praemia senatus militibus ante constituit, ea solvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, coniugibus, fratribus; iisque tribuantur, quae militibus ipsis tribui oporteret, si vivi vicissent, qui morte vicerunt.

Fratribus iisque) Sic rescripsi pro vulg. *eaque fratribus*, ut iam Ferrario visum.

Si vivi vicissent) Ita rescripsi Ernestio auctore pro vulg. *si illi vixissent.*

ORATIONES

CICERONI VVLGO SVPPOSITAE

nempe :

Post reditvm in Senatv. — Ad Qvirites post reditvm. — Pro Domo sva. — De Harvspicvm responsis. — Pro M. Marcello

TYPOGRAPHI PRAEFATIVNCVLA

Quum Schvtzivs *V. Cl. omnium Ciceronis operum editionem, ad tyronum potius, quam Doctorum Virorum usum suscepisset, brevitati consulens, omnia, quae Marklandus, Gesnerus et Wolfius, Viri celeberrimi, de his orationibus scripserant, praetermisit. Sed quae fuerit Viri Cl. de eorum scriptis sententia, apertissime demonstrant eius Prolegomena* (1), *praecipue ad orationem* post redit. in Senatu (*pag.* 158-159), *ubi non obscurum desiderium significatur, ut horum Virorum animadversiones sedulo a studiosis versentur ac perpendantur. Interim ne omni prorsus utilitate studiosi adolescentes carerent, paucis quidem ille verbis loca maxime suspecta in summariis Orationum exposuit, ac passim sub textu Marklandi Wolfiique sententias vel breviter retulit, vel calculo suo confirmavit. At brevia admodum ista, et pauca.*

Quare, quum perspectum habeam, Viros doctos nondum de hac controversia inter se consentire, haud inutile fore arbitror, Eruditorum Virorum oculis denuo subiicere potiores in has orationes animadversiones a Cl. supra

(1) *Haec Schützius, praemissa huius controversiae historia, sex capitibus digesserat. Ego vero, ne bis eadem repeterentur, historicam narrationem omisi, fere quippe supervacaneam, addita nunc Wolfii praefatione. Quinque autem capita priora, vel potius Summaria Orationum disiunxi, ac suum cuique Orationi praefixi; sextum vero, quod duos Epistolarum ad Brutum libros spectat, suo loco praemittam.*

laudatis Viris conscriptas, quae Berolini anno 1801 *iunctim editae prodierunt: ut videlicet istis adminiculis suum cuique iudicium proferendi integra sit facultas.*

Sed ante omnia praeibit ipsiusmet Wolfii praefatio, quae, praeter alia commoda ex ea percipienda, totius controversiae historiam, consiliumque editionis non inconcinne declarabit. Vnum adhuc moneam, nempe eundem Virum Clarissimum anno sequenti in Marcellianam animadversiones publici iuris fecisse; quibus careo. In hac itaque oratione Schützium ducem unice sequar. Ad quatuor priores, selectas adnotationes vel integras vel contractas, prout rerum momenta poscebant, textui subieci. Si quae vero levioris momenti Marklandus vel Wolfius notaverat, ea praetermisi, textus verba characteribus aldinis hic illic ad hoc innuendum notasse contentus. Vale.

FRID. AVG. WOLFII

PRAEFATIO

BEROLINENSI EDITIONI PRAEMISSA

Haec editio a nobis eo potissimum consilio suscepta est, ut quatuor Orationes nunc meo volumine iunctas, quae vulgo Ciceronis auctoritate venditantur, rationibus in utramque partem exponendis demonstremus, Cicerone indignissimas esse, et declamatorio studio exercendi vel ostentandi ingenii conscriptas. Eam rem superiore saeculo primus idemque unus vidit in Britannis sagacissimus vir et utriusque antiquitatis in paucis peritus: verum quum dubitationibus illius a litteratore magni nominis in Germania satisfactum videretur, in huius sententiam deinceps ita concesserunt eruditi, ut, quidquid a Britanno dictum est et animadversum, iam paene pro indicto habendum, totaque quaestio de integro ad disceptationem vocanda sit. Sed nonnullorum lectorum gratia paulo altius ordiamur, et omnis huius controversiae memoriam paucis repetamus.

Nam postquam Con. Middletonus, Cantabrigiensis, ediderat celebrem commentarium suum de vita Ciceronis; qui liber, ceteroquin ad legendum Ciceronem omnemque illorum temporum historiam cognoscendam utilissimus, facilem reprehendendi et corrigendi copiam praebebat, quum tria haberet eximiis laudibus iuncta peccata, primum quod heros ille saepius intentiore ipsius quam veritatis studio ornatus et expictus esset, tum quod

idem magis ut civis in regenda republica versatus, quam ut homo doctrina excellens optimeque de literis merens esset spectatus, denique quod non raro historicae res minore diligentia et critica cura tractatae essent: post paulo, sed eodem anno 1741, exortus est in eadem civitate Iac. Tunstallus, qui Epistola, ad Middletonum ipsum latine scripta, postremam reprehensionis partem arriperet, pluraque ab eo perperam relata, testibus Epistolis ad Atticum et ad Q. Fratrem convinceret, atque ad extremum nonnullas dubitationes exprimeret de αὐθεντίᾳ Epistolarum, nomine *Ciceronis ad Brutum* et *Bruti ad Ciceronem* inscriptarum, quarum fidem aeque ac reliquarum ille in rebus tradendis secutus erat. Huic libro rescripsit a. 1743 Middletonus, edita earundem in controversiam vocatarum Epistolarum interpretatione Anglica, in primis dissertatione praemissa, qua eas nominatis auctoribus vindicare studiose contendit, faventibus tum plerisque, etiam iis, qui modo ad partes adversarii inclinarant. Ac statim anno post hic liber universus fere in Gallicam istarum Epistolarum translationem insertus est a *Prevosto:* id quod monendum putamus, ne quis forte, cui haec translatio ad manum sit, rariorem Middletonianam nimis desideret. Sed hoc anno 1744 Middletonum, qui a Tunstallo omnia tela exhausta, suoque ingenio retusa existimabat, subito oppresserunt novae *Observationes* Tunstalli, singulare et satis magnum volumen, Anglice scriptum, in quo plures et evidentiores fraudes Epistolarum accurate arguuntur singulis locis, partim declamatorium stilum, partim pudendos errores in historia testantibus. Iam certamini intervenit alius Cantabrigiensis, Ier. Marklandus, magna vir auctoritate, quippe qui aliquot editis monumentis interioris doctrinae, pluribusque parandis et expoliendis, tum maxime Rich. Bentleii gloriam proximus, quamquam aliquo intervallo, aemulabatur. Is igitur libro *Animadversionum*, item Anglice scripto a. 1745, non solum acutissimi Tunstalli sententiam assensu suo comprobavit, novisque additis argumentis docuit, eas epistolas non clarissimis viris, quibus vulgari opinione adscribuntur, sed exercitationibus scholae rhetoricae esse tribuendas; verum etiam in parte posteriore primus quasdam dubitationes subiunxit de his

quatuor Orationibus, tanto excogitatas acumine, tamque eleganti et exquisita doctrina explicatas, ut alteram quaestionem simul commovisse et magna ex parte profligasse, alteram plane ad exitum suum perduxisse videatur. Huic Marklandi libro, quem, etsi festinanter scriptum, in optimis huius generis speciminibus numerandum censemus, haec in fronte inscriptio est: *Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus and of Brutus to Cicero; in a Letter to a Friend. With a Dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero etc. To which are added some Extracts out of the Notes of learned Men upon those Orations, and Observations on them. By Ier. Markland*, Fellow *of St. Peter's College*, *Cambridge*. *London*, *in* 8.

Non constat, quid animi aut consilii fuerit Middletono haec omnia perlegenti et consideranti: illud videmus et vehementer miramur, eum adeo sive constantem sive pertinacem fuisse, ut in *Vita Ciceronis* ne verbum quidem mutandum aut revocandum putarit. Nimirum videbatur sibi fortasse satis tuto acquiescere in secundis rumoribus populi sui: in quo exsistunt iam, qui quum suspicionibus criticis etiam Orationes, elegantiori cuique a puero lectas, labefactari audiunt, omnem pudorem perisse clament,

> Indignumque putent parere minoribus, et, quae
> Imberbi didicere, senes perdenda fateri:

alii disputationem et universam rationem Marklandi in risum et iocum vertere conati sunt; in qua re plerumque, quo quis studiorum imperitior est, eo magis excellit, eoque plures in mobili turba plausores nanciscitur. Hac in classe censendus est libellus ambiguo titulo: *A Dissertation, in which the Defence of P. Sulla ascribed to M. T. Cicero is clearly proved to be spurious, after the manner of Mr. Markland, with some introductory Remarks on other Writings of the Ancients never before suspected. London*, *in* 8. sine nota temporis, sed 1745 vel 1746. Qui ad hanc chartam accessit recens a Marklando, eum fallere non potest ironia et cavillatio, qua rem peragere voluit auctor, *Rossius*, Episcopus, ut quidam perhibent; neque is p. 13, 53, 63, scite dissimulat, quid sibi velit. Etenim sperabat, credo, si similes

leges criticas ad alia scripta traduceret, ita ut eorum auctoritatem convelleret notandis vocabulis quibusdam et constructionibus formulisque loquendi, prava imitatione audaciae audaciam Marklandi conspectiorem reddi, et hac obliqua refutatione maiorem viro praeclaro conflari posse invidiam. Igitur dum levissimis de causis Orationes Ciceronis, quae sunt *pro P. Sulla, pro Milone, pro Coelio, pro Murena, pro Flacco, duas ex Catilinariis, duos libros Tusculanarum*, secundum *de finibus B. et M.*, Epistolas *Coelii Rufi* et aliquot alia antiquorum scripta, tum etiam recentiorum, duas conciones *Tillotsoni*, unam *Atterburii*, satis ridicule in suspicionem νοθείας vocabat, hoc unum serio agebat, ut intelligeretur, quantam in licentiam evasura esset illa argumentandi ratio. Atque haud dubie, quod voluit, assequutus est scriptor apud indoctam multitudinem, quae quoniam vera a falsis discernere nescit, facillime tali rerum assimulatione in fraudem illicitur; viri docti autem, qui opusculum ipsum non legerant, hunc prope novum Harduinum exstitisse dolebant: mihi quidem eadem huius ludi videbatur utilitas esse, quam mercatores capere solent ex genuinis et factitiis mercibus comparandis. Nam in hoc genere ad vim iudicii acuendam nimio plus valent exempla inter se collata, quam subtilissimae praeceptiones regularum. Quare vellem huc animum operamque contulisset alius scriptor ignotus, qui hunc libellum refellere adortus est. *A dissertation, in which the Observations of a late Pamphlet to the Writings of the Ancients, after the manner of Mr. Markland, are clearly answered; those Passages in Tully corrected, on which some of the objections are founded. With Amendments of a few Pieces of criticism in Mr. Markland's Epistola critica. London*, 1746. 8. Quamquam enim istius consilium recte odoratus hic scriptor affert nonnulla egregie apta ad eum castigandum, simulque aliquoties, sed minus feliciter, proprium ingenium experitur in emendandis locis veterum; nihil tamen de ipsa causa et critica ratione, ab isto irrisa, neque de harum Orationum auctoritate disputat, excepta una probabili animadversione ad Orat. pro Domo c. 40, quam nos ibi repetivimus: ceterum Marklandi maximus admirator, hunc virum

divae Criticae unicas delicias vocat, et eximium eius acumen doctrinaeque copiam, etiam ubi ab eo dissentit, summis laudibus effert.

Itaque usque adhuc, Middletoni maxime culpa, quaestiones illae, patrio Anglorum sermone disceptatae, venerant in iudicium illud mille capitum, sed unius nationis; apud exteras nationes paucis eruditorum scripta Tunstalli et Marklandi innotuerunt. Quae res in universum nobis graviter conquerenda et ad incrementa studiorum parum utilis videri solet. Nihil enim profecto potest esse perversius, quam ad controversias de reconditis partibus literarum, omnibus communium gentibus, invitari popularium vulgus vernaculis linguis: ex quo consequitur, ut causae, quas tractamus, ab exiguo numero eorum, qui praecipue iudices expeti debeant, iudicari possint, ab indoctis autem et saepe hominum personas, non rerum momenta, ponderantibus tanto maiore vel levitate vel cupiditate iudicentur. Omnino pauci sunt omni tempore, qui talem causam, qualis haec nostra est, cognoscere operae pretium ducant; pauciores, qui id facere possint; sed qui iidem et velint et possint, longe paucissimi. Atque haud scio an illa aetate nullus eorum, quos novimus, doctorum in Britannia plane idoneus fuerit, cuius sententiae res committi posset, praeter unum Bentleium. Eo sane praeside, Phalarideae disputationis auctore, etsi is sedem doctrinae suae in aliis potius scriptoribus quam in Cicerone fixerat, eo tamen sive praeside, sive honorario arbitro, decertare inter se debebant nobiles disceptatores. Ille vero vix ingressum haec stadia adspexit Tunstallum; novas Animadversiones Marklandi, morte praeventus, non vidit; neque inventus est, quem in illius locum surrogaret civitas literatorum.

Quodsi cui percontari libeat, quid, qui postea principes habiti sunt in his artibus et in rerum Romanarum scientia, de scriptis illis atque omni controversia iudicarint, is sciat, plures palam periclitari noluisse iudiciis suis; nonnullos tamen, eosque Latini sermonis doctissimos, de Epistolis penitus accessisse Tunstalli sententiae, sed Marklandianam de suppositis Orationibus et eosdem et ceteros omnes uno ore repudiavisse. Omitto Bros-

sium, Fergusonum, alios, in historiis illorum temporum cum laude versatos, ut eos tantum appellem, a quorum professione proprie exspectatur Aristarchea censura scriptorum. Ac Ruhnkenius quidem, quem, quid in libris Latinorum antiquum, probum et elegans esset, subtiliter calluisse, ipsum eius purum et limatum genus scribendi declarat; is igitur, ne quod ex ore desideratissimi viri coram excepi alieno tempore referam, ad Velleium Paterculum p. 109 et 326 iniecta rei mentione, altero loco non significat, sed aperte profitetur, se *facile*, i. e. sine dubitatione, assentiri Britannis, qui Ciceronis ad Brutum Brutique ad Ciceronem Epistolas a falsario fictas esse docuerint: idem autem de his Orationibus, neque ad Aquilam Romanum p. 149 et 160, neque ad Iulium Rufinianum p. 200 et 203, a quibus Oratio *de Domo* laudatur, quicquam adiecit de iudicio suo; ipse contra et ad Velleium p. 64, 102, 227, eandem Orationem *de Domo*, et ad Rutilium p. 90 eam, quae est *de Haruspicum responsis*, tanquam Ciceronianas laudare non dubitavit. Nec aliter, sed magis praecise, de utrisque scriptis pronuntiavit Wyttenbachius, tum in Bibl. crit. Vol. II, P. 3, p. 78, tum in Vita maximi praeceptoris p. 219 et 290. Eiusdemque sententiae iam antea se patronum praebuerat senectute et meritis spectabilis vir, Saxius, qui in I Parte Onomastici literarii p. 160, postquam Tunstallum de Epistolis illis praelusisse narravit, *Acrius etiam*, inquit, *quod nollem*, *tibias inflavit Marklandus* — et mox: *Vel sic tamen bonum factum*, *Marklandi subinde argumentationes et suspiciones a viro magno*, *Io. Matthia Gesnero*, *enervatas fuisse*.

De hoc viro, harum quatuor Orationum acerrimo defensore, iam dudum nobis separatim dicendum fuit. Nam quisquis sibi ius dicendae sententiae non arrogabat, illum potissimum habebat locupletem auctorem, utpote linguae Latinae scientissimum, eiusque per Lexica largissimum dispensatorem. Etenim tractavit rem Gesnerus duabus praelectionibus aa. 1753 et 1754 habitis, insertisque Tomo III Commentariorum Soc. Reg. Göttingensis, quas *Ciceronem restitutum* inscripsit; quibus omnia Marklandi argumenta singillatim excutere et annotationibus suis refutare

aggressus est, nulla usquequaquo causa reperta, cur a communi literatorum opinione recedendum censeret. Vnde accidisse opinor, ut Ernestius in Cicerone suo nullam mentionem iniecerit huius controversiae, et ne ad Epistolas quidem istas quidquam scripserit ex eo genere animadversionum, cuius ibi saepe occasio ac necessitas erat. Quin etiam in repetita editione Bibliothecae Fabricianae T. I p. 161 de Criticorum illorum libris et Gesneri, amicissimi sui, praelectionibus falso prodidit, et, velut de vili rixa, paucissimis verbis; (1) id quod memorabile videtur in Ciceronis editore eo, qui postrema Praefatione perfectum Criticum Ciceronianum informare de industria instituit. (2) Quam ob causam minime mirum est, si iam totum illud certamen vix aliquot viris historiae literariae cupidioribus cognitum, a plerisque ne memoria quidem, nedum renovatione, dignum haberi videmus. Itaque non modo leguntur eduunturque istae Orationes una cum reliquis monumentis eloquentiae Ciceronianae, sed unam duasve earum propter insignem scilicet elegantiam in numerum *selectarum*, quas vocant, receperunt Editores, scholasticae inventuti a prima aetate praelegendas; ita ut nullus forsitan mensis abeat, quin aliquod auditorium per cultissimas terras Europae vocibus magistrorum resonet, pulchras earum sententias et verba interpretantium.

Tot et tantis auctoritatibus quis non moveatur verecundus homo? quis non deterreatur, quo minus desertae relictaeque causae patrocinium suscipiat? (3) Immo fortius ad publicam opinionem reiicimur testimoniis veterum scriptorum, tum eorum, quos Marklandus nominavit, Pediani, Quintiliani, Arnobii, for-

(1) Nempe ad orationes post reditum prorsus nihit adnotavit; ad orationem *pro domo*, satis pro imperio et parum accurate, sic pronuntiat: *Spuriam iudicat Tunstallus, cuius dubitationes sustulit I. M. Gesnerus*; et ad orationem de Haruspicum responsis: « *Hanc quoque*, inquit, *spuriam putat Tunstallus, cui respondit idem*; perinde quasi Gesuerus Tunstallo, non Marklando respondisset. Quod tamen erratum eius transcripserunt nihil monitis lectoribus editores Bipontini. SCHÜTZ. *in Proleg.*

(2) Tom. I, pag. jj-xvjjj huius editionis. TYP. T.

(3) Notabile est, Marklandum anno 1776 obiisse, Gesnero autem, cuius libellus eum latere vix potuit, nihil respondisse. Quamquam ex ea re conijci nolim, ipsum ab hoc deductum esse de sententia sua. WOLF.

tasse Ammiani Marcellini, tum aliorum paulo minore auctoritate, Mamertini Iunioris, Oratoris panegyrici, Servii, Grammatici Virgiliani, Prisciani, tum Rhetorum, quos supra attuli, Aquilae et Rufiniani, fortasse etiam Dionis Cassii, Lactantii, et Charisii, ac si qui forte alii animadversionem nostram fugerunt. Vide ad Orat. in senatu §. 1, 11; ad Quir. §. 2, 24; pro Domo §. 37, 41, 45 (unde verba *Vobismet ipsis Pontifices* laudantur ap. Prisc. XII p. 947), et ad §. 101 seq. 134 de Har. resp. in summar. et ad §. 18, 23, 24. Verum qui in quaque re nihil praeter rem spectare didicit, neque extrinsecus suspensas habere iudicandi rationes, quamvis prima specie minime verisimile putet, tam multis, tamque partim praestantibus viris imposuisse scholasticum hominem imitamento artis Ciceronianae, non tamen illud ex eo genere esse arbitrabitur, quod plane sit τῶν ἀδυνάτων.

Sed mihi ab hoc loco alienum videtur, quasi praeiudicii causa in memoriam revocare similes fraudes, quibus interdum prudentissimi homines se circumveniri humanitus passi sunt: quippe nullo saeculo defuerunt, qui scripta interpolarent, falsis inscriptionibus ornarent, propria et sua aliorum, praesertim clarorum, hominum personis affingerent: accidisse hoc ipsi Ciceroni, testantur manifesto, quae hodieque in manibus sunt, duae Declamationes, a Marklando commemoratae, et, quae nunc rarius leguntur, aliae duae *de Pace* (amnestia) et *in Valerium;* exstarentque plura huiusmodi specimina, si ea ad nos pervenissent, quae de Ciceronianis argumentis aetate M. Senecae a rhetoribus declamari, plaudentibus auditoriis, solebant: (1) neque

(1) *Lepidum locum M. Senecae adscribam, a Marklando praetermissum, Excerptorum Controvv. III Praef. p.* 399 *edit. Bipont. « Pueri fere aut iuvenes scholas frequentant. Hi non tantum disertissimis viris, quos paulo ante retuli, sed etiam Ciceroni* Cestium *suum praeferrent, uisi lapides timerent. Quo tamen uno modo possunt, praeferunt: huius enim declamationes ediscunt; illius orationes non legunt nisi eas,* quibus Cestius rescripsit. *Memini me intrare scholas, quum recitaturus esset* in Milonem *Cestius; ex consuetudine sua miratus dicebat: Si*

nostris temporibus desunt, qui suppositititios libros, etiam dudum explosos, pro genuinis agnoscere non dubitent; ut nuper Blacklockus quidam Britannos docuit *Consolationem* istam, a Sigonio conscriptam, ad Ciceronis auctoritatem referre — sed quid attinet haec persequi, et exempla fraudum humanosque errores recensere, quum ita nihil non in suspicionem et dubitationem devocari oporteat, eaedemque ratiunculae haud magis valeant ad has quatuor Orationes, quam ad Milonianam, ad Philippicas, ad omnes reliquas suo auctori abiudicandas? Necesse est igitur nobis talem disquisitionem sic aggredi, ut ipso genere scribendi et singulis locis vestigia suspicionum demonstremus, accurateque subducamus rationes, unde appareat, etiamsi nihil unquam simile usuvenisse constaret, librum tanquam subditivum, quocumque demum consilio scriptum, ex integro scriptoris corpore eximendum esse. Qua de re posthac nonnulla dicam; nunc, quid in edendis his Orationibus et in Commentario instruendo agere voluerim, indicabo.

Textum exhibui, ex optimis exemplaribus, qua scriptis, qua impressis, novo studio recognitum, in quo religiose hanc mihi legem posui, ut, si in diversas partes traherent codicum testimonia, eas fere lectiones deligerem, quae elegantiores et magis Ciceronianae essent, ne ullum calumniae locum relinquerem. Ita aliquot locis Latinitas harum Orationum plus nitoris accepit, quam priores Editores dederant, etiam Graevius, cuius recensionem maxime sum sequutus: contra, ubi in variis erroribus et declamatoriis nugis consentiebant libri omnes, vel certe meliores, eodem animo reieci, quod Ciceronis causa, non li-

Thrax essem, Fufius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi: Et si cloaca esses, maxima esses. Risus omnium ingens: scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus, *mihi quid responderet, non invenit, sed negavit se exequuturum, nisi exirem de domo. Ego negavi, me de balneo exiturum, nisi lotus essem » etc. De eodem Cestio, Milonis umbratico defensore, loquitur etiam Quintilianus* X, 5, 20. W.

brorum consensu, praetulerant superiores; qua ratione non raro etiam verba emendavi, minus emendatis inferendis, uti monitum est in Orat. ad Quir. p. 124. Ceterum nihil mutavi de vulgata scriptura, ubi antiqua et vera manus peccatis et correctionibus librariorum prorsus obscurata erat, neque ex integerrimis Lambini, Graevii, aliorum, et nuper collatis codd. exemplorum Oxoniensis et Neapolitani lucem dispicere licebat.

In Commentario pleraque omnia relata sunt ad eam unam rem, cuius causa susceptus est, videlicet ut explicetur, quid in scribendo sit rectum, quid Latinum, quid Ciceronianum, quid non; ne temere lectores attentionem animorum distrahere cogantur. Quocirca nemo hic quaerat interpretationem, quae verba ad communem intelligentiam illustret: satis habemus editionum, tali annotatione instructarum, ex quibus intelligendi praesidia petat, qui ois indigebit; et in obscurioribus locis nonnunquam aliquid allatum esse ex P. Manutii, Hotomani, Graevii, Ferratii, Ernestii, Garatonii copiis, horum virorum nomina memorata ostendunt: multo minus exspectetur alienarum rerum ex adversariis petita explicatio; non quod hanc commentandi rationem contemnam, quae tantam lucem his studiis nostris affudit; sed nunc ea erant expromenda, quae adhuc nobis tradere noluerunt, qui toti erant in adversariis condendis. Ante omnia vero operam dedimus, ut lecturis universae in manus traderentur Marklandi et Gesneri contrariae disputationes et animadversiones, suis quaeque locis, partim in vestibulo, partim sub textu, repositae. Quapropter Gesneri praelectiones minutatim concidendae fuerunt, et quod vir doctissimus Societati suae continuo tenore recitaverat, nonnullis verbis omissis aut mutatis, ad commoditatem interruptae lectionis aptandum; omittenda etiam argumenta Marklandi, nimio brevitatis studio excerpta: de reliquo literam demere mihi religio fuit, praeter aliquot manifestos errores, qui nihil ad rem facerent, viroque occupato ac seni excidisse viderentur. Aliquanto plus operae sumendum fuit in Marklandi animadversionibus. Nam ut eae maiorem numerum iudicum allicerent, partem libri supra laudati ex Anglica in Latinam linguam converti, tum in quibus-

dam annotationibus seriem mutavi, dispersasque ad suos locos revocavi, in omnibus tamen fidem interpretis sedulo praestiti; ubi licebat, verbum e verbo exprimens; alias sententiam reddens ad Latinam consuetudinem, sed ita, nt nihil elegantiae et ceterae gratiae vernaculi sermonis decederet. Quem ad modum, iam dio mibi in optatis fuit, nt et prior pars Marklaudiani libri cum Tunstalli Observationibus et reliquis istarum Epistolarum censoris Latine verteretur: ac, si recte auguror, vir quidam doctus et industrios, ex meis olim familiaribus, brevi tempore hoc oneris sibi in gratiam studiosorum imponet. Sed isti causae simplici interpretatione abunde satisfactum videbitur, quoniam coniuncta Britannorum diligentia, quam utilissimus contentionis ardor exacuebat, omnem fere materiam occupavit, et perpauca de nonnullis Epistolis reliquit nobis rectius constituenda: contra in hac causa Orationum tantum otii nobis paratum non esse, doctorum virorum, de quibus ante retulimus, iudicia demonstrant. Haec causa usque adhuc erat ampliata, non iudicata: exstat unus libellus accusationis; auditus est unus disertior patronus, tres produximus accusati Scriptoris laudatores; reliquum est, nt velut integra re disceptemus, ut peroremus, ut eatur in consilium. Quod ut tandem fiat ab aequis et peritis iudicibus, quando nemo ab ingenio vel doctrina instructior agere voluit, id ego nunc agam, et in unum corpusculum redactis accusatoris et defensoris libris, adiectisque novis annotationibus una hac opera quaestionem pertractabo. Non iniucundum dicetis negotium; omnia quiete et tranquille acta, sine ullis conviciis, et probris in contrariae causae patronos, qualia olim apud politissimos populos audiebantur in iudiciis; unus subinde castigator, ubi quid commeruit, vetus Scriptor, qui id non sentiet, ac, si sentiret, haberet profecto, quo vel acerbiora maledicta obruere posset, admiratorum suorum per tot saecula consonantes laudes et praeconia. Ergo hic nusquam fere sermo est de Marklando aut Gesnero; de rebus est, de criminibus est, de causa est: id quod Gesnerus quoque, liberaliter eruditus, et intellexit et ubique tenuit, semel directe professus, non cum quoquam homine sibi negotium esse,

nec adversus virum doctum, sed adversus rationes eius suscipi disputationem.

Atqua hoc genus liberalitatis et humanitatis in his literis novimus unum; idque constanter sequemur, non illud, quod ignavi homines, novae cuiusdam humanitatis magistri, prae se ferunt, et quo identidem inculcando accusationes levitatis suae exarmare, eosque in invidiam adducere cupiunt, qui ipsorum et vulgi sententias adsperuari, qui iudicia sua graviter et libere defendere, qui scire aliquid, non solum opinari, audent. Nihil enim est istis humanius, qui nulla certa cognitione freti, de omnibus rebus in omnes partes sic varie disserunt, ut saepe, quid ipsi sentiant, difficile sit intelligere. In primis autem invidiosa solet esse corum conditio, qui ea scripta, quae semper ab eruditis probata erant, atque adeo saeculorum praescriptione in prima classe locum occuparant, creditis auctoribus indigna et loco summovenda iudicant. Nempe ita perit multis voluptas, quam a primis annis ex talibus libris perceperant, quos cum reliquis antiquitatis monumentis confusos admirabantur; perit simul existimatio quaedam sollertiae et acuminis, si forte aliquid eiusmodi laudaverant vel publice interpretati erant. Ac sane satis inhumanum est, coram amatore arguere amicae vitia, quae caecum fallunt, vel etiam delectant, *veluti Balbinum polypus Hagnae*, aut coram iis, quibus familiariter utimur, reprehendere eorum cognatos et amicos. Probamus hoc nos quoque, et hanc facilitatem morum saepe utilissimam in usu hominum esse reperimus. At aliam putabamus lenitatem, qua stultissimum quemque ad libidinem suam vivere et vanissimis gaudiis frui aequo animo patimur; aliam suo nomine dignam humanitatem, quae nulla potest esse nisi coniuncta cum veritate et iustitia; quas virtutes, vehementer erraret, qui in studiis literarum minoris quam in reliqua vita momenti esse statueret. Habent tamen isti, quos inauditae sententiae offendunt, et nulla vis argumentorum permovet, iucundum solatium in mira varietate dissentientium hominum, quorum sic comparata est vita et natura, ut saepe tu aliter atque ego, ego aliter ac tu; ut in multis rebus etiam cupidissimus veri nil nisi verisimile ac

probabile sequi possit; ut nullus denique liber sit improbus, ineptus, insulsus, qui non patronum et amatorem suum invenerit. In his communibus locis se iactent illi; modo per eos liceat nobis afferre, quae pro veris habemus, quae oculis nostris cernere videmur, quae argumentis optima fide explicandis confirmamus: ipsis vicissim hanc veniam largimur, ut ex nominibus, ex titulis, homines et scriptores et libros aestiment, in eoque iudicio superiorum aetatum oculis abutantur; postremo ut ocius abiiciant Commentarios, quibus, quid intersit inter Ciceronem et simium Ciceronis paulo subtilius inquiritur, caveantque diligenter, ne forte numero et pondere rationum oppressi in contrariam sententiam pertrahantur.

Etenim ratione, id quod saepius dicendum est, non incerto et crepero sensu cuiusdam verisimilitudinis institui debet disputatio de his rebus, quae, quoad a nobis fieri potest, ab opinionis arbitrio seiungendae certaque scientia comprehendendae sunt. Nimirum curis nostris indigna foret ars critica, si nos doceret suspiciones et coniecturas capere, de quibus non modo imperiti cum peritis, quod sane non est postulandum, sed ne periti quidem inter se et ab omni falsa religione vacui consentirent, tamque vanae et frivolae artis non fines essent regundi, sed ipsa potius tota funditus sepelienda. Ex ista tamen perversa de criticis studiis persuasione vulgaria plerorumque iudicia pendent, etiam nonnullorum ex iis, qui Criticos se dici haberique volunt. Aliis praeterea illud suspecta reddit haec studia, quod monuerunt excellentes quidam viri, divinandi vim et sagacitatem, quibus maxime illa constant, ne pertinacissimo quidem labore neque ulla vitae longinquitate parari, sed unius naturae munere obtingi iis, quibus obtingant, remque adeo totam in iis esse, quae doceri et disci nequeant. Quasi non eadem esset ratio multarum aliarum artium, ut poëticae, ut eloquentiae, ut politicae, ut quodammodo omnium artium reginae, virtutis: siquidem aliud est, percepisse leges et praecepta earum; aliud, sic natura factum imbutumque esse, ut praeceptionis subtilitatem praecurrat et superet divinus impetus ingenii. Sed ne haec secus, ac volumus, accipiantur, appareatque, quam sobrio nu-

mine haec divinatio regatur; age, paucis explicemus praecipuas rationes, quas in occultis fraudum vestigiis odorandis sequuti sumus. Ita simul fiet, ut lectores in quoque loco, quem in suspicionem adductum videbunt, continuo intelligant, ad quod rerum caput nostrae, id est Marklandi et meae, animadversiones revocandae sint.

Primum quidem facile omnes concedent, in libro, qui alicui ex illo praestantissimorum linguae Latinae auctorum ordine tribuatur, nihil inesse debere, neque in simplicibus verbis, neque in iunctura eorum, quod ab optima loquendi consuetudine et classica auctoritate abhorreat. De *ratione grammatica* loquimur, quae Ciceroniano aevo sic plerisque partibus suis conformata et certis regulis adstricta erat, ut eam nemo, vel scribens, vel ad populum dicens, impune negligere posset. Igitur, quod nemo non faciebat, qui illa aetate aliquid viris legendum componeret, ut sermone uteretur puro et emendato, id apparet vel in primis exspectandum esse a scriptore summae auctoritatis; apud quem adeo librariorum incuriam vel stuporem iure accusamus, si quid in oratione eius barbarum, aut soloecum, aut peregrinum, aut ἄκυρον offendimus, aut denique aliquid ulla re contrarium iis, quae hoc in genere legitima esse docet Cicero Partitt. or. c. 6. Quae recta Latine loquendi consuetudo etsi magis temporum illorum quam hominum laus fuit, quum, ut ille ait, non tam praeclarum erat scire Latine quam turpe nescire: tamen vehementer a vero aberraret, qui putaret satis Latinum esse, quidquid certa fide apud ullum scriptorem illius optimi saeculi legeretur. Non enim saeculum facit perfectos scriptores, sed praestantia digna saeculo; nec quisquam eloquentiae gloriam adeptus est ex eo, quod nasci ei contigit eloquentium virorum aetate: sicut Amafiniis, opinor, et Rabiriis nunquam laudi fuit, quod aequales erant Caesari et Ciceroni. Nam facultas bene eleganterque scribendi nobis non insita et innata est, sed institutione atque exercitatione comparatur. Itaque pueri Romani scholas grammaticas et rhetoricas frequentabant, ut addiscerent usum bene scribentium: magistros autem, quibus illi operam dabant, iam extremis Augusti temporibus cito cadentis

eloquentiae vitiis et ineptiis se inquinasse, multis argumentis et testimoniis intelligimus. Quid ergo mirandum est, si scholasticus Declamator, sive peregrinus in Vrbe, sive provincialis fortasse in aliquo Galliae vel Hispaniae angulo docens, longe affuit a nitore sermonis aequalium, ac similitudinem Ciceronis, quam laboriosa arte quaesierat, in naturam suam vertere non potuit?

Alteram rem, qua dictionis bonitas censetur, breviter attingere satis erit, *logicam veritatem sententiarum*, sine qua ex verbis rectissime positis inanis et futilis strepitus nascitur. Sed latius patet haec virtus, nec singulas tantum partes sed omnem perpetuitatem orationis complectitur. Nam ipse ordo et series, qua, quae animo concepimus, explicamus, quatenus ad recte intelligendum pertinet, dialecticae seu logicae artis est, quam constat finitimam esse grammaticae et rhetoricae. Quamobrem qui Ciceronem, non modo loquendi sed et intelligendi maximum artificem, artificiosa imitatione exprimere conatur, eum necesse est ante omnia posse perspicere, quid in quaque re sit, et quale quidque sit, ac ratione et via disputare; quod qui non accurate didicit, ne potest quidem dicendi materiam recte instruere, argumentationes apte concludere, atque ita omnia persequi, ut nusquam hiet aut discrepet sententia, nihilque ponatur ullo in loco, quod non prius dictis consequens, et iis, quae deinceps dicentur, consentaneum sit. Hac autem parte, animadversiones nostrae docebunt, quam pueriliter saepe peccarit hic Cicero noster, ut non magistrum eloquentiae sed infantem hominem audire tibi videare, nihil curantem nisi verborum ad oratorium quemdam modum compositorum copiam ac tinnitum.

Nam in hoc studio dictionis ad scholasticas regulas fingendae et componendae omnem operam conterit hic Orator; sed raro assequitur *elegantiam* et ceteras *virtutes rhetoricas*, quod tertium requiritur in scriptione Ciceroni adiudicanda. Huius enim eloquentissimi viri maxime proprium erat, copiose, magnifice, ornate politeque dicere, electis verbis perspicuis, gravibus, ad numerum iucundis, ad sensum perfectis et cuique rei accommoda-

tis; neque ea, quae forte extemporali impetu fuderat, sine novae emendationis cura in vulgus edere sustinuit. Qui ergo Ciceronis esse poterit oratio, in qua sententiarum ieiunitas prope singulis paginis certet cum ineptiis verborum; in qua loqnutiones modo otiosae et nihil significantes, modo perplexae et parum lucidae, modo affectatae et frigidae, modo tales reperiantur, ut scriptorem more tironum id, quod sentiret, expedite eloqui nescisse appareat? Atque haec sunt vitia illa, quae in his orationibus ubique haerentia sagacissime notavit Britannus: quae addita ad languorem, per omnes partes fusum, efficiunt, ut, etiamsi nullum vocabulum, nulla singularis loquutio offenderet, tamen universum dicendi genus Cicerone indignum indicandum esset. Sed perpauci sunt, qui, quid sit languidum, molestum, argutum, frigidum, subinsulsum, arcessitum, diffluens, tortuosum, aut in omni habitu orationis vitiosum, satis acriter iudicent, praesertim in lingua, quam non a matre didicerunt; qui denique inanem et puerilem loquentiam a virili eloquentia callide distinguant: vocabula et formulas loquendi plerique spectant unice, haud cogitantes, illa vel pulcherrima undique collecta misere iacere, nisi summus magni artificis vim et artem et spiritum oratorium afflaverit. Nempe haec deficiunt in orationibus istis *de Pace*, et, *Antequam iret in exsilium*, non eloquentiae species adumbrata verbis Ciceronianis: in quibus qui leute acquiescit, is poterit cum *Othone Verdmullero*, antiquo Interprete posterioris libelli, multisque aliis superiorum saeculorum, admirari in eo elegantias verborum et figurarum et numerorum ad eum usque modum, vix ut risum contineant lectores intelligentes. Sed, quum prioris Declamationis auctoritas mature explosa esset, ad posterioris fraudem detegendam exspectandus fuit Lambinus, qui primus eam ex Ciceronis exemplaribus sustulit, ut *inelegantem*, *inconcinnam*, *insulsam atque ineptam*, *potius ludimagistro alicui semidocto*, *semirustico et impolito*, *quam summo oratori Romano tribuendam*; atque hanc ab illo praescriptam censuram dein-

ceps maximo consensu sunt sequuti omnes, qui in his rebus aliquid intelligere audebant. (1)

Iam pergendum nobis est ad quartum genus argumentorum, quod etiam indoctissimis assensum eripit, animadversionem *errorum et peccatorum in historia*, qualia imputari viro, in ipso rerum actu dicenti scribentique, nullo pacto possunt. Huc referendum est, si quid vel in factis rebusque gestis, recentis praesertim memoriae, vel in temporum rationibus scriptum est

(1) *Apponamus hic opportunam consiliis nostris annotationem Lambini ex edit. sec. Orat. Cic. Vol. II extremo. Hanc Orationem* (ad populum et Equites Rom. antequam iret in exsilium) *ego in priore Ciceronis editione sustuleram. Quo facto, quum bibliopolae, quorum sumptibus Cicero noster editus fuerat, a sciolis quibusdam certiores facti, eam orationem desiderari, de se actum esse quererentur, quasi, quod ea esset praetermissa, idcirco homines ad Ciceronem coëmendum essent futuri tardiores, et mecum hoc nomine odiose expostularent; quumque eis constanter respondissem, eam orationem non esse Ciceronis, eoque me vetuisse eam excudi: tandem ab illis multis precibus oratus, hanc eis veniam dedi, ut in calce secundi voluminis, quod orationes omnes continet, locaretur. Ita illis animum reddidi, qui se perisse clamabant. Nunc item, et vero multo magis, quia hac editione non solum doctis et politis hominibus gratum facere, verum etiam indoctis et ineptis morem gerere studui, hanc orationem ab aliquo Ciceronis simiolo et imitatore stultissimo, qui sibi bellus ac disertus videbatur, conscriptam, suo quidem loco non, sed tamen hoc secundo volumine, excudi permisi, ne cui aut stolido aut malevolo vel minimam de me querendi causam aut occasionem relinquerem; sed ea lege, ut dissimilibus literis imprimeretur: hoc consilio, ut etiam cordati ac docti sibi a me satisfactum et consultum esse intelligerent, quibus multo placere malo quam excordibus atque indoctis.» Exinde sordere etiam vulgo coepit ista Declamatiuncula: quae fortuna nunc, si vere coniicio, nostras quoque orationes manet; apud eruditos quidem cito, apud imperitos certe post aliquot aetates, si forte rationes nostras adiuverit* dissimilitudo literarum, *a futuris typothetis in integris editionibus Ciceronis utiliter adhibenda.*

contra certam historiae fidem; si quid alio modo est relatum, quam facit ille, cuius nomen scripturae praefixum videmus; si in iisdem eventibus narrandis apud eundem scriptorem inconstantia et varietas notatur, quae non conveniat ei, qui iis interfuit ipse; denique si quid in historiis praeter rem et verisimilitudinem ornatum verbisque exaggeratum est. Atqui nihil est horum omnium, quod non idoneis exemplis coargui debeat in his quatuor Orationibus: neque ego cuiquam auctor fuerim, ut eas res accipiat pro veris et exploratis, quae ibi leguntur sine adiumento gravioris auctoritatis; id quod de Oratione *pro Domo* in pluribus quaestionibus antiquitatis adhuc fecerunt Iureconsulti, in posterum fortasse cautiores futuri. Quamquam mihi quidem vix dubium est, quin hic Rhetor aliquot deperditas Orationes Ciceronis ante oculos habuerit, indeque et res et sententias quasdam mutuatus sit, quae ipso non indignae Cicerone videantur. Immo interdum mihi probabile videbatur, locos eos, quos Pedianus, Aquila et Rufinianus ex postremis duabus harum Orationum attulerunt, consideranti et cum textu nostro conferenti, Rhetorem saepe nihil aliud quam totos locos exempli sui variasse, interpolasse et scholasticae incudi reddidisse. Qua de re breviter, sed dubitanter, monui in Orat. *de Har. resp.* c. 12. Eaque coniectura si non displicebit viris eruditis, admodum minuetur numerus antiquorum testium, quorum consensus nos deterrere a nova sententia poterat; siquidem, quae a Pediano, Quintiliano et aliis laudantur, Orationes *de Domo* et *de Har. resp.* non sunt fortasse omnino eaedem, quas hodie habemus in manibus.

Sequitur quinto loco res, quae multo facilius sentiri potest, quam ad exactas regulas artis redigi; *civilis prudentia quaedam*, qualis et solet et debet esse hominis, qui in usu rerum civilium et consuetudine prudentissimorum virorum consenuisse ipso nomine suo profitetur. Talem enim scriptorem decet didicisse, quid amicis ac bene de se meritis debeatur, qua moderatione de alienis et inimicis loquendum sit, qua arte in omni re agenda serviendum sit locis ac temporibus. Itaque si quis illa omnia ignorat, si de summorum virorum, tum maxime in

repnbl. eminentium, personis taeenda dicenda effutit; tantae μετεωρίας et ἀβλεψίας suspicio in scholasticum declamatorem cadere potest, in Ciceronem vero non potest: nisi forte quis existimat, miserum Consularem in exilio repente insanire incepisse. Nam sicut in congressibus aliter loquuntur et agunt homines de schola, aliter aulici; sic de iisdem rebus aliter Consularis, aliter umbraticus magister verba faciet; ac posterior, quantumvis doctus et sapiens ceterarum rerum, non potest non ruere in eo genere, quod nimis alienum est ab ipsius vita et studiis et moribus.

Superest sexta ratio argumentationis, ducta ex eo, quod *character cuique scriptori proprius* dicitur, id est genus exprimendorum mentis sensorum, varietate notatum temperaturae ingeniorum et formae operum; quod oritur ex compositione sententiarum, ex delectus loquutionum positque partium omnium, quibus universa oratio conflatur. Simile quiddam videmus in ceteris quoque artibus, quae maiore animorum libertate tractantur, in musica, in pictura, in sculptura, in quibus nullus umquam fuit excellens artifex, qui non haberet quandam characteris seu stili proprietatem. Ac, ne quis putet, illud esse nihil, quod ipse videre et percipere nequeat; in scriptoribus quidem saepe res adeo non obscura est, ut et auribus hebetioribus ultro se ingerat. Comparet enim aliquis inter se vel unius aevi terminis inclusos duos tres scriptores, ex Graecis v. e. Platonem, Xenophontem, Isocratem, ex Latinis Tacitum, Suetonium, Plinium Caecilianum; et facile intelliget, quam diversi tum inter se, tum a superioribus sint universo genere et sentiendi et scribendi. Nam, ut de uno, quem postremum appellavi, Plinio loquar, verissime indicavit Ruhnkenius in Praef. T. IV Opp. Muretinorum, apud hunc, etsi perstudiosum lectorem Ciceronis, nullam vel in Epistolis vel in Panegyrico periodum reperiri, quam ille pro sua agnoscere velle videretur. Verum si imitator assidua lectione et meditatione sese ita ad exempli sui normam composuit, versatilique ingenio assequutus est, ut illius non vocabula solum, non quandam orationis figurationem, non compositionem numerorum arripuerit, sed scripto-

rem, qualem eum in propriis operibus cognovimus, omnibus virtutibus ac vitiis reddat: tum naturali quadam calliditate et insigni acumine opus est, ut illud *nescio quid*, in quo tamen duorum vel trium hominum opera discrepant, investigetur, et suis indiciis arguatur. Atque id munus non est nisi eorum, qui multo accuratoque usu se in familiaritatem scriptorum insinuarunt atque immerserunt, ut eos nihil fallat, quod ulla parte ad perfectam ipsorum similitudinem desit. Neque adeo de tali censura cuiusvis literatoris iudicium valere poterit, sed locum hic habebit veteris sapientis dictum, ΕΙΣ ΕΜΟΙ ΜΥΡΙΟΙ, paucisque res diiudicanda quasi publico decreto permittatur oportet a ceteris, quamvis prudentissimis, lectoribus.

At vehementer dubito, an causa nostra tam impedita et difficilis sit ad iudicandum, si modo iudices fuerint ab omni cupiditate remoti: quippe in his Orationibus ubique appareut vestigia alienae manus, tum in compilatione Ciceronianorum locorum, multum diversa illa quidem a fortuita repetitione propriorum dictorum, tum in conformatione νοήσεων σχολαστικῶν, etiam ubi nihil manifesto falsum subest, tum in plurimis aliis rebus, quae non Ciceronem, sed imitatorem eius, veluti aliquem Aonium Palearium ex celebri secta Ciceronianorum, a nobis audiri significant: tanto maiore forsan peritia huius artis musicae excellere oportebit eum, qui aliquando cognoscere volet, num in extremis Orationibus Ciceronis *etiam alia quaedam lateat, non in Senatu dicta*, uti creditur, *sed in otio scholae composita*. Sed quoniam nemo ante nos talem coniecturam attulit, universe rem iudicasse satis habemus, integramque relinquimus iis, qui in his studiis omnia sibi declarari et expediri moleste ferunt; praesertim quum magnopere vereamur, ne hoc surdis auribus cantaturi simus, quoniam in illa Oratione pleraque argumenta νοθείας ex una dissimilitudine characteris ducenda erunt. Reliquimus itidem aliud quid, sed longe facilius, cuicumque libeat, demonstrandum, a nobis saepe significatum nulla ratione adiecta, haud pluribus quam uni auctori istas quatuor Orationes tribuendas esse. Nimirum hoc non minus certum vi-

debitur eas aliquoties uno tenore perlegenti, quam omnes adhuc Ciceroni per errorem esse adscriptas.

Haec hactenus paulo fusius ac liberius disserui, ut testimonia supra laudata refutem, aditumque faciam ad legenda ea, quae mox ab eruditissimis viris in contrarias partes acrius disputantur. Horum autem Praefationibus nihil, neque ad confirmandum, neque ad refellendum, addere volui: non quia nihil erat, quod moneri posset, et fortasse etiam oporteret, sed quia huiusmodi quaestiones potius singulis locis examinandis, quam universe disserendo, ad liquidum perduci possunt. Ita non temere cuiquam dubiae videbuntur leges criticae, quas modo posuimus huic disquisitioni adhibendas; nunc unum hoc anquirendum erit, verisne an falsis criminibus nitatur accusatio nostra.

Actum est, opinor; ilicet.

Scrib. d. 16 Maii 1801.

DE ORATIONE

POST REDITVM IN SENATV

(Schvtzii Prolegomenωn Cap. I)

Ciceronem altero die post reditum (h. e. Non. Sep. A. V. C. 696) ab exsilio senatui gratias egisse, et eodem biduo concionem ad populum habuisse liquido constat praeter Dionis Cassii testimonium (1) ex epist. 1 lib. IV ad Att. Vbi postquam iter per Italiam descripsit, *Ad urbem*, inquit, *ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret, aut dissimulare, aut negare. Quum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant; a qua plausu maximo quum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit, in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie* in senatu, *qui fuit* dies Non. septembr. *senatui gratias egimus. Eo biduo quum esset annonae summa caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum cucurrissent, impulsu Clodii, mea opera frumenti inopiam esse clamarent, quum per eos dies senatus de annona haberetur, et ad eius procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum, Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci, et accurate sententiam dixi, quum*

(1) Lib. XXXIX, c. 19: κατῆλθέ τι οὖν ὁ Κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε Βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων καὶ κατὰ τὸ συνέδριον καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω.

abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messallam et Afranium. Factum est SCtum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur; quo in concione recitato, quum populus, more hoc insulso et novo, plausum meo nomine recitando dedisset: habui concionem*; omnes magistratus praesentes, praeter unum praetorem et duos tribunos plebis, dederunt.* Iam quaeritur utrum ea, quae exstat oratio, post reditum in senatu, ab ipso Cicerone habita, aut certe scripta fuerit.

Itaque primum hoc tenendum est, a nemine veterum scriptorum banc orationem laudari. Quintilianus, qui toties ex aliis Ciceronis orationibus locos excitat, eam prorsus ignorat. Mamertinus quidem iunior gratiar. act. ad Iulianum c. 31, ubi ait, *nunc si tibi, Imperator, parum ampla nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quaeso obtestorque te, ne meae naturae potius, quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum*, his verbis expressisse putatur locum illum orat. post red. in senatu: *Si P. C. pro vestris immortalibus in me fratremque meum liberosque nostros meritis parum vobis cumulate gratias egero, quaeso obtestorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis.* Verum hoc levissimum est; certe nihil aliud ex hac imitatione efficitur, quam hoc, lectam fortasse a Mamertino hanc, quae Ciceronis nomine ferebatur, orationem. Multo minus Bunemanno credendum, Lactantium illo loco Institutt. V, 9, 17, *qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omnes polluant et profanent*, ad locum orat. post reditum in senatu respexisse c. 5, *qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare;* quasi non posset de infamia oris loquuturus in eadem fere verba incidere, nisi ex alterius cuiusdam oratione repeteret.

Neque vero constat Ciceronis orationem, quo Senatui gratias egit, etsi de scripto dictam (Orat. pro Plancio c. 30), umquam editam fuisse. Cicero eam, quum Plancium defendebat l. l. hisce verbis recitari iubet: *Nihil me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam illa testis est oratio, quae est a me prima ha-*

bita in senatu. In qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri statuissemque eos solum nominare, qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent, in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est, in qua ego homo astutus ei me debebam, cui nihil magnopere deberem, et huius tanti officii servitutem adstringebam testimonio sempiterno.

Sed concedamus ab ipso Cicerone editam fuisse, quam habuerit in Senatu orationem, eam certe, quae exstat, non esse ab eo profectam argumentis a Marklando et Wolfio expositis plane mihi persuasi. Ipsum illud quod Cicero l. l. commemorat se Plancio gratias egisse, vix cadit in istam orationem, quae hodie ab eo in Senatu habita fertur. Nam postquam aliis gratias egit auctor, c. 8-12, obiter tantum Plancii mentionem facit; ubi ridicule eum quaestorem doloris sui vocat.

Maximum vero momentum, quo impellimur ut orationem, quae exstat, supposititiam esse credamus, in eo est, quod occurrunt quaedam, quae veritati historicae ipsiusque Ciceronis testimonio repugnant. In quibus statim c. 2 occurrit illud, quod Wolfius monuit, auctorem duo tempora diversa miscuisse, et quod tertio mense post Ciceronis discessum in Senatu actum esset referente L. Ninnio, eum Clodianorum seditionibus ac tumultu VIII Kal. Feb. sequentis anni confudisse. Vt alia eius generis praeteream, quod, c. 14, dicitur: *mecum leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum senatus auctoritatis, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes et religiones afuerunt*, in eo, ut cetera non urgeamus inepta, hoc profecto a vero Cicerone pronuntiari non potuit, quod de frugum ubertate quae secum afuerit, secum redierit, dicitur; quum Cicero ipse Attico, loco supra laudato, scribat summam annonae caritatem suae culpae tributam a multis fuisse.

Denique totum scribendi genus, quantum a Ciceroniano discrepet, abunde demonstratum est a Marklando et Wolfio; quo-

rum de ea re animadversiones diligenter, a studiosis praesertim, versari et expendi volumus.

Ceterum Declamator in hac oratiuncula primo gratias agit Patribus conscriptis s. universo senatui, c. 1; deinde consulibus Lentulo et Metello, tribunis plebis et Pompeio, c. 2-4; tum degreditur ad consules superioris anni Gabinium et Pisonem vituperandos, omnibusque conviciis proscindendos, in quo magna est suspicio eum orationes pro Sextio et in Pisonem imitari voluisse; c. 4-7. Postea octo tribunos, septemque praetores eius anni, qui in eius salute restituenda elaboraverant, nominatim laudat, praecipue autem Lentulo, Pompeio, Miloni, Sextio gratias agit; c. 7-12. Deinde causas exponit, cur Clodii furoribus potius cesserit, quam vi armisque se defenderit, ubi obiter Plancii in se merita commemorat; c. 13, 14. Postremo pollicetur se in republica defendenda, non modo nihil imminuturum de libertate sua pristina, sed eam etiam adaucturum esse; c. 15.

ORATIO

POST

REDITVM IN SENATV

I.

Si, Patres conscripti, pro vestris immortalibus in me fratremque meum liberosque nostros meritis parum vobis cumulate gratias egero; quaeso obtestorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini vestrorum beneficiorum, id tribuendum putetis. Quae enim tanta potest exsistere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile

Cumulate gratias egero) *Cumulate gratias agere* locutio est, quam alibi frustra quaeras apud Ciceronem, quamvis saepe et plurimis loquendi modis *gratias agentem*. Dicit ille quidem *cumulate referre gratiam*: sed aliud est *referre*, aliud *agere*. Nam etsi in oratione quoque et in verbis *cumulus* intelligi potest: tamen antiqua consuetudo illud non magis videtur tulisse, quam *cumulate laudare aliquem* aut *reprehendere* et similia. Hoc quale sit, demonstrare potest notum Ciceronis indicium Ep. ad Fam. XVI, 17 de formula *fideliter inservire valetudini*, quam ita probarunt quidam recentiorum, ut eam etiam contra illum defendere ex doctrina morum auderent. Atque huic generi existimatorum, sicut alia nostra permulta, sic et hoc, quod statim addidero, minus probabitur. Nam si quid calleo sensum Romani Oratoris, non videtur is in ipso principio ita de fratre et communibus liberis mentionem facturus fuisse, talisque pietas convenire potius Declamatori, qui si aliquot post saeculis vixisset, forsitan ne bonae coniugis quidem oblitus esset; quae et ipsa peti poterat ex Orat. pro Sext. c. 22. WOLF.

Credibile) *Incredibilis eloquentia* bene dicitur, non item *incredibile genus orationis*.

genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes, nobis liberos; qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui amplissimam rempublicam, qui patriam, qua nihil potest esse iucundius, qui denique nosmet ipsos nobis reddidistis. Quod si parentes 2
carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est; si deos immortales, quorum beneficio et haec tenuimus, et ceteris rebus aucti sumus; si populum romanum, cuius honoribus in amplissimo consilio et in altissimo

Vniversa promerita) Substantivum hoc nusquam legitur in libris Ciceronis nisi h. l. et ad Quir. c. 4, ubique *meritum*, locis innumeris: quae res magni semper momenti habenda est, nec putandum, classicos scriptores in talibus semel iterumque a constantia sui usus recedere. Wolf.

Orando, sed) *Orando* est pro *oratione*, melior tamen et usitatior est oppositio in Orat. ad Quir. cap. 2 « non modo augere aut ornare orationa, sed enumerare aut consequi ». — *Percensere numerando*) Absurda haec est hyperbole.

Populum romanum, cuius honoribus) Quasi oratorio modo dicta haec accipienda putat Hotomanus, dubitans, quid sit quod, quum senatores non a populo crearentur, sed a censoribus legerentur, *populi beneficio* in senatu se collocatum dicat. Quae dubitatio videtur ex vano iniecta esse. Nam locum atque ius dicendi in senatu quisque de more accepit functione magistratuum, quaesturae, aedilitatis, praeturae, consulatus i. e. *honorum*, quos populi beneficium dabat. Quamobrem vere dicere potuit senator, *populi honoribus* se in senatu collocatum, quandoquidem a populo creabantur magistratus, non a censore. Eam quidem creationem constat a censoribus comprobatam vel firmatam esse nominibus in tabulas seu catalogum inferendis suoque tempore recitandis, id quod dicebatur *legere senatum*: sed ipsa potestas in senatum veniendi sententiaeque dicendae praecedebat hanc censoriam lectionem, neque adeo censoribus licuit quemquam praeterire ac reiicere, nisi quid in aliquo notandum et reprehendendum haberent. Ergo hae partes censorum magis valuisse videntur dicis causa quam necessitatis: ac fuerunt haud dubie multi, qui senatoria dignitate et iure optimo fruerentur diu et per omnem vitam, quorum nomina ex tabulis censoriis nunquam recitata essent. Markl. Eandem sententiam iam ante sequutus erat et accurate firmaverat M. Ant. Ferratius ad locum Cic. Verrin. Act. I, c. 15; eaque verissima est, si de temporibus

gradu dignitatis atque in hac omnium terrarum arce collocati sumus; si hunc ipsum ordinem, a quo saepe magnificentissimis decretis sumus honestati: immensum quiddam et infinitum est, quod vobis debemus, qui vestro singulari studio atque consensu, parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi romani honores, vestra de me multa iudicia, nobis omnia uno tempore reddidistis: ut, quum multa vobis, magna populo romano, innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debeamus, haec antea singula per illos habuerimus, nunc universa per vos recuperaverimus.

3 II. Itaque, Patres conscripti, quod ne optandum quidem est homini, immortalitatem quandam per eos adepti videmur. Quod enim tempus erit unquam, quo vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur, qui illo ipso tempore, quum vi, ferro;

quaeras a Sullae dominatu. Postea vero haec tota res et causa contrariis argumentis multo explicatius disceptata est a Vertoto (T. III, extremo libri inscr. Revolutions de la républ. Rom.) a Middletono a Chapmanno a Beauforto, ab Herveyo denique, qui ipsum Middletonum in hanc disputationem vocaverat epistolis quibusdam, quas cum Middletoni responsis a. 1778 edidit Th. Knowles Londini. Wolf.

Ut, quum multa — recuperaverimus) Non satis erat, nullam in hac clausula inesse novam sententiam, oratoriamque tantum periodi iam satis longae amplificationem quaeri; ipsa gradatio verbis facta est vehementer ineptis. Quo enim alio nomine digna sunt ista *multa*, *magno*, *innumerabilia*? quae ultima quoniam quatuor omnino res erant, paulo ante commode numerari potuerunt. Verum ea figura deduxit auctorem, qui quum multa sibi, magna scholis Rhetorum, innumerabilia Ciceronis scriptis deberet, beatus videbatur sibi, quod haec universa in declamationem suam importare poterat. Etiam illa copia ante, vide, ne nimia et male digesta sit in verbis, *amplissimo consilio*, *altissimo gradu dignitatis*, *omnium terrarum arce*. Displicent certe haec nobis, sive omnia ad unum senatum pertinent, sive singula proprie acceperis, ut primum referatur ad senatoriam dignitatem, alterum ad consularem, tertium ad ipsam urbem seu rempublicam, vel denique curiam, quod placet nonnullis ob locum Orat. pro Milone §. 90. Wolf.

Quum vi, ferro — teneremini) Immo *loquebatur liberius senatus*

metu, minis obsessi teneremini, non multo post di-
scessum meum, universi me revocavistis, referente
L. Ninnio, fortissimo atque optimo viro? quem ha-
buit ille pestifer annus et maxime fidelem, et minime
timidum, si dimicare placuisset, defensorem salutis
meae. Posteaquam vobis potestas decernendi non
est permissa per eum tribunum plebis, qui, quum
per se rempublicam lacerare non posset, sub alieno
scelere delevit; nunquam de me siluistis, nunquam
meam salutem non ab his consulibus, qui vendide-
rant, flagitavistis. Itaque vestro studio atque aucto- 4
ritate perfectum est, ut ille ipse annus, quem ego
mihi, quam patriae, malueram esse fatalem, hos

statim tertio mense post discessum Ciceronis, quum referente L. Ninnio, frequens senatus de illius reditu decerneret, quum huic senatus decreto nemo praeter unum Tribunum pl. intercederet etc. Attuli auctoritatem Ciceronis ipsius Orat. pro Sext. §. 68. Itaque hic ait, iste negat; utri creditis, Quirites? Non profecto huic Rhetori, qui ut beneficium augeret, vel ut rotundiorem faceret sententiam, hasce minas atque terrores infarsit. Nempe facile fuit miscere diversa tempora, et senatum illum Kal. Iun. prioris anni habitum confundere cum turbulenta concione d. 8 Kal. Febr. anni posterioris, qui dies, quo Clodiani reditum Ciceronis obiectu cadaverum intercludere quaerebant, copiose describitur in eadem Sextiana cap. 35 seqq. Cogitavi interdum quomodo elui ex hoc loco tam turpis macula posset; sed nullum occurrit remedium nisi unum miserrimum, ut inserta copula legeretur ET *non multo* etc. Miserrimum id dico, quia apparet, toto hoc capite de priore anno narrari. Accedit, quod iste saepissime satis habet nobis verba dare, ubi res et facta exspectabamus. Sic et Ninnio adduntur verba, *fortissimo atque optimo viro*, quibus periodus fiat paulo amplior: tametsi hoc non absurde, siquidem *fidem virtutemque* illius praedicaverat Cicero l. l. W.

Posteaquam) Graev. *postea vero quum* ex unico MS.

Per eum tribunum plebis) Aelium Ligurem, quia intercessit. MAN. — Wolfius, tum re ipsa, tum acerbitate contumeliae, de Clodio potius intelligendum esse censet, ut *alienum scelus* sit consulum, Gabinii et Pisonis in quos Cicero saepe primariam culpam confert calamitatis suae. TYR.

Ab his consulibus) Pisone et Gabinio. — *Qui vendiderant*) Clodio, pactione provinciarum, quae sceleris merces. MAN.

Fatalem) *Fatalis*, Servio ad Virg. Aen. II, 165, docente, vocabulum τῶν μέσων i. e. in bona et in mala re usitatum, proprie notat, *quidquid certo fatorum decreto constitutum est*; bonum id sit an malum, ex adiunctis intelligi oportet. Sic Cic. Catil. III, 4 dicit,

tribunos haberet, qui et promulgarent de salute mea,

« *fatalem* hunc esse annum *ad interitum* huius urbis atque imperii ». Et IV, 1 : « Si P. Lentulus suum nomen. — *fatale ad perniciem* reipubl. fore putavit; cur ego non laeter, meum consulatum *ad salutem* reipubl. prope *fatalem* exstitisse? » Contra ponitur *voluntarius* h. e. *quidquid est optionis et potestatis nostrae*. Philipp. VI, 7: « Fuit aliquis *fatalis* casus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit: nunc, si quis erit, erit *voluntarius* ». Et X, 9: « An, quum illum *necessarium* et *fatalem* paene casum non tulerimus, hunc feremus *voluntarium*? » Conf. etiam Orat. pro Lig. §. 17. Praeter hanc nativam vim *ancipitem*, tritissimo uso in *malam* partem ponitur verbum, uti h. l., verum ita ut nunquam simpliciter sit *perniciosus* seu *exitiosus*, sed admista fati cuiusdam, perniciem, exitium, necem afferentis, significatione. Vt de Hannibale Liv. XXXIX, 51: « Flaminini adventum (ad Prusiam) velut *fatalem sibi* horruerat ». Conf. Muretum ad Cic. Cat. III, 1 (Opp. T. II, pag. 608). Ita vero neutra potestate vox illa nostro loco usurpari potuit; et adversantur inter se *malueram* et *fatalem*, quoniam nulla voluntas vel optio est in re a diis perque fatorum necessitatem adducta. Haec si vere a nobis notata sunt, ἀσύστατα ista a Cicerone, vel quisquis linguam latinam Romae didicerat, copulari non potuerunt. Markl. Erudita disputatio de significatione vocis, qua ostenditur, etiam quum *fatum* pro exitio, et pro exitioso *fatalis* ponatur, tamen illam necessitatis inevitabilis notionem esse coniunctam. Itaque sic potius debuisse argumentari Hotomanum ait vir doctissimus: Absurda est illa dictio; ergo proficisci a Cicerone non potuit. Primo potuit aliquid absurdum Marklando vel mihi videri, et tamen esse Tullii: deinde hoc non debet absurdum videri, ut aliquis *electionem* in *fata*, etiam propria dicto et necessario, habeat. Fatale fuit, ut Achilles vel longaevus sine gloria esset, vel in summa gloria moreretur iuvenis: ille hoc maluit. Fatale fuit Tib. Graccho, ut, prout anguem vel suum vel Corneliae suae emitteret, ita vel ipse viveret, vel Cornelia: maluit ille superstitem esse Corneliam (Cic. de Divin. I, 18). Sic *fatalis* fuit ille *annus* eatenus, ut vel civis optimus fugeret, vel periret respublica. Cicero, verus etiam, plaudente populo rom. dicere poterat, se sibi *fatalem* esse *maluisse* quam patriae. Gesn. Acutam habes responsionem: adderem simul veram, si modo alibi tam reconditos sensus hic minime verborum parcus magister sectaretur, aut notum aliunde esset duplex fatum, Ciceroni, quemadmodum olim Achilli et Graccho, divinitus propositum. Nam si talia ad libidinem *fingere* liceret, ut facit Gesnerus, vereor, ne saepissime aliquis vel *morbum* vel alia *incommoda*, quibus remedia adhibere prudens negligit, latine posset *malle sibi esse fatalia*! id est efficere, ut *fatalia* exuant naturam suam, fiantque *voluntaria*. Quo tamen modo neminem ex probatis scriptoribus loquutum esse reperimus, a quibus haec adeo ponuntur diversa, ut et *voluntariae morti* opponatur *fatalis* h. e. naturalis. Neque vero ipse vir doctissimus non male et ridicula dicta haec putaverit: *Febrim hanc mihi meisque* noluisse e

et ad vos saepenumero referrent. Nam consules modesti, legumque metuentes, impediebantur lege, non ea, quae de me, sed quae de ipsis lata erat, quum meus inimicus promulgavit, ut, si revixissent ii, qui haec paene delerunt, tum ego redirem: quo facto utrumque confessus est, et se illorum vitam desiderare, et magno in periculo rempublicam futuram, si aut hostes atque interfectores reipublicae revixissent, aut ego non revertissem. Itaque illo ipso tamen anno, quum ego cessissem; princeps autem civitatis, non legum praesidio, sed parietum, vitam suam tueretur; respublica sine consulibus esset, neque solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis

fatalem, *quapropter medicum adhiberi*; vel si dux exercitus dixerit, *nolle se quoddam praesidium aut proelium sibi* fatale esse; etsi haud male dicimus *fatum quaerere in proelio*. Possent plura in hanc sententiam disputari, ex ipsius etiam Ciceronis philosophia de Fato c. 13, sed sufficient haec, ut intelligatur, melius sibi cauturum fuisse hunc Scriptorem, si supra scribere maluisset *quem habuit ille* fatalis *annus*, hoc autem loco *maturam esse* pestiferum. WOL.

Consules modesti) Εἰρωνικῶς. Hoc enim legis nomine cupiditatem suam tegebant. HOT.

Impediebantur lege) Quam Clodius tulerat, ne quis ad senatum de revocando Cicerone referret, neve sententiam diceret, ut paulo infra. ID. — *Non ea, quae de me*) Nam illa lex nihil me facere vetabat, sed consules ipsos, et eos qui ius ad senatum referendi habebant. ID.

Magno in periculo) Festive cum sarcasmo legis sententiam immutat: quasi Clodius significasset, si Catilinarii revixissent, illico revocandum Ciceronem, ut illorum conatibus iterum obsisteret. HOT.

Interfectores reipublicae) *Interficere rempublicam* seu *interfector reipubl.* videtur mihi translatio esse nihilo mollior, quam illa vituperata a Cic. de Orat. III, 41: *Africani morte* CASTRATA *erat respublica*, et, *M. Catone mortuo, senatus relictus erat* PVPILLVS. Totam autem sententiam, quum salebras eius superaveris, et futiliter excogitatam reperias, et expressam tenebricose, atque omnino talem, qualem in scripto illius aetatis, praesertim tanti nominis, nunquam me reperisse meminerim. WOLF.

Ego non revertissem) Totus hic locus male a rhetore tornatus.

Princeps) Cn. Pompeius.

Parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis) Male luditur antitheto, *perpetuis* et *annuis*, perinde copulatis, quasi *tutores* aliquid maius essent *parentibus*. Vtrumque tamen ad solos Coss. referri poterit (ne cui

esset orbata; sententias dicere prohiberemini; caput meae proscriptionis recitaretur: nunquam dubitastis meam salutem cum communi salute coniungere.

5 III. Postea vero quam singulari et praestantissima virtute P. Lentuli consulis, ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica Kal. Ian. dispicere coepistis; quum Q. Metelli, nobilissimi hominis atque optimi viri summa dignitas, quum praetorum, tribunorum plebis paene omnium virtus et fides, reipublicae subvenisset; quum virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompeius, omnium gentium, omnium saeculorum, omnis memoriae facile princeps, tuto se in senatum venire arbitraretur: tantus vester consensus de salute mea fuit, ut corpus abesset meum, dignitas iam in patriam revertisset.
6 Quo quidem mense, quid inter me et meos inimicos interesset, existimare potuistis. Ego meam salutem deserui, ne propter me civium vulneribus respublica cruentaretur: illi meum reditum non populi romani suffragiis, sed flumine sanguinis intercludendum putaverunt. Itaque postea nihil vos civibus, nihil sociis, nihil regibus respondi-

perpetui parentes de reliquis Senatoribus dicti videantur, appositis *annuis* consulibus et cett. magistratibus) vel potius *tutores* tantum ad consules, *parentes* ad Pompeium et ipsum Ciceronem; quae opinio Ferratii erat. Neque satis commode statim hic et §. 8 iunguntur membra, *sententias dicere prohiberemini*, et *caput meae proscriptionis recitaretur*; quippe hac ipsa recitatione prohibitio continebatur: quare melius scriptum fuisset, *capite proscriptionis meae recitando*. Denique post tot egregia verba, quid *illo ipso tamen anno*, quum hoc fieret, quum illud fieret, quum recitaretur praeclarum caput legis de exsilio Ciceronis, quid tandem egerunt Senatores?—*Nunquam dubitarunt eius salutem cum communi salute coniungere.* Bella sententia, verbis expressa Ciceronianis, sed quibus opus fuisset pluribus et luculentioribus atque alicuius rei factae mentione, ut extrema responderent primis, et exitum tanto hiatu dignum inveniret periodus. W.

Itaque postea — videbatis) Pro Sex. c. 31 extr. *Omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules retulissent.* Sed ne putes, artificem nostrum tibiam inflasse sine capistro: prope gravius loquitur ipse in Pis.

stis: nihil iudices sententiis, nihil populus suffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. Quo quidem tempore, quum is excessisset, qui 7
caedi et flammae, vobis auctoribus, restiterat, cum ferro et facibus homines tota urbe volitantes, magistratuum tecta impugnata, deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi consulis fasces fractos, fortissimi atque optimi viri, tribuni plebis, sanctissimum corpus non tactum ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis. Qua strage nonnulli permoti magistratus, partim metu mortis, partim desperatione reipublicae, paullum a mea causa recesserunt. Reliqui fuerunt, quos neque terror, neque vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minae, nec tela, nec faces a vestra auctoritate, a populi romani dignitate, a mea salute depellerent.

c. 14: *Curiae taciturnitatem annuam, silentium perpetuum iudiciorum et fori.* Nec vero illa de senatu erat scriptura *auctoritate declaravit*, ubi *decernere* et alia verba proprium locum habebant.

Quum is excessisset) Cicero.

Clarissimi consulis) Recte Wolfius monuit, Rhetorem intellexisse *P. Lentulum*, sed in persona errasse. Nam id Gabinio cos. acciderat anno superiore; Q. Metelli fasces putabat Manutius, L. Lentuli Hotomanus; neutri assensus est Marklandus.

Tribuni plebis) P. Sextii.

Qua strage — reliqui fuerunt) Qui fuerint hi timidiores, nemo nos docuit, aut docebit in posterum. Manutius quidem coniectabat, aediles significari et quaestores. At primum ii nec ferendarum legum nec vocandi senatus potestatem habuerunt; deinde, si quis praeter tribunos et praetores pro viro pugnaverat, talibus non minus quam magistratibus illis in reliqua Oratione gratia debebatur. Nam quod metu mortis a causa recesserant, id ferendum erat humaniter; quod paulum duntaxat recesserant, eo plus illi laudis apud gratum hominem meruerant; ut acute vidit Ferratius, qui tandem acquiescit in uno Fabricio, de quo v. Sext. c. 35 et hic c. 8 extr. Haec tamen ratio non placebit omnibus, qui consideraverint, quid sit *recedere a causa*; putabuntque fortasse satis visum Auctori, si rem per se credibilem poneret et naturae humanae non repugnantem. In reliquis, etsi magnifice sonant, displicet nobis, tanquam incompositum constructione, *reliqui fuerunt.*

8 IV. Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen consulatus sui fore putavit, si me mihi, si meis, si vobis, si reipublicae reddidisset: qui, ut est designatus, nunquam dubitavit sententiam de salute mea, se et republica dignam, dicere. Quum a tribuno plebis vetaretur, quum praeclarum caput recitaretur, NE QVIS AD VOS REFERRET, NE QVIS DECERNERET, NE DISPVTARET, NE LOQVERETVR, NE PEDIBVS IRET, NE SCRIBENDO ADESSET: totam illam, ut ante dixi, proscriptionem, non legem putavit, qua civis optime de republica meritus, nominatim, sine iudicio, una cum senatu reipublicae esset ereptus. Vt vero iniit magistratum, non dicam, quid egit prius, sed quid omnino egit aliud, nisi, ut, me conservato, vestram in posterum dignitatem au-

Ne pedibus iret) Ridet hanc locutionem Marklandus. Debebat esse *ne quis in sententiam cuiusquam pedibus iret.*

NE QVIS — — ADESSET) Vniversum hoc *caput* differtum mihi videtur pluribus rebus, quam quae legi potuerant in ea tabula, cuius carmen servavit Cic. ad Att. III, 15 s. f. « Scripsisti ad me, *quoddam caput legis Clodium in curiae posts fixisse, Ne referri, neve dici liceret*». MARKL. Facile accedo Marklandi sententiae, in his cumulatis locutionibus eiusdem potestatis declamatorium strepitum inesse. Nec proprium et rogationi aptum verbum est *disputare*; si quis forte hoc de altercatione aut iusta oratione, alterum, perquam ignavum, *loqueretur*, de paucis verbis accipi posse putet, ut commento invet scriptoris imperitiam. Neque hoc talibus locis refellitur, qualis hic est pro Sest. §. 73: « Disputavit etiam multa prudenter». Mitto illud *ne quis decerneret*, quod ne ipsum quidem antiquae notae videtur. Quomodo autem quis vocabulum *dici*, sic absolute positum, cavillari possit, et speciose possit, non assequor. Notae sunt tria senatoris: *et adsit, ut loco dicat, ut modo* ap. Cic. de Legg. III, 18, ac notissimum, *Dic M. Tulli.* W.

Vna cum senatu) Pro Sest. §. 34: « Nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus». Ita hic infra §. 18 « Senatu oppresso» scil. sublata libertate dicendi et decernendi. *Nominatim* pertinet ad posteriorem Cludii legem, qua Ciceroni post discessum aqua et igni interdictum erat. In priore lege, quae timidum consularem ad indignas sordes et squalorem deduxit, non erat nominatus. WOLF.

Prius) *Quid egerit prius* MSS. nonnulli, idque tacite edidit Graev. (probavitque Wolfius).

ctoritatemque sanciret? Dii immortales, quantum 9
mihi beneficium dedisse videmini, quod hoc anno P.
Lentulus consul est? quanto magis dedissetis, si superiore anno fuisset? nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem. Audieram ex sapientissimo homine, atque optimo civi et viro, Q. Catulo, non saepe unum consulem improbum, duos vero nunquam [post Romam conditam] [1], excepto illo Cinnano tempore, fuisse. Quare meam causam semper fore firmissimam, dicere solebat, dum vel unus in republica consul esset. Quod vere dixerat, si illud de duobus consulibus, quod ante in republica non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. Quod si Q. Metellus illo tempore consul fuis- 10
set unicus, dubitatis, quo animo fuerit in me conservando futurus, quum in restituendo auctorem fuisse adscriptoremque videatis? Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, pravae, oppletae tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum ac venditores vestrae dignitatis. Quorum alter a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter Cethegum, consobrinum, reposcebat: qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones,

Dii immortales — fuisset) Haec etsi nolis exclamandi sibata, languent mirum in modum, et ita sunt vulgariter expressa, ut nihil infra possit. Wolf. Idem sentit Schützius. In verbis etiam *nec enim — concidissem* frigidum acumen captasse declamatorem Beckius vidit. T.

(1) Uncis inclusa absunt plerisque MSS. ac Wolfius eiecit. Typ.

Intueri) *Tueri* ex cod. Turnebi, Lall. aliis praeeunte Lallem. dedit Beckius.

Amatorem suum) Virum Gabinii Catilinam paulo post appellat, et in oratione pro domo: *Gabinium Catilinae delicias*. Man.

non modo deseruerunt, in causa praesertim publica et consulari, sed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam vestro, ceterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt: quorum alter tamen neque me, neque quemquam fefellit.

11 V. Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cuius primum tempus aetatis palam fuisset ad omnes libidines divulgatum? qui ne a sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare? qui quum suam rem non minus strenue, quam postea publicam confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit? qui nisi in aram tribunatus confugisset, neque vim praetoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proscriptionem effugere potuisset. Quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset; ac minore quidem cum reipublicae detrimento, quam quod intra moenia nefarius hostis praedoque versatus est; quo inspectante ac sedente, legem tribunus plebis

Quorum alter) Gabinius.

Vllius boni spem) *Spem boni* latine dici negat Ernest. ad Tac. Ann. II, 15; cui assentitur Wolf. Typ.

Ad omnes libidines) Gruter. e Pal. 9, Erf. dedit *omnium*.

Sanctissima parte corporis) Notatur infamia *oris*, de qua et Lactantius, nostri fortasse loci memor, scribit V, 9, 17: «Qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant et profanent» ubi vide Bunemannum. In seqq. Auctor turpiter ineptit, quum *vim* dicit *Praetoris de iudicio*, frigideque ludit verbis *confugisset* et *effugere*. Conf. Sext. §. 18. Wolf.

Rogationem de piratico bello tulisset) Dicitur Gabinius pecunia corruptus tulisse, ut Pompeio piraticum bellum mandaretur. Ferr.

Quo inspectante ac sedente) I. e. quiescente, tacente: conf. in Pis. §. 9. Ad Att. III, 15 s. fin. Sed quid est, quem ob rem repente de actione consulatus Gabiniani loquatur importunus loquutor, quam modo ea persequi instituerat, quae *spem* ostendissent consulatus? In mentem ei venerat locus Sext. c. 15, quem praepostere assuit, uno alteroque vocabulo, ut par erat, altiorem: *Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnunciaret, ne quis legi intercederet, ut lex Aelia et Fufia ne va-*

tulit: ne auspiciis obtemperaretur; ne obnunciare concilio aut comitiis; ne legi intercedere liceret; ut lex Aelia et Fufia ne valerent: quae nostri maiores certissima subsidia reipublicae contra tribunicios fu- 12
rores esse voluerunt. Idemque postea, quum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio supplex ad eum sordidata venisset, quumque adolescentes nobilissimi, cunctique equites romani se ad lenonis impurissimi pedes abiecissent: quo vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrymas, verum etiam patriae preces repudiavit? Neque eo contentus fuit, sed etiam in concionem adscendit, eaque dixit, quae, si eius vir Catilina revixisset, dicere non esset ausus: se Nonarum Decembr. quae me consule fuissent, clivique Capitolini poenas ab equitibus romanis esse repetiturum. Neque solum id dixit, sed quos ei commodum

leret; qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, universam rempubl. esse deletam? Nempe leges illae *saepenumero tribunitios furores debilitarunt et represserunt*, ut est in Vatin. §. 18. Wolf.

Ad lenonis impurissimi) Perperam alii codd. partim *impudicissimi*, partim *impudentissimi*. Vide Sext. §. 26, unde haec ubertas verborum fluxit, non sine auctario quodam, quo φορτικωτέρα fieret oratio. Sic, qui modo erat *leno*, statim mutatur in *cincinnatum ganeonem*, quo nomine Gabinius nusquam appellatur a Cicerone. Sic, quod hic dicit *amplissimi ordinis preces et clarissimorum civium lacrymos*, iste, re in speciem aucta, effert *non solum civium lacrymas, verum etiam patriae preces*. Quo loco memorabile est, saepius accidisse huic scriptori, ut, ubi particulas istas poneret, *non solum, verum etiam*, in altero membro aut minus quiddam adiiceret, aut omnino nihil, quum aliud magnum adiecisse videri vellet. Conf. supra §. 4 et pro Domo §. 6. Item nobis verba dat, quum ait non fuisse ausurum eadem dicere Catilinam, quae dixisset Gabinius. Nam quid dixit hic Gabinius? Minas iecit. Profecto parum novit Catilinam suum. Nonne tales minas audacissimus homo iactare ausurus erat, si sui similis manserat apud inferos? Igitur ne verbum quidem omittendum aut mutandum fuerat ex loco, quem prae oculis habuit, Sext. §. 28. Haec certa et facillima via est ad eloquentiam Ciceronianam. Wolf.

Nonarum Decembris) Quo die sumptum est supplicium de coniuratis, quum iussu Ciceronis equites romani clivum Capitolinum occupassent. Philip. 2. Fern.

fuit, compellavit: L. vero Lamiam, equitem romanum, praestanti dignitate hominem, et saluti meae pro familiaritate, reipublicae pro fortunis suis, amicissimum, consul imperiosus exire urbe iussit; et quum vos vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis, atque idem omnes boni iam ante fecissent; ille unguentis oblitus, cum toga praetexta, quam omnes praetores aedilesque tum abiecerant, irrisit squalorem vestrum, et luctum gratissimae civitatis: fecitque, quod nemo unquam tyrannus, ut, quo minus occulte vestrum malum gemeretis, nihil diceret, ne aperte incommoda patriae lugeretis, ediceret.

Quum vos vestem — abiecerant) Nihil intererat, ultima haec inutilia addi, postquam eodem spiritu dictum erat, *senatores cunctos vestem mutavisse.* Nam si fecerunt *cuncti*, quid opus est narrare, eandem rem et *Praetores* et *Aediles* fecisse: nisi forte aliquis Romae fuit praetor aut aedilis, qui idem senator non esset. Nonne ex eo, quod Auctor mentionem horum magistratuum seorsum fecit, dubitandi causa erit, an is satis norit instituta romana, scieritque omnes praetores et aediles fuisse eosdem senatores? Certe, si hoc nescisset, non potuisset scribere peius. Markl. Debebat sibi tam insignis vir ipse respondere, aliud esse, *vestem mutant cuncti senatores* h. e. sordidam vestem sumunt pro candida; aliud esse, *praetextam* (vestem magistratuum propriam) *abiiciunt*, qui ius illius habent. Gesn. Paulo superius repetere potuisset censura. Nam de hac mutatione vestis iam ibi ingressus est dicere, ubi *innumerabilis multitudo bonorum sordidata venit*; deinceps huc illuc titubans, incidit in eandem rem: *quum vos vestem mutandam censuissetis*; non est satis; addendum erat *cunctique mutassetis:* immo ne hoc quidem erat satis. Igitur nunc praetexta vestem non mutantis Gabinii trahit hanc eandem, cuius tam argutum interpretamentum expromit Gesnerus. Conf. ad §. 35 de Plancio. Marklandi tamen suspicionem de ignorantia scriptoris ex h. l. non duxerim. Homines huius professionis interdum non tam sunt ignari rerum, quam videntur esse, quum periodos suas detornant, in verbis unice occupati. Wolf.

Vt, quo minus — ediceret) Digna hoc scriptore sententia, cuius partem sumpsit e Sextiana c. 14, partim ex Pison. c. 8. De suo iniecit antitheta *occulte* et *operte*, cum ludibunda gravitate sonorum, *nihil diceret* et *ediceret.* Markl. Adde, quod amor argutiarum sensum perquam implicatum reddidit, quem nescio an nullus editorum assequutus sit. Saltem obscuriora videntur atque aliena, quae adscripsit Manutius: « Vt pro republica et pro salute mea nihil diceret. Sic enim effecisset, ne vestrum malum occulte gemeretis: quod efficere

VI. Quum vero in circo Flaminio, non a tribuno plebis consul in concionem, sed a latrone archipirata, productus esset: primum processit, qua auctoritate vir? vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce et temulenta: quod in cives indemnatos esset animadversum, id sibi dixit gravis auctor vehementissime displicere. Vbi nobis haec auctoritas tamdiu tanta latuit? cur in lustris et helluationibus huius calamistrati saltatoris tam eximia virtus tamdiu cessavit? Nam ille alter Caesoninus Calventius, ab adolescentia versatus est in foro, quum eum, praeter simulatam versutamque tristitiam, nulla res commendaret: non iuris studium, non dicendi, non rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas. Quem praeteriens, quum incultum, horridum, moestumque vidisses, etiamsi agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiope si 14
in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum,

non potoit, quamquam edixerit, ne palam, veste mutata, incommoda patriae lugeretis». Nec solvit nodum Graevius; at secat Heumannus in singulari editione harum Oratt. post Reditum, ubi Rhetori laboranti succurrit hac forticula coniectura: *Vt, qui omnes occulte vestrum malum gemeretis, ne aperte incommoda patriae lugeretis, ediceret.* Adeo nemo videre potuit, verba *nihil diceret* apud hunc scriptorem valere *non prohiberet*, indocte concinnitatis causa. *Tyrannum* denique cepit a Sext. c. 14 vel Pison. c. 8. W.

Aethiope) Recte dixisset *cum stipite*; sed cur *Aethiope?* nihil ineptius. Sed omnino lectio fluctuat. In Lambini codd. aberat *stipite in* cod. Pith. omissum *Aethiope*, ut alia praeteream, quae congessit Bekius.

Elinguem — diceres) Sic Wolfius. Schützius Ernestium sequutus dedit *elingue*, ut iam hinc omnia ad *negotium* relata sint. Quod, inquit Wolfius, valde vereor ut melius sit vel antiqua manus. Reliqua sunt ex Pison. l. l. ubi ille dicitur *Syrus nescio quis, de grege novitiorum*: unde pro *novitiis* hic dicit *venales*, pro *Syro* autem *Cappadocem*. Adiicit simul *Aethiopem*: propter *colorem* puta, *quo patriam adspernabatur*. Et facile confunduntur nationes, ut probra et con-

neglectum negotium. Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus? quam impurus? quam intemperans, non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus? Quum vero etiam literis studere incipit, et helluo immanis cum Graeculis philosophari, tum est Epicureus, non penitus illi disciplinae, quaecumque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis. Habet autem magistros non ex istis ineptis, qui dies totos de officio ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur; sed eos, qui disputent, horam nullam vacuam voluptate esse debere; in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versari.

15 His utitur quasi praefectis libidinum suarum; hi voluptates omnes vestigant atque odorantur; hi sunt conditores instructoresque convivii; iidem expendunt atque aestimant voluptates, sententiamque dicunt, et iudicant, quantum cuique libidini tribuendum esse videatur. Horum ille artibus eruditus, ita contempsit hanc *pudentissimam* civitatem, ut omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum in forum detulisset.

vitia cumulentur. *Stipitem* quoque habes in Pis. c. 9. *T.*

Pseudothyro) Clam scilicet, et per posticum ostium. Ferr.

Studere incipit) In his quae proxime sequuntur respexit homo noster orat. in Pisonem c. 28, sed quae ibi apte et presse dicuntur, hic putide dilatavit et verborum copia oneravit potius quam ornavit.

Habet autem magistros) Mirum sit, si is, qui Epicureum agit, aliis utatur magistris quam Epicureis. *Ineptos* enim (i. e. scholasticos, paedantas, ut hodie loquuntur) appellat ex Pisonis et vulgi (cf. Senec. ep. 76 pr.) persona, non Epicureos meliores, sed philosophos omnis severioris sectae, maxime Stoicos, illos *qui dicebant dignitati esse serviendum, reipubl. consulendum* etc. pro Sext. §. 23. Wolf.

Prudentissimam) Sic quatuor codd. Oxx. Atque sic scripsisse arbitror auctorem. Volebat enim significare, civitatem a Pisone, quae esset prudentissima, adeo stultam ei visam, ut propter vultum eius libidines et flagitia haud intelligeret. Vulgo *pu-*

VII. Is me, quamquam me quidem non (cognoram
enim, propter Pisonum affinitatem, quam longe hunc
ab hoc genere cognatio materna Transalpini sangui-
nis abstulisset), sed vos, populumque romanum, non
consilio, neque eloquentia, quod in multis saepe
accidit, sed rugis supercilioque decepit. L. Piso, 16
tune ausus es isto oculo, non dicam isto animo, ista

dentissimam, quod adeo est ridiculum, ut ne in hunc declamatorem quidem cadere videatur. — Vulgatam sequutus est Wolfius, et haec subiecit: « Hoc audiens Senatus haud magis risum tenuisset, opinor, quam intelligens quisque nunc Londini teneret aut Parisiis, si quis in publica oratione has urbes *pudentissimas* diceret. Singuli quidem homines saepe *pudentes* praedicantur vel *pudentissimi*; quidni et civitas? Nempe ob hoc ipsum, quia singulis laudi tribui debet id habere, quod rarum est in publico. Notum, quid Romae tum fuerit *frons urbana*, quid *pudor rusticus*: at Orator noster de moribus Vrbis ex oppido natali suo existimosse videtur, vel antiquitates sequutus esse nimium priscas. Non dissimulanda tamen est lectio quatuor Oxonn., atsi parum verisimilis, *prudentissimam*, qua dicta omnia conciderent. » *T.*

Is me, quamquam — abstulisset) Indignum est, in his nugis constituendis doctos viros operam consumere. Non modo nihil ex diversis scripturis certi extricatur, sed ne qûod placeat quidem, vel rei ac sententiae aptum sit, hoc est, aliquid melius quam fortasse Auctor scripsit. Quapropter ego quoque servavi rationem Gruteri, ex quo primo vult videri minus cognitum habuisse Pisonem, postquam de Gabinio c. 4 extr. dixerat, hunc sibi et aliis civibus ab initio notum fuisse. Tametsi contrarium significat Cic. in Pison. cap. 1: « Pauci ista tua lutulenta vitia noveramus etc. »; cf. Sext. §. 22. Quam ob causam mox revocat se, *quamquam me quidem non*, verum ineleganti verborum collocatione. WOLF. — *Non*) Oblitus erat rhetor noster Ciceronem ipsum Orat. pro Sextio c. 9, confiteri, se non putasse tantum in hoc homini sceleris et audaciae.

Tune ausus es isto oculo etc.) Satis est talia legisse hominem libero iudicio et animo Ciceronianis literis innutrito, ut intelligat, hanc eloquentiam pueriliter ludentis ingenii esse, non Ciceronis. Putidior fit sententia eo, quod *oculus*, *frons*, *supercilium* h. l. proprie capienda sunt, uti dicta videntur pro Sext. c. 8, unde illa huc translata sunt: « Tanta erat gravitas in *oculo*, tanta contractio *frontis*, ut illo *supercilio* respublica, tamquam Atlante coelum, niti videretur ». Item in Pis. c. 6: « Respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso *supercilio* etc. » In eiusd. Orat. principio: « *Oculi*, *supercilia*, *frons*, vultus denique totus — in fraudem homines impulit ». C. 9: « Neque *supercilium* tuum, neque collegae tui cymbalo fugi ». Videtur huic L. Pisoni alter oculus vitiosus fuisse, quod et Manut. h. l. suspicabatur, et in Pis. c. 4: « Clodium, non modo facie, sed etiam *oculo* tuo, dignissimum ».

fronte, non vita, tanto supercilio (non enim possum dicere, tantis rebus gestis), cum A. Gabinio consociare consilia pestis meae? Non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamistri notata vestigiis, in eam cogitationem adducebat, ut, quum illius re similis fuisses, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutius uti non liceret? Cum hoc tu coire ausus es, ut consularem dignitatem, ut reipublicae statum, ut senatus auctoritatem, ut civis optime meriti fortunas provinciarum foedere addiceres? Te consule, tuis edictis et imperiis, senatui populoque romano non est licitum, non modo sententiis atque auctoritate sua, sed ne luctu quidem

Nam deformitas et corporis vitia antiquis Oratoribus saepe materiam praebebant ad irridendum, ut notum est vel ex Cic. de Orat. II, 59. MARKL. Frigida videri ista possunt ei, qui, quam personam sibi Piso imposuerit, qualem Gabinium describat Cicero, quam hic iocosus in ipso stomacho et indignatione esse soleat, quam hoic Pisonis *oculo*, *fronti*, *supercilio* alias insultet, non cognovit: ceteris nihil videbuntur abhorrere neque ab ingenio Tullii magno et arguto, neque a reliqua viri consuetudine, utcumque illa de cetero aestimentur accipianturve. Mirari subit, quid hic reprehendat Vir doctus, qui horum, quantum ad Pisonis irrisionem pertinet, simillima ipse e Ciceronis indubiis protulerit. Nec difficile foret, si operae pretium esset, antitheta talia Ciceronis magno numero congerere, quae aut similiter damnanda sint, aut praesidio esse etiam his reprehensis debent. GESN. An talia reperiri possint apud Ciceronem, vehementer dubito; talia, inquam, tam absurda: *tanto supercilio, non enim possum dicere, tantis gestis.* — nam antithetorum copia optimus quisque oratorum abundat. Sic et verus Cicero solet dicere, *tune ausus es*, suo quidem loco. Hic aptius erat fortasse, *non puduit te, nonne te indignum visum est.* Gesnerum decepit forma sententiae satis Ciceronianae, in qua nihil desideramus nisi bonum sensum, convenientibus rei verbis expressum. Sed illius viri saepe miror facilitatem, etsi ea aliis in rebus laudanda est et praedicanda, tanquam gratiosa hominibus, atque iucunda γηροτρόφος. Severior si fuisset iudex, et qualem veterum scripta poscunt, eum statim hoc offendere debebat, quod Pisonem nunc Orator subito ut praesentem alloquitur, quando ille adhuc agebat in Macedonia. Num id quoque erit Ciceronianum? Haud dubie, v. c. quum Oratio *in Pisonem* habetur. Quam videlicet Orationem iste nimis in recenti memoria habuit, unde etiam deinde *frontis integumentum* mutuatus est §. 12. WOLF.

Sententiis atque auctoritate sua) *Auctoritas* pertinet ad Senatum: ne igi-

ac vestitu reipublicae subvenire. Capuaene te puta- 17
bas, in qua urbe domicilium quondam superbiae
fuit, consulem esse, sicut eras eo tempore; an Romae,
in qua civitate omnes ante vos consules senatui pa-
ruerunt? Tu es ausus, in circo Flaminio productus
cum tuo illo pari, dicere, te semper misericordem
fuisse? quo verbo senatum atque omnes bonos tum,
quum a patria pestem depellerent, crudeles demon-
strabas fuisse. Tu misericors me, affinem tuum, quem
comitiis tuis, praerogativae primum custodem prae-
feceras, quem Kalendis Ian. tertio loco sententiam ro-
garas, constrictum inimicis reipublicae tradidisti; tu
meum generum, propinquum tuum; tu affinem tuam,
filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a
genibus tuis repulisti: idemque tu, clementia ac mi-
sericordia singulari, quum ego una cum republica
non tribunicio, sed consulari ictu concidissem, tanto
scelere tantaque intemperantia fuisti, ut ne unam
quidem horam interesse paterere inter meam pestem
et tuam praedam, saltem dum conticesceret illa la-
mentatio et gemitus urbis. Nondum palam factum 18
erat occidisse rempublicam, quum tibi arbitria fune-

tur nihil ait, quod respondeat populo, *sententiis* usum Scriptorem puta pro *suffragiis*. Tametsi in his omnibus sonum verborum magis quam rerum veritatem sequutus videtur. In *luctu* mox *ac vestitu* iunctura displicuit Graevio, recte et suo iudicio. Eius correctionem, e duobus MSS. petitam, *ne vultu quidem*, bene refutarunt viri docti, non iudicium illud. Wolf.

Sicut eras eo tempore) Nempe *duumvir erat Capuae*, unde eum Cicero in Pisonem c. 11 irridens Campanum consulem vocat. Sed huius cavillationis vim misere debilitavit imitator.

Comitiis) Quibus consulatum Piso petiit. Man.

Praefeceras) Vt primus custos essem in praerogativa centuria, ne qua fraus committeretur. Iudicium enim praerogativae tota comitia sequebantur. Id.

Ne unam quidem horam) Clodius enim, quum rogationem de Cicerone tulisset, statim de provinciis tulit, ut Macedoniam Piso, Syriam Gabinius administraret. Id.

Arbitria) *Arbitria* dicebatur pecunia vectigalis, quae a sociis pendeba-

ris solvebantur. Vno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum consulem de Palatio, de Tusculano ad item vicinum alterum consulem deferebantur; quum, iisdem operis suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis, atque inani foro, ignaro populo romano quid ageretur, senatu vero oppresso et afflicto, duobus impiis nefariisque consulibus, aerarium, provinciae, legiones, imperia donabantur.
19 Ilorum consulum ruinas vos consules vestra virtute fulsistis, summa tribunorum plebis praetorumque fide et diligentia sublevati.

VIII. Quid ego de praestantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali cive satis digne unquam loquetur? qui quum videret, sceleratum civem, aut domesticum potius hostem, si legibus uti liceret, iudicio esse frangendum; sin ipsa iudicia vis impediret ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim vi esse superandam: primo de vi postulavit; posteaquam ab eodem iudicia sublata esse vidit, ne ille omnia vi posset efficere, curavit; qui docuit, neque tecta, neque templa, neque forum, neque curiam, sine summa virtute ac maximis opibus et copiis ab intestino latrocinio posse defendi; qui primus, post meum discessum, metum bonis, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius sequutus, pro mea salute,

tur reipublicae, pro iure monopolii, ut docuit Gronovius ad Liv. XI, 9. Graev. Arbitria in funeribus dici solita pro mercede libitinariorum, vespillonum, pollinctorum, eorum denique omnium, qui mercede funera iuvabant. Hot

Arbitria funeris solvebantur) Bene monuit Wolfius hic puerili imitatione expressum esse locum orat. in Pisonem c. 9 extr.

De vi postulavit) Conf. Orat. pro Sext. c. 39.

pro vestra auctoritate, pro statu civitatis, nullas sibi
inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vi-
tae discrimen vitandum unquam putavit: qui causam
senatus, exagitatam concionibus improborum, sic sua
diligentia multitudini commendavit, ut nihil tam po-
pulare, quam vestrum nomen, nihil tam omnibus
carum aliquando, quam vestra auctoritas videretur;
qui me quum omnibus rebus, quibus tribunus plebis
potuit, defendit, tum reliquis officiis, iusta ac si meus
frater esset, sustentavit; cuius ego clientibus, libertis,
familia, copiis, literis ita sum sustentatus, ut meae
calamitatis non adiutor solum, verum etiam socius
videretur. Iam ceterorum officia studiaque vidistis: 21
quam cupidus mei C. Cestilius, quam studiosus vestri,
quam non varius fuerit in causa. Quid M. Cispius?
cui ego ipsi, parenti fratrique eius, sentio quantum
debeam: qui quum a me voluntas eorum in privato
iudicio esset offensa, publici mei beneficii memoria
privatam offensionem obliteraverunt. Iam T. Fadius,
qui mihi quaestor fuit, M' Curius, cuius ego patri
quaestor fui, studio, amore, animo, huic necessitu-
dini non defuerunt. Multa de me C. Messius, et ami-

Iuxta ac si) Ita iunctas has particulas recte negat Wulfius usus Ciceroniani esse.

Quum a me voluntas eorum) Simultates fuisse inter M. Cispium et Ciceronem ante huius exilium, docet Orat. pro Planc. §. 76. Potuerunt eae simultates etiam ad patrem et fratrem Cispii pertinere, si patrem adhuc vivum, si fratrem omnino habuit: potuit ea inimicitia orta esse ex iudicio aliquo, sive publico sive privato: non enim ausim hoc repetere ex confusa memoria eorum, quae l. l. de iudicio Cispiano post Ciceronis reditum facta narrantur: at qui convenire huic loco potuit patris et fratris mentio, tanquam quibus et ipsis aliquid debeatur in hoc tempore? An tres Cispii simul functi sunt quibusdam magistratibus? Et quibus? quum praetores et tribuni omnes hic nominatim afferantur. Nescimus: sed hoc scimus, Ciceronianam esse talem commemorationem *patris fratrisque*. Vide Sext. §. 29, 131, alibi. Wolf.

Cuius ego patri) Sex. Peducaeo qui Curium adoptasse videtur.

citiae et reipublicae causa, dixit; legem separatim
22 initio de salute mea promulgavit. Q. Fabricius, si, quae de me agere conatus est, ea contra vim et ferrum perficere potuisset, mense Ianuario nostrum statum recuperassemus: quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas vestra revocavit. Iam vero praetores quo animo in me fuerint, vos existimare potuistis, quum L. Caecilius privatim me suis omnibus copiis studuerit sustentare; publice promulgarit de mea salute cum collegis paene omnibus; direptoribus autem meorum bonorum in ius adeundi potestatem non fecerit. M. autem Calidius, statim designatus, sententia sua, quam esset cara sibi mea salus,
23 declaravit. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Crassi, Sex. Quintilii, C. Cornuti, summa et in me et in rempublicam constiterunt.

IX. Quae quum libenter commemoro, tum non

Separatim — promulgavit) Explicatur, *separatim a collegis*. Bene: opponitur posthac Caecilius, *promulgans cum collegis paene omnibus*. De re nihil nobis innotuit, nec quid reliquos tribunos a Ciceronis causa alienarit: ut hoc prope dictum putes, ne nihil dictum et variatum esse videretur. Ceterum quae in pluribus MSS. reperitur lectio *speciatim*, barbaram vocem perhorruerunt inde a Victorio doctissimi editores. His nondum auditum erat edictum Schelleri Observ. in priscos scriptt. quosdam pag. 104: «Si h. l. recipitur, est Ciceronianum: sin minus, non est Ciceronianum. Plura vocabula semel tantum occurrunt: quae nisi in libros priscorum (*veterum s. antiquorum* volebat scribere) recepta fuissent, non possent in iis hodie occurrere». Euge! Wolf.

L. Caecilius privatim etc.) Scilicet id curae fuit omnibus senatoribus, si quis magistratuum privatam liberalitatem et officia praestiterat Ciceroni. Sed magistro nostro maximae curae fuerunt antitheta sua, h. l. *privatim* et *publice*; reliqua inanes videntur λόγοι, quos ne decora quidem conformatione sententiae sublevare potuit. Nihili enim haec sunt: *Quo animo in me fuerint, vos existimare potuistis*. Eodemque modo, quod dixit, *direptoribus in ius adeundi potestatem non factam a Caecilio*, voluit fursan aliquod beneficium afferre, quod ad Praetoris munus conveniret. Quale autem id beneficium potuerit esse, iuris consultis divinandum relinquo. Nam quis credat, Clodianos facinus suum ad iudicem deferre voluisse, aut postulasse, ut ipsi in possessionem bonorum direptorum iure venirent? Wolf.

Commemoro) In codd. nonnullis

invitus nonnullorum in me nefarie commissa praetereo. Non est mei temporis iniurias meminisse: quas ego etiamsi ulcisci possem, tamen oblivisci mallem. Alio transferenda mea tota vita est, ut bene de me meritis referam gratiam, amicitias igne perspectas tuear, cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditoribus meis non indicem dolorem profectionis

additur *nemo enim gratiarum immemor est gratus inventus.*

Non est mei temporis etc.) Hoc dicit, quis *nonnullos* praetermisit, unum Praetorem, Clodii fratrem, et duos tribunos. Conf. in Pis. §. 35, et Manutium ad Sext. c. 59. Neque vero supra non erat *sui temporis*, quum tempus et locus vix ferrent, nedum poscerent, tot verba fundere de consulibus latronibus et mercatoribus, eosque omnibus maledictis proscindere. Nunc, nescio quomodo, *lenior mactata hostia* (ut est in Erasmi proverbio) vindictae cogitationem prorsus deponit: *Etiamsi ulcisci posset, tamen oblivisci mallet.* Animus tamen in his melior apparet quam latina oratio. Ista enim imperfectorum consequutio hoc significat, iniurias fortasse eum oblivisci non malle, si ulciscendi facultatem haberet; unde efficitur ridiculum illud, quod vulgo per iocum dicunt: *Primum quidem non possum, tum et voluntas cessat.* At nonne ita saepe scribit optimus quisque: *Etiamsi possem, non facerem?* Quidni scribant, ubicumque vis sententiae et ratio fert? hic autem, ubi non invitus ad lenitatem rediit, sententiam ista ratione ineptam fieri, facile quisque sentit. Multo aliter Cicero Catil. II, 8: «Quos ego, si ullo modo fieri possit, non tam ulcisci studeo, quam sanare et ipsos placare reipublicae.» Mox bonam phrasin habemus, *amicitias igne perspectas*, attamen non omnino bonam; *spectatas* dicere debuerat; ne poëta quidem scripsisset: *Perspicitur aurum igni*, is qui scripsit: *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum.* Ac ne quis dicat, abiiciendam esse hanc sententiam, a Grutero interpositam; praebent eam optimi codd. et commendat praeclara figura chiasmi, qua *timidi amici* redditi sunt *amicitiis igne perspectis.* Deinde *aperti hostes* sine dubio sunt Clodiani, quos probe se vexaturum minatur: nam verum bellum *hostibus populi Rom. indicere* Senatus populique iniussu, parum verecundi Senatoris foret, praesertim postliminio redeuntis. Quamquam, quum modo ostenderit, gratiae et clementiae se totam vitam dicasse, mirum est, cur mutata mente subito minetur, se sive armis sive alia vi adversarios ulturum esse: ut haec utramcumque in partem tracta, non grammatico quidem sensu careant, sed alio quodam, qui etiam molestius desideretur. Sed quid extremo faciet miser, ut ex his oratoriae concinnitatis angustiis ad sanae rationis veritatem emergat? Wolf.

Non indicem dolorem profectionis meae) Ridiculum hoc esse et nugatorium senserunt Graevius, Lallem. Garaton. Wolfius. Quid enim stultius fuisset, quam dolorem profectionis suae, quam his ipsis verbis indicave-

24 meae, defensores reditus dignitate consoler. Quod si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi ut erga duces ipsos et principes atque auctores salutis meae satis gratus iudicarer: tamen exiguum reliquae vitae tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Quando enim ego huic homini ac liberis eius, quando omnes mei gratiam referent? quae memoria, quae vis ingenii, quae magnitudo observantiae, tot tantisque beneficiis respondere poterit? Qui mihi primus afflicto et iacenti consularem fidem dexteramque porrexit; qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit; qui tanto amore in me, studio in rempublicam fuit, ut excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modo levaret, sed etiam honestaret.

X. Quid enim magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam quod, illo petente, vos decrevistis, ut cuncti ex omni Italia, qui rempublicam salvam vellent, ad me unum, hominem fractum et prope dissipatum, restituendum et defendendum venirent? ut, qua voce ter omnino post Romam condi-

rat, negare se proditoribus suis indicaturum, qui tamen in senatu audire poterant ista dicentem.

Quando ego hunc homini) Lentulum designari ex iis patet, quae sequuntur, ait Manutius. Non dubitamus. At Latini etsi non adeo abiecte sentiunt de homine, ut id nomen simpliciter cum contemptu ponant, tamen, ubi aliquis ornandus est, non sine adiectione quadam *hominem*, sed potius *virum* dicunt. Adde, quod in familiari sermone *hic homo* is ipse est, qui loquitur, uti graecum *ὅδε ἀνήρ*. *Hunc hominem velles si tradere.* Praeterea hic homo ineptit, quod primo loco dicit, *memoria* opus esse ad gratiam referendam: Declamatori ea magis opus est, ut aiunt, ad *mentiendum*. Mitto *vim ingenii*, qua ne ipsa quidem admodum egemus in *respondendo beneficiis*, quod factis fit, non orando. Wolf.

Qui rempublicam salvam vellent) Universum h. l. apte Wolfius comparari iussit cum Orat. pro Sextio c. 60 sqq. ut intelligatur quantum personati Ciceronis garrulitas a veri Ciceronis eloquentia distet.

tam consul usus esset pro universa republica apud eos solum, qui eius vocem exaudire possent; eadem voce senatus omnibus agris atque oppidis cives totamque Italiam ad unius salutem defendendam excitaret. Quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere, quam, hoc senatum iudicasse, qui civis me non defendisset, eum rempublicam salvam noluisse? Itaque tantum vestra auctoritas, tantum eximia consulis dignitas valuit, ut *dedecus et flagitium* [1] se committere putaret, si quis non veniret. Idemque consul, quum illa incredibilis multitudo Romam, et paene Italia ipsa venisset, vos frequentissimos in Capitolium convocavit. Quo tempore quantam vim naturae bonitas haberet, aut vera nobilitas, intelligere potuistis. Nam Q. Metellus, et inimicus et frater inimici, perspecta vestra voluntate, omnia privata odia deposuit: quem P. Servilius, vir quum clarissimus, tum vero optimus mihique amicissimus, et auctoritatis et orationis suae divina quadam gravitate, ad sui generis communisque sanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem ab inferis, socium rerum mearum, et omnes Metellos, praestantissimos cives,

(1) Sic iude a Grulero ex duobus tibris, quos in bis vocibus correctionem passos esse suspicalur Wolfius; ipse vero edidil *omne is flagitium*. Typ.

Fratrem ab inferis) Significal Q. Metellum Celerem, qui Cicerone consule praelor quum essel, ei in opprimenda coniuralione adiulor ac socius exstilil. Hot.

Et omnes Metellos — ex Acheronte excitatos) Ism propins inluesmur universum locum, comparemusque illum, unde efficlus est, pro Sexl. cap. 62, ul, quid sil oraloria, quid declamaloria eloquenlis, novo exemplo discalur: « Q. Metellus (inquil), excitalus summa quum auctorilale P. Servilii, tum quadam gravilate dicendi, quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos, el ad illius generis, quod sibi cum eo commune essel, dignitalem propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexissel: quumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum, vel gloriosum vel gravem, convertissel, collacrimavil vir egregius ac vere Metellus, lolumque se P. Servilio dicenti eliam lum tra-

paene ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria discessus molestus
26 omnibus, ipsi ne luctuosus quidem est visus. Itaque exstitit non modo salutis defensor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus, verum etiam adscriptor dignitatis meae. Quo quidem die, quum

didit; nec illam divinam gravitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere.» Gravissime dicta sunt haec, Servilii aeque gratia ac Metelli, sed ad iudices, absente haud dubie utroque viro: ea vero Sophistes hic recantanda sumpsit curam illo consule, qui iam propter clementiam animique magnitudinem vel in primis extollendus erat. Recantat autem novo ornatu sic, ut paene omnem beneficii gratiam assignet Servilio, qui nisi monuisset et excitasset Metellum etc. magnopere erat verendum, ne is inimicitias cum Cicerone privatas non remitteret reipublicae. Nemo vituperaret Scriptorem, si eum hoc Servilio illius rei laudem communicasset loquens in Senatu; sed id alia prudentia, alia arte fieri debebat. Nunc res narratur putide, plura languent, illud adeo tumet, *ex Acheronte excitatos:* nam non satis erat *ab inferis*; movendus erat *Acheron*. Non enim audiendus est Lambinus, *vir quum clarissimus*, *tum vero optimus*, qui quum aliquid supervacaneum h. l. sensisset, foris profecta putabat verba *ab inferis*, quae utique hue foris illata sunt, sed ex germano Cicerone. Quid multa? Nullum fere vocabulum periodi satis aptum est rebus, ac praestitisset profecto, alterum totum locum ad verbum transcribi, quamvis ne ille quidem, ut dixi, huic loco et tempori convenisset. WOLF.

Ipsi ne luctuosus quidem est visus) Graev. edidit: *de patria discessus molestus omnibus sane, ipsi ne luctuosus quidem visus est.* Pal. 9. *d. m. omnibus, ipsi ne luctuosus quidem est visus.* Sic et Pith. In cod. Erf. additum *sane*. Edd. Lamb. Henm. *discessus honestus ipsi, omnibus luctuosus tandem visus est.*

Quo quidem die, quum CCCCXVII) Non desinit garrire de priore tempore, et magna cum cura (audi, quaeso, *quo tempore — quo quidem die — atque illo die — postero die — denique illo die — quo die*), de his, quae acta in Senatu essent ante reditum. Quae tota narratio mihi similiter composita videtur, ut si quis ab Orco redux superstitibus nobis denarret, quos interea de se sermones habuerimus. Unum verbum oblitus est Orcinus noster excusandi sui causa adiicere, v. c. ex Pison. §. 36: *Quid me attinet dicere, quae ex vobis audivi?* vel e Sext. §. 72: *Vos haec melius scire potestis; equidem audita dico.* De numero Senatorum forsan notandum est, eum duobus tantum minorem esse illo, qui in *frequenti Senatu* ponitur ad Att. I, 14, s. fin., etsi in quodam cod. legitur *quum CCCCXC essetis*, in pluribus autem, *quum CCCCX Senatores magistratusque omnes adessent.* Primus, ni fallor, Graterus edidit *ex Senatu:* nam convenisse in Senatum ait non modo Senatores, sed et eos, quibus sententiae dicendae ius esset. Quo modo brevissime docemur, qui fuerint ii, *quibus in Senatu senten-*

cccCXVII *ex senatu* essetis, magistratus autem hi omnes adessent, dissensit unus, is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die, quo rempublicam meis consiliis conservatam gravissimis verbis et plurimis iudicassetis, idem consul curavit, ut eadem a principibus civitatis in concione postero die dicerentur: quum quidem ipse egit ornatissime causam meam, perfecitque, adstante atque audiente Italia tota, ut nemo cuiusquam conducti aut perditi vocem acerbam atque inimicam bonis posset audire.

XI. Ad haec non modo adiumenta salutis, sed etiam 27
ornamenta dignitatis meae, reliqua vos iidem addidistis. Decrevistis, ne quis ulla ratione rem impediret; qui id impedisset, graviter molesteque laturos; illum contra rempublicam salutemque bonorum concor-

tiam dicere licere nota formula significabat; scilicet *magistratus*. Conf. Festus voc. *Senatores*. Tribunos pl. quidem *ex Senatu* fuisse tum post a. V. 684 restituta tribunitia potestate, nemo harum rerum peritus dubitabit. Itaque aliquis iusto suspicacior hic quoque opinetur, Auctorem magistratus a Senatoribus diversos habuisse, cui opinioni tamen obiici possit locus epp. ad Fam. I, 8 f. ubi item iunguntur *magistratus* et *Senatores*. Quare iste nihil hic aliud quaesivisse videtur, quam ut *omnes* opponeret *uni qui lege sua* etc. ubi in memoriam revocatur lepida illa lex §. 4. Paulo post recte haesit Garatonius in *illo die quo*, siquidem inepta constructio est, *Consul curavit die, quo — iudicaratis*, *ut eadem postero die dicerentur*: correxit igitur *illo die quum*; ut sit *quum illo die*. Haerere idem potuisset in verbo *iudicassetis*; etiam mox, quum dicitur *idem Consul*. Vter? nimirum Lentulos. Vide in Pis. c. 15, pro Sext. c. 50. At structura nequaquam prohibet, quin lectores de Metello cogitent. Ceterum his et aliis nugis omnibus et animadversionibus liberarunt Oratorem codices nonnulli, magnum versuum numerum omittentes, oculis librariorum a priore *illo die* aberrantibus ad haec, *quam P. Lentulus mihi fratrique meo*. Wolf.

Ad haec — addidistis) Incongrua constructio: *Addidistis reliqua ad haec adiumenta et ornamenta*. Statim afferuntur ista *Reliqua*. Id.

Qui id impedisset) Ernestius monet, magis necesse esse corrigi, *si quis impedisset*, vel potius *impediret*, quam cum Graevio deinde *vos graviter* etc. *Rem moleste ferri* Latine, non *hominem*. Verissime: sed et *vos* necessarium est, et rectum *impedisset*. Vide in Pis. c. c. Iam cum hac narratione compares locum e Sext. cap. 61: « Si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipubl. fore, idque Senatum gravissime laturum, et ut statim de eius facto referretur. Qua gravitate sua quum frequens Senatus nonnul-

diamque civium facturum; et ut ad vos de eo statim referretur; meque etiam, si diutius calumniarentur, redire iussistis. Quid? ut agerentur gratiae,[1] qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem, res quum redissent, rogarentur, ut pari studio convenirent? Quid denique illo die,[2] quem P. Lentulus mihi fratrique meo liberisque nostris natalem constituit, non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitiis centuriatis, quae maxime maiores comitia iusta dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum com-
28 probarent. Quo die quis civis fuit, qui fas esse putaret, quacumque aut aetate aut valitudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? Quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiae totius ordinumque omnium? quando illa dignitate

lorum scelus audaciamque tardasset; tamen illud addidit, si diebus quinque, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam, dignitate omni recuperata.» Quo ex loco putidus magister excerpsit et discerpsit pleraque, singulari temperamento, ut, ubi Cicero loquitur vehementius, ipse lenius agat; alibi rursum vehementius, ubi lenius ille; quasi moleste de via decedere voluerit maiori. Ita ornatius extulit legitimum illud *contra rempubl. facturum*, sicut ubique Cicero et alii scribunt: nec tamen displicet additum *salutemque bonorum*; at male friget *concordiamque civium*. Item ieiunum est in extremo, *meque etiam redire iussistis*, ubi dicere voluit, *ut redirem decrevistis* vel simili modo. Wolf.

Calumniarentur) Astute rem producerent. Id enim interdum est, *Calumniari*: unde illud in ep. ad Lentulum: *Res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis.* Et pro Sextio: *quum omnia mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur.* Man.

(1) Ernestius addendum censebat *iis*, quemadmodum iam Manutius locum citavit; recte: nam talis ellipsis dativi minime Ciceroniana est. W.

(2) Hic ablativus non habet quo referatur, nisi ad sequentem illum, *quo die*; quae relatio ab omni usu et ratione abhorret. Igitur alius Interpretum putabat excidisse aliquid, alius ex quibusdam codd. emendavit *ille dies*, quae sane lenior medela est. Non raro enim *Quid* iungitur nominativis, interdum et accusativis, etsi talia loca omnia ex diverso sunt genere. Cf. Tusc. I, 15. W. — Graev. Lallem. Schütz. aliique *ille dies* e codd. Frustra, ait Amar. Typ.

Illa dignitate) Qui senatores fue-

rogatores, diribitores, custodesque vidistis? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives, sed equis insignibus et curru aurato reportati.

Possum ego satis in Cn. Pompeium unquam gratus 29
videri, qui non solum apud vos, qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud universum populum romanum, salutem reipublicae et conservatam per me

runt. — In Pis. §. 36: « Nullis comitiis unquam neque multitudinem hominum tantam, neque splendidiorem fuisse — vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum. » Conferendus est totus locus. Wolf. — *Rogatores*) Qui tabellas distribuerent: Diribitores, qui lata iam suffragia dirimerent: custodes, qui puncta notarent singularum centuriarum. Ferr.

Equis insignibus et curru aurato reportati) Nihil fingi potest hac sententia ineptius. Schutz. — Sobrio lectori, et qui familiaritatem contraxit cum ingenio Ciceronis, sublimitas haec iacere et vehementer frigere videbitur, ac Consularis *curru aurato invehens* haud absimilis *equitanti in arundine longa*: imagine tamen illa Auctorem summe delectatum esse crediderim. At optandum erat ut explicasset, quos equos *insignes* diceret, quoniam nusquam reperimus peculiare quoddam genus equorum, aut singulari tempore adhibitorum, in quos illud epitheton conveniat. Mark. Triumpho, ut solet, comparat reditum suum. Frigide ridiculum hoc ait debere videri. Sed nonne indubius Cicero de provv. conss. c. 14: « Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret? » Nonne Liv. X, 7, in oratione Decii ponit *viros*, *toga praetexta*, *tunica palmata* et *toga picta*, *et corona triumphali laureaque honoratos* — item, *qui Iovis O. M. ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium adscenderit?* » Quae quum ita sint, si existat ab inferis scriptor huius Orationis, mea quidem sententia ipse Tullius, ita fere agat eum reprehensore suo, ut cum Pisone disputavit cap. 25, quem sic inducit loquentem: « Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis et tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, *delectamenta paene puerorum*, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle: quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil, quod referre ad voluptatem corporis possis. » Quam invidiam Pisoni facit, eam faceret, alia licet ratione, Marklando. Triumphus Romae summum rerum humanarum fastigium, cuius omnes particulas auribus et animis hominum ingerere, germani oratoris est. Gesn. Recte haberent haec omnia, si re vera triumphasset. Nunc id ipsum primum φορτικόν est, quod triumpho comparat reditum suum; id quod Cicero facit *nullo loco*, non in epistola ad Lentulum suum, non in Orat. in Pisonem, ubi temporis causa satis gloriose describit reditum suum, compa-

et coniunctam esse cum mea dixerit? qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate sua compresserit, bonos excitarit? qui populum romanum pro me, tanquam pro fratre aut pro parente, non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit? qui ipse, quum propter metum dimicationis et sanguinis domo se teneret, etiam a superioribus tribunis petierit, ut de salute mea et promulgarent et referrent? qui in colonia nuper constituta, quum ipse gereret magistratum, in qua nemo erat emptus intercessor, vim et crudelitatem privilegii, auctoritate honestissimorum hominum, et publicis literis consignarit, princepsque Italiae totius praesidium ad meam salutem implorandum putarit? qui quum ipse mihi semper amicissimus fuisset, etiam ut suos necessarios mihi amicos redderet, elaborarit? Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabo? cuius omnis

rana eum cum Pisonis inimici: nunquam ne ibi quidem verbum eiusmodi. Sed non modo verbum et res, sed etiam modus, quo interpolatus est hic purpureus pannus, multum ridiculi habet, praesertim in tam brevi comprehensione verborum, quae vel per se nimis exilis erat. Accedunt *equi insignes*, quos fortasse Gesnerus et alii acceperunt pro *nobilibus*, vel ut Virgilii *equum phaleris insignem*. Ne quid tamen celemus, quod est a docto Interprete allatum, notat Ernestius, elegantem hanc esse periphrasin triumphi, qua usus sit Orator numerorum causa, forsan simul ut invidiam verbi vitaret. An igitur minus invidiosa proprio vocabulo putanda est descriptio? qua omnes particulae summi fastigii humani auribus hominum ingeruntur, ut ille aiebat. W.

Dixerit? — obsecrarit?) Nimis tenue videtur nobis verbum *dixerit*, et paulo post *obsecrarit*, quibus aliquid addidissent fortasse, qui nostra aetate latine scribere posse sibi videntur. Id.

In colonia) Capuae, ubi gerebat Duumviratum collega L. Pisone consule. Man.

Nemo erat emptus intercessor) Hoc in Aelium Ligurem tribunum pl. conicit; qui Kal. Iun. referente L. Ninnio de Cicerone revocando, emptus a Clodio, intercessit. Id.

Privilegii) Clodii legem qua pulsus est, invidiae causa privilegium vocat. Id.

Quibus officiis T. Annii beneficia) Iure offendit Wolfium iterata haec Annii et Sextii commemoratio, de quibus iam supra satis verbose di-

actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus, nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae? Quid de P. Sextio loquar? qui suam erga me benivolentiam et fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendit?

XII. Vobis vero, Patres conscripti, singulis et egi et agam gratias. Vniversis egi *ab* initio, quantum potui: satis ornate agere nullo modo possum. Et quamquam sunt in me praecipua merita multorum, quae sileri nullo modo possunt, tamen huius temporis ac timoris mei non est, conari commemorare

xerat. — Alii *remunerabor*. T.

Vobis singulis et egi et agam gratias) Id non est factum in hac oratione, nec postea fiet; nisi forte librarii, maligna natio, nos aliquot egregiis locis fraudarunt. Nempe quaeruntur Intpp., in ultima hac parte membranas lacunosas et viliatas esse. Aestuarunt hic iam olim nonnulli, putaruntque adeo, bis a Cicerone gratias actas esse in Senatu, primum singulis et privatis, deinde Consulibus et magistratibus et Senatui universo, eamque posteriorem actionem nobis superesse. Quam opinionem arripuerunt illi forsan ex his verbis §. 31: *Hodie nominatim a me magistratibus statui gratias esse agendas*. Quibus verbis nos tantum eo uti posse videbamur, ut ostenderamus, hodie singulis ex Senatu sive privatis gratias non esse actas. Atque ipse addidit *de privatis uni*. Quod quum ita sit, an singulis gratias egit partim familiari sermone, partim per literas? Id nos magis offendit, quod singulis etiam posthac gratias se acturum minatur. Et virtus habet modum suum; atque importunus est, cuius gratus animus homines quiescere et negotia sua obire non sinit. Similiter tamen Plancus: «Gratias agam, dum vivam» Epp. ad Div. X, 11. Fit autem illud eo molestius, quo *ornatius*. Sed quis unquam praeter hunc studiosum stili cultioris dixit *gratias agere ornate?* Dicitur quidem *sententiam de aliquo dicere ornate*, vel *causam agere ornate* et similia, in quibus vox non eo pertinet ut aliquis *ornetur*, i. e. honoretur, sed ad ornatum verborum, quem vitant adeo qui privatim gratias agunt. Pauca loquitur verus affectus. Tac. Annal. I, 52: «Tiberius retulit ad Senatum de rebus gestis a Germanico, multaque de virtute eius memoravit, magis in speciem *verbis adornata, quam ut penitus sentire crederetur*.» Wolf.

Timoris mei non est) Hoc quoque prima specie durum est. Antea profecto non timebat Orator opprobria dicere. Cur ego nunc, in commemorandis beneficiis? Statim ad molliorem concentum redibit sententia: timet vir humanissimus, ne forte quemquam omittat, qui sibi gratias deberi putet. Sic saepe magni scriptores movent exspectationem lectoris, quam paulo post explent. Quamquam si iam initio singulis egit gratias, quid timet tantopere? Id.

beneficia in me singulorum: nam difficile est, non aliquem; nefas, quemquam praeterire. Ego vos universos, Patres conscripti,[1] deorum numero colere debeo. Sed ut in ipsis diis immortalibus non semper eosdem, atque alias alios solemus et venerari et precari; sic in hominibus de me divinitus meritis omnis erit aetas mihi ad eorum erga me merita praedicanda
31 atque recolenda. Hodierno autem die nominatim a me magistratibus statui gratias esse agendas, et de privatis uni, qui pro salute mea municipia coloniasque adisset, populum romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam, quam vos sequuti mihi dignitatem meam reddidistis. Vos me florentem semper ornastis; laborantem mutatione vestis et prope luctu vestro, quoad licuit, defendistis. Nostra memo-

De me divinitus meritis) Nonne voluit dicere *divine meritis?* Certe debuit. Ita dicuntur *divina merita* Philipp. IV, 2. *Divinitus* longe aliud quiddam sonat quam *divine*, θείως, *divino quodam modo*; est illud θεόθεν, *ex deo*, sive adiuvantibus diis. Hinc in epp. ad Fam. I, 9: «Quae sunt apud Platonem nostrum scripta *divinitus*, i. e. quasi incitante numine.» Ad Att. II, 21: «Pompeius loquitur *divinitus* etc.» Atque sic accipi vocem licebit pro Domo c. 1, et de Harusp. resp. c. 9. Conf. Casaub. ad epp. ad Att. I, 16, p. 109, ed. Graev. Itaque sensum sane vox habebit etiam nostro loco, sed alium eo, quem in animo habuit Auctor. Item in seqq. dubito, an haec Latine dicta sint, *omnis erit aetas mihi ad hoc agendum*, an id alibi legatur, an quid similis structurae. Markl. Nimium dubitat Criticus, et ultra modum sapit. Dubitabat tamen etiam Heumannus, cum illo non comparandus, de Latinitate istius constructionis, hac simul correctione sua allata, *omnis erunt aetate mihi eorum* etc. Videlicet non intelligunt, quid sit novare in linguis feliciter. Wolf. — Recte Heumannus si Cicero ita scripsisset; at in hoc declamatore non offendit *omnis erit aetas mihi* pro *tota vita mihi suppetet*.

Et de privatis uni) Eadem arte, quam supra vidimus, ad Pompeium recurrit oratio, §. 29 dicta repetens strictim et graviter. Id vero conciliare nequeo, quod nunc dicit, Senatum Pompeii sententiam sequutum esse; antea vero dixit, Pompeii auctoritate non admodum opus fuisse apud Senatum: *Vos qui omnes idem sentiebatis.* Wolf.

* *Qui pro salute mea m. c. adisset — dixisset eam*) Heumannus recte negat Ciceronem ita scribere potuisse. Itaque malebat: *qui quum pro salute — adisset — dixit eam* etc.

Nostra memoria senatores — mutare vestem solebant) Falsum hoc esse

ria senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant: in meo periculo senatus veste mutata fuit, quoad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modo suo praesidio, sed etiam vestra deprecatione nudarunt.

XIII. Quibus ego rebus obiectis, quum mihi pri- 32
vato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem consul non armis, sed vestra auctoritate superaram, multa mecum ipse reputavi. Dixerat in concione consul, se clivi Capitolini poenas ab equitibus romanis repetiturum. Nominatim alii compellabantur,

Marklandus compluribus exemplis docuit senatorum, qui Ciceronis aetate rei facti vestem mutarunt.

Quibus ego rebus obiectis) Abruptius et impeditius hic incipit loqui velle de consiliis profectionis suae in exilium, qualia et alibi passim leguntur, in primis pro Sext. c. 15—22, unde latentium quarundam elegantiarum nostri loci prompta explicatio erit. Itaque, quum ibi §. 35 legeris, *equester ordo reus a Coss. citaretur, alii nominatim relegarentur, alii metu ac periculo terrerentur*, statim videris, unde haec beata copia manet, *alii citabantur, alii relegabantur, alii nominatim compellabantur* h. e. increpabantur, castigabantur; ad *aditus sublatos* confer haec pro Sextio: « *Gradus templi* (Castorum) *tollebantur; armati homines forum et conciones tenebant* » et in Pis. §. 23. Denique locum de *altero* librarii, credo, turpiter corruperunt; ubi non displicet coniectura Lambini, quam adscivi. Nam ex tribus certe verbis apparet sermonem esse de Clodio, qui nota pactione provinciarum (*praemiorum suorum*) obstrinxerat ambos consules, ut Ciceronem desererent proderentque. Nec haerendum in pronomine *eos*, cuius repetitio vulgarem sermonem imitans non caret exemplis; cf. Drakenb. ad Liv. XXV, 7: etiam apud Ciceronem, ut pro Murena §. 29: « *Nonnullos* videmus, qui oratores evadere non potuerunt, *eos* ad iuris studium devenire. » Plura tamen restant duriora: primum, quod *hostes reipubl.*, quibus proderent, dicuntur ipsi Clodiani; deinde, quod *alius* est pro *altero*, usu non Ciceroniano (v. Burmannum ad Phaedr. I, 4, 4); praeterea, quod non nimis prudenter cum Clodio compositus Caesar videtur; nam is est ille *alius ad portus cum imperio in multos annos*, nimirum in quinquennium. Cf. et perpende pro Sext. cap. 17 seq. in Pis. c. 33, et Plut. Vit. Caes. p. 714. D. Etiam Garatonio locus non satisfecit, adeo ut coniiceret, excidisse nonnulla post vulg. *proderet*, quae sententiam de Pisone inchoatam absolveret, deinde Clodium cum utroque Cos. transegisse demonstraret. Neque hinc Heumannus discessit asymbolus: vidit saltem Ciceronem scripturum fuisse *quum diceretur esse scio*; ergo, ut exhibeat Ciceronem, molestam vocem expungit.

alii citabantur, alii relegabantur. Aditus templorum erant non solum praesidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. Alter consules, [1] ut me et rempublicam non modo desererent, sed etiam hostibus reipublicae proderent, pactionibus eos suorum praemiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoque exercitu: quem ego inimicum mihi fuisse non dico; tacuisse, quum dice-
33 retur esse inimicus, scio. Duae partes esse in republica quum putarentur, altera me deposcere propter inimicitias, altera timide defendere propter suspicionem caedis putabatur. Qui autem me deposcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum, quod nunquam inficiando suspicionem hominum curamque minuerunt. Quare quum viderem senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum; servos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos; copias omnes Catilinae paene iisdem ducibus ad spem caedis et incendiorum esse revocatas; equites romanos, proscriptionis; municipia, vastitatis; omnes, caedis metu esse permotos: potui, potui, Patres conscripti, multis auctoribus fortissimis viris, me vi armisque defendere; nec mihi ipse ille animus idem meus, [2] vobis non incognitus, defuit. Sed vide-

(1) Alii *consul.* Sed v. not. praec. *T.*

Erat alius ad portas) C. Caesarem significat, qui (teste Plutarcho) quum Galliam utramque cum imperio et exercitu obtineret, tamen non prius ad bellum profectus est, quam Cicero ex Italia pulsus esset. Clodii enim benevolentiam sibi retinere voluit, ne ea, quae consul contra leges et auspicia gesserat, a tribuno pl. rescinderentur: ut in Pisoniana Cicero significat. Hor.

Servos simulatione collegiorum etc.) Loquitur de collegiis (*Clubs* appellant Angli) per Clodium ex omni faece urbis ac servitio concitatis, uti est in Pis. §. 9, pro Sext. §. 55. Ibidem §. 34 dicitur *servorum delectus habitus nomine collegiorum:* hinc illud *simulatione*; ut de Leg. agrar. II, 6, *legis agrariae simulatione atque nomine.*

(2) Oppido ridiculus hic pronominum concursus.

bam, si vicissem praesentem adversarium, nimium multo mihi alios esse vincendos; si victus essem, multis bonis et pro me et mecum, etiam post me, esse pereundum, tribuniciique sanguinis ultores esse praesentes, meae mortis poenas indicio et posteritati reservari.

XIV. Nolui, quum consul communem salutem sine 34
ferro defendissem, meam privatus armis defendere; bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam suis desperare: ac, si solus essem interfectus, mihi turpe; si cum multis, reipublicae funestum fore videbatur. Quod si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer, morte me ipse potius, quam sempiterno dolore multassem. Sed quum viderem, me non diutius, quam ipsam rempublicam ex hac urbe afuturum; neque ego illa exterminata mihi re-

Tribuniciique sanguinis ultores) Pro Sext. §. 43: « Quid erat dubium, quin ille sanguis tribunitius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus ». Conf. pro Planc. §. 88. In reliquis color est maior Ciceroniana arte, *meae mortis poenas indicio et posteritati reservari*. Nam poëtica adeo vix poëtis concessa figura est, *indicio et posteritati* pro vulgari *iudicio posteritatis*; siquidem ne poëtis quidem ambigue loqui licet. Mox Ernestio videbatur melius cohaerere oratio, si ante esset *sed quia videbam* aut *quum viderem — reservari, nolui*, quemadmodum superius erat, *Quare quum viderem — potui*: qua de constructione vide Manutium ad Sext. c. 19. Quoniam autem Critici docent, ex geminatis vocibus saepe unam a librariis omitti solitam, ex hac pyxide aliquis medicinam depromat etiam efficaciorem, *Nolui, nolui*. Similiter modo, *Potui, potui*. Wolf.

Quod si mihi—multassem) Si sempiternam sibi calamitatem metuisset, mortem voluntariam oppetere non dubitasset; ex disciplina Stoica et loco Sext. c. 21. Sed praevidit, se non diutius quam ipsam *remp. ex hac urbe afuturum*. Dein notabile est *exterminata respubl.*, in aliis quoque locis harum Oratt. In extremo dissentiunt Intpp., utrum Auctori placuerit *revocavit* an *reportavit*. Prius e duobus libris edidit Graevius, sequente Lallemando; hoc ceteri probant propter additum *secum*. Nec sane displicet *respubl. Ciceronem reportans*, praesertim si currum ornatum recogites. Quid vero, si in repetito verbo *revocandi* lateat elegantia quaedam? quo eodem nos aliud vocabulum ducit *pariter*. Sic saepe interpretem in diversa trahunt exquisitiores sensus magnorum scriptorum. Wolf.

manendum amplius putavi; et illa, simul atque revocata est, me secum pariter reportavit. Mecum leges, mecum quaestiones, mecum iura magistratuum, mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes, et religiones afuerunt. Quae si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem, quam desiderarem meas. Sin aliquando revocarentur, intelligebam, mihi cum illis una esse redeundum.

Amplius) Abest a codd. Pariss. et quinque Oxon.

Mecum etiam frugum ubertas) Hic plane deprehensum hunc Auctorem habemus, tanquam manifestarium impostorem: nec difficile est, huius vel fictionis vel erroris fontem indagare. Nempe meminerat Rhetor, lente in museo scribens, sub Ciceronis reditum Romae memorabilem inopiam frumenti et omnis annonae fuisse, deinde vero eam sublevatam quadam lege ab ipso Cicerone proposita. Aptissimum id declamationi ornamentum videbatur, ac fuisset utique, si Oratorem suum in tempore gloriantem induxisset, i.e. sublata annonae difficultate. Iam id fecit *intempestive*, pluribus diebus ante quam Pompeio illa cura (nempe infinita potestas rei frumentariae in quinquennium) committeretur. Quo tempore (Nonis Sept. vel d. 8. Idus) si verus Cicero concionans apud Quirites dixisset, *frugum ubertatem et vilitatem secum revertisse*, minime dubium est, quin illi eum non plausu sed infaustis ominibus vel lapidatione excepturi fuissent, idque meritissimo, utpote hominem impudenter coram populo mentientem. Potiori iure in Or. pro Domo c. 7, §. 17, dictum est: « Quemadmodum discessu meo *frugum inopia, fames* — fuisset; sic reditu meo *ubertas agrorum, frugum copia* — mecum simul reducta videantur ». Quo die enim ad Pontifices dixit (pridie Kal. Oct.), fortasse iam aliquid effectum erat ad difficultatem levandam. Maskl. Contra haec affert Gesnerus locum Or. pro Domo cap. 6, qui rem omnem expediat: « Quum de mea dignitate (*restituenda, paulo ante reditum*) in templo Iovis O. M. frequentissimus senatus — decrevisset, *subito, illo ipso die*, carissimam annonam nec opinata vilitas consequuta est *etc.*» Ex duobus his locis, inquit Wolfius, duplicem discimus commutationem annonae eodem anno factam; primam sub Nonas Aug., quum decretum esset de Cicerone revocando; alteram mense sequente, quum is iam in Vrbem revertisset. Neque sane incredibile est, Romae tum ita crebras commutationes rei annonariae brevi intervallo temporis factas esse. Igitur credamus, quod iubemur, *illo ipso die*, quum de viro reducendo lex esset perlata, vel etiam antea, quum id senatus decresset, *subito* carissimae annonae nec opinatam vilitatem successisse. At aliquot diebus post, atque sub ipsum reditum Ciceronis, *rursus durior facta est an-*

Cuius mei sensus certissimus testis est hic idem, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius, qui, omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam quaesturam in me sustentando et conservando collocavit. Qui si mihi quaestor imperatori fuisset,

nona: ante oculos propositum erat periculum, non iam caritas timebatur, sed plane inopia ac fames; adeoque ab ipso annona flagitabatur: Or. pro Domo §. 11. Nam calamitatis caussam in ipso Cicerone esse Clodiani clamabant: ut narratur ad Att. IV, 1. His ergo diebus (*eo biduo*, quod primum egit in Vrbe) Ciceronem, puto, credidit Marklandus, de priore illa *subita vilitate* loqui nullo modo potuisse. Et quis non videat, miseram ac ridiculam futuram fuisse praesentis inopiae consolationem, si laxiorem annonam, quae *mense priore* fuisset, *nunc* senatui et populo in memoriam revocasset? quum *spes* meliorum temporum, quam boni quidam viri in eius reditu sitam dictitarant, in ipso adventus tempore ad irritum cecidisset. Quid? quod non verisimile sed plane necessarium est, Oratorem, qui nihil molitur inepte, si *priorem* illam vilitatem suae fortunae assignare voluisset, *uno*, quum fames timeretur, ea de re longe aliter dicturum, et commotam multitudinem simili quadam ratione atque illi boni viri consolaturum fuisse. Wolf.

Cuius mei sensus — collocavit) Plancii supra oblitus erat pius Orator, itaque eum (nam *nefas quemquam praeterire*) commemorat ante portam claudendam. Simplex autem commemoratio haec putanda erit, non gratiarum actio, quando §. 31 hodie tantum uni privatorum gratias agendas statuit; Plancius autem hoc anno haud dubie inter privatos fuit. Quamquam mutare sententiam potuit Orator, aut speciem extemporalis eloquentiae quaerere de industria; ut id, quod quis ineptum et stultum putet, in magna laude ponendum sit. At erramus fortasse in his omnibus: fortasse non nisi iis gratias agendas statuit, qui Romae restitutionem suam adiuverant. Vide Orat. pro Planc. c. 41. Hunc Plancium *sensus sui certissimum testem* habuit i. e. cum eo communicavit consilia sua, quum ad eum in Macedoniam venisset. Ibi in exsulis causa *provincialia* deposuit *ornamenta* i. e. insignia quaestoria, impr. praetextam, qua non dubium est uti licuisse provinciali quaestori, quum et lictoribus uteretur; eoque pertinere videtur verbum *deponere*. Quo pertineant *commoda*, non tam facile dixeris. Sed licebit mercedes cogitare, quibus fruebatur ex quaestura, sicut *commoda* dicuntur de praemiis militaribus. Conf. Verr. III, §. 182. Id.

Qui si mihi quaestor imperatori fuisset) Nemini ut *imperatori* obtigit quaestor; neque adeo Cicero tum fuerat *imperator*. Markl. Fusius hunc locum exagitat Marklandus, quem ita defendit Gesnerus: « Levius crimen est, quod de hoc loco colligitur. Dicitne hic Cicero, se Imperatorem fuisse? Conditionem ponit duplicem, non absurdam: si ego post consulatum in provinciam issem, si Imperator ego Plancium habuissem quaestorem. Poenitet plura verba facere de re obvia. Gesn. Vna adhuc in hoc loco

in filii loco fuisset: nunc certe erit in parentis, quum fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei.

36 XV. Quapropter, Patres conscripti, quoniam in rempublicam sum pariter cum republica restitutus, non modo in ea defendenda nihil minuam de libertate mea pristina, sed etiam adaugebo. Etenim, si eam tum defendebam, quum mihi aliquid illa debebat, quid nunc me facere oportet, quum ego illi plurimum debeo? Nam quid est, quod animum meum frangere aut debilitare possit, cuius ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiam divinorum in rempublicam beneficiorum testem esse videatis? Nam et importata est, quia defenderam civitatem; et mea voluntate suscepta est, ne a me defensa respublica per eundem me extremum in discrimen vo-

37 caretur. Pro me non, ut pro P. Popillio, nobilissimo

praetermissa est turpis macula, quae, si quis orationem hanc pro Ciceroniana defendere, omnesque eius ineptias librariis imputare voluerit, quantocius erit extrahenda, vel tota ῥίζαις extrahenda, si res aliter fieri nequest. Nam ut conditionem dupliciter absurdam non improbes, nihil est frigidius hoc acumine: *quum fuerit quaestor non imperii sed doloris mei.* Iamne apparet, cui usui fuerit antea nomen *imperatoris?* sine quo nomine nunc *imperium dolori* opponi non posset. Sed quae tandem haec oppositio est, aut quis unquam sani iudicii scriptor dixit *Quaestorem doloris?* Quidni potius *Quaestorem lacrymarum?* ut tamen sit aliquid, quod custodire quaestor, et in quo vim tituli sui exercere possit. Cicero, opinor, si tota reliqua sententia usus esset, sic fere scripsisset, *particeps non imperii, sed doloris mei.* Nimirum id scribere volebat imperita manus, cui haec debentur; sed scripsit putide et ridicule. Wolf.

Mei) ineptissime dictum!

Sed etiam adaugebo) *Sed eam adaugebo* malebat Heumannus; alias Latinitati suam rationem non constare. Hoc est in corpore multis ulceribus obsito reduviam curare.

Divinorum in remp. beneficiorum) Etiam haec depravata esse oportebit. Tam magnifice Cicero non potuit in senatu praedicare de meritis suis. Peccat in hac re omnemque modum excedit Auctor Declamationis *Antequam iret in exilium*: qui plane facit ut mali poëtae, qui in scena personas suas inducunt ea loquentes, quaecunque ipsi sentiunt. Wolf.

Pro me non) Hinc pleraque infracta apparent et quasi amputata. Homo maliguior suspicetur, oratorem haec properasse fessum de itinere, at

homine, adolescentes filii, non propinquorum multitudo populum romanum est deprecata; non, ut pro Q. Metello, summo et clarissimo viro, spectata iam adolescentia filius; non L. et C. Metelli, consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones Metellarum filii, flentes ac sordidati, populo romano supplicaverunt: sed unus frater, qui in me pietate filius, consiliis parens, amore, ut erat, frater inventus est, squalore et lacrymis et quotidianis precibus desiderium mei nominis renovari, et rerum gestarum memoriam usurpari coëgit. Qui quum statuisset, nisi per vos me recuperasset, eandem subire fortunam, atque idem sibi domicilium et vitae et mortis deposceret: tamen nunquam nec magnitudinem negotii, nec solitudinem suam, nec vim inimicorum ac tela pertimuit. Alter fuit propu- 38
gnator mearum fortunarum, et defensor assiduus, summa virtute et pietate, C. Piso, gener: qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis, qui Pontum et Bithyniam quaestor pro mea salute neglexit. Nihil unquam senatus de P. Popillio decrevit, nunquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. Tribuniciis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate senatus, restituti; quum alter eorum senatui paruisset, alter vim caedemque fugisset. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante

omnia corrasisse undique, quae epilogum quendam facere videri possent. Wolf.

Consulis) Ernest. *consularis*, ex menda typothetae, ut putat Wolfius; imitatus est tamen Schützius. Typ.

Nulla auctoritate senatus, restituti) Senatus est: non sunt a senatu restituti, quamvis Popillius perierit, quod ex S. C. amicos Tib. Gracchi persecutus fuerat: Metellus, quod vim et caedem bonorum et senatus ipsius vitaverat. Ferr.

me consularis tempestate civili expulsus est, non modo a senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum cunctum paene delevit. Nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad rempublicam defendendam populi romani convocatio, nullus Italiae motus, nulla decreta municipiorum et coloniarum
39 exstiterunt. Quare quum me vestra auctoritas arcessierit, populus romanus revocarit, respublica implorarit, Italia cuncta paene suis humeris reportarit: non committam, Patres conscripti, ut, quum ea mihi sint restituta, quae in potestate mea non fuerunt, ea non habeam, quae ipse praestare possim; praesertim quum illa amissa recuperarim, virtutem et fidem nunquam amiserim.

Suis humeris reportarit) Ita ferunt Ciceronem gloriatum, *se humeris reip. de exsilio reportatum esse.* Macrob. Sat. II, 3, Plut. vit. Cic. c. 33. Eo dicto potuit declamator uti, etsi oblitus est, se supra dixisse, Ciceronem *equis insignibus et curru aurato reportatum esse.*

ORATIO AD QVIRITES

POST REDITVM

DE ORATIONE

POST REDITVM AD QVIRITES

(Schvtzii Prolegomenon Cap. II.)

Cicero illo epistolae 1 lib. IV ad Atticum loco, quem supra commemoravimus, nihil narrat de oratione post illam in senatu ad populum, ut ei gratias ageret, habita. Neque vero haec oratio post reditum ad Quirites ea ipsa concio esse potest, quam Cicero ibidem paucis post reditum diebus ad Senatusconsultum de re frumentaria Pompeio committenda populo commendandum a se habitam esse narrat. Quis enim credat, Ciceronem in illa concione, quae statim post plausum quum illud SCtum recitaretur, suo nomine recitando a populo datum, habita esset, nullam huius SCti mentionem fecisse. Atqui nullo verbo in hac oratione, quae exstat, illud SCtum tangitur. Quid? quod c. 8 ait se diis immortalibus frugum ubertate, copia, vilitate reditum suum comprobasse, quod non solum aperte repugnat ipsius Ciceronis verbis, qui illo biduo summam annonae caritatem fuisse ad Atticum scribit, sed etiam est eiusmodi, ut si verum fuisset, nihil opus fuisset Pompeio rei frumentariae procurationem committere. Neque vero credibile est, tam paucis diebus binas ad populum a Cicerone habitas esse conciones. Manet igitur hoc, Dionem Cassium vel falso rumore, vel ipsis his orationibus Ciceronis nomini suppositis deceptum esse, quum scriberet Ciceronem post reditum τῇ τε βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ gratias egisse. Nam concionis illius de re frumentaria mentionem non facit.

Orationem illam ad Quirites post reditum habitam, omnino

nusquam a scriptoribus, nedum Ciceronis nomine commemorari meminimus. Eam vero breviarium esse quoddam orationis quae in Senatu habita esse fertur, facile Wolfio largior; idem tamen ab alio quodam declamatore non ab eodem qui illam priorem conscripserit, elaboratam esse contendo. Sunt enim quaedam in hac oratione, in quibus auctori parum convenit cum illius, quae in Senatu habita fertur, scriptore. Ille uxorem Ciceronis plane praeterierat: hic saltem altero loco, c. 8, in verbis *nam coniugis miserae squalor et luctus* eius mentionem facit. Ille ubi de vitae ratione in posterum colenda agit c. 9, *Alio*, inquit, *transferenda mea tota vita est, ut bene de me meritis referam gratiam, amicitias igne perspectas tuear, cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditoribus meis non indicem dolorem profectionis meae, defensores reditus dignitate consoler.* At auctor declamationis post reditum ad Quirites, c. 9, hunc locum sic pertractavit: *Denique Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt, unum eorum, qui odio reipublicae, quod eam ipsis invitis conservaram, mihi inimicissimi fuerunt; alterum, qui per simulationem amicitiae nefarie prodiderunt; tertium, qui quum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meae; quartum, qui quum custodes reipublicae esse deberent, salutem meam, statum civitatis, dignitatem eius imperii, quod erat penes ipsos vendiderunt: Sic ulciscar genera illa, quemadmodum a quibusque sum provocatus: malos cives, rempublicam bene gerendo; perfidos amicos, nihil credendo atque omnia cavendo; invidos, virtuti et gloriae serviendo; mercatores provinciarum, revocando domum, ab iis provinciarum rationem repetendo.* Ex quo facile intelligitur, auctorem orationis ad Quirites post reditum, illam in senatu, non tantum excerpere, sed etiam variare et amplificare voluisse.

Quod reliquum est, auctor eam sic adornavit, ut primo magnitudinem beneficii sibi a populo tributi declaret c. 1, 2; deinde doceat, tantam in studiis populi animorum declaratam esse voluntatem, ut non solum calamitatem sibi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videantur; non enim multitudinem propin-

quorum affuisse, quae istam calamitatem deprecaretur, sed adiutores, auctores, hortatoresque ad se restituendum ita multos fuisse, ut longe superiores omnes hac dignitate superarit; c. 3-7. Itaque pollicetur se huius beneficii memoriam sempiterna benivolentia culturum: in referenda autem gratia promittit, sibi neque in consiliis de republica capiendis, diligentiam; neque in periculis a republica propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda fidem; neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore industriam; nec in populi commodis augendis gratam animi benivolentiam defuturam; c. 8, 9.

ORATIO
AD QVIRITES
POST REDITVM

I.

Quod precatus a Iove Optimo Maximo, ceterisque diis immortalibus sum, Quirites, eo tempore, quum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio,

Quod precatus — laetor, Quirites) Recte notata est a Marklando salebrosa oratio, manifestam speciem habens imitationis, qua quis homo de schola eam magniloquentia Ciceronis certare velle videatur. Sunt quidem apud illum longiores periodi, et, quae rhetores vocant, *πνεύματα* et *τάσεις*; sed longitudo in talibus coniuncta est cum proportione partium, cum perspicuitate et concinnitate verborum, etiam in *ἀνακολούθοις*, quae ipsa fere perspicuitatis causa admitti solent. Hic contra principio statim quisque attente legens ambiget, quum primam particulam VT praecedant duo verba, ad utrum horum illa relata sit; quae una causa est diversae opinionis de extremis istis, *eius devotionis me esse convictum* etc. Certum tamen videtur, scriptorem eam particulam retulisse ad verbum *devovi*, ut suspensa reliquisse priora, *Quod precatus — sum*. Id autem quam dure et incommode fiat, non difficile est sentire, praesertim collato simillimo principio Orat. pro Murena. Deinceps item impeditum est hoc, quod eadem particula VT primo et tertio loco ΩΣ, medio ΙΝΑ significat; quod ipsum non omnes Intpp. videre potuisse, docet vulgata interpunctio et nota Gruteri. Nempe verba *hoc si animo* — redeunt ad illa *sin et ea* —; deinde totum membrum, *ut quod odium — deficeret*, pendet a proxime praegressis, *vestrae salutis gratia*, horumque nimiam quandam explicationem continet. Sed plura nos offendunt in postremis: primum locutio *devotionis convinci*, in qua genitivi constructio, per se quidem latina, in alienam quasi domicilium translata videtur, repugnante usu, qui tolerabilior certe est in Orat. pro Domo l. 1. Non enim satis est, explicari illud, ut vulgo faciunt, *voti damnatum esse*, nisi auctoritas proborum

concordiaque devovi, ut, si meas rationes unquam vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem, mea voluntate susceptam; sin et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem, ut, quod odium scelerati homines et audaces in rempublicam et in omnes bonos conceptum iamdiu continerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque et in universa republica deficeret; hoc si animo in vos liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, Patres conscriptos, Italiamque universam, memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: eius devotionis me esse convictum iudicio deorum immortalium, testimonio senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino immortalique vestro, maxime laetor, Quirites. Etsi ho- 2
mini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu: tamen, si mihi tranquilla et pacata omnia fuissent, incredibili quadam et paene divina,

auctorum ita loquentium accesserit. Mox vaga significatio est in *iudicio deorum*: quod Hotomanus interpretatur de eventu rei, unde homines voluntatem numinis colligant; sed alius non minori specie referre possit ad *ubertatem et copiam frugum*, de qua dictum est in priore Orat. §. 34. Conf. pro Domo §. 15. Deinde probabile est, *confessione inimicorum* designari imprimis Metelli consulis, forsan etiam Appii praetoris, consensum vel suffragationem, quamvis vox *confessio* minus accommodata sit huic loco. Denique cedo nobis undeunde aliud exemplum, ubi auditores bis in eadem periodo nominatim appellentur, uti hic, *Quirites*. Numerosius haud dubie sic clausula cadit: sed numerosae ineptiae tamen sunt ineptiae. Wolf.

Deficeret) Hotom. et Lamb. coniecit *defigerent*; Gronerus *desaeviret*.

Incredibili quadam et paene divina) Modo dixit *beneficio divino*; iam denuo inculcat idem epitheton. Nimirum hic est mos imitatorum, ut, ubi scriptoris, cuius personam agere velint, aliquod verbum loquendive modum corripuerunt, talia ad fastidium usque repetendo germanum exemplar sui scriptoris se assequi sperent: sed, ut inepti nihil non inepte faciunt, ita ignorant isti, quando desinendum sit, optima quaeque dicerunt importuno studio, faci-

qua nunc, vestro beneficio, fruor, laetitiae voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero, et propter indulgentiam meam et propter excellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores. Tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt re-
3 stituti. Nihil cuiquam fuit unquam iucundius, quam mihi meus frater. Non tam id sentiebam, quum fruebar, quam tunc, quum carebam, et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res familiaris sua quemque delectat: reliquae meae fortunae recupe-

leque se produnt intelligentibus. Ita quum Cicero rem insigni magnitudine vocare soleat *incredibilem*, ac, si ex optabili genere est, *divinam*; huic Auctori omnia sunt *incredibilia* atque *divina* Habemus tertium exemplum c. 2, *Neque tam divino atque incredibili genere dicendi*: ubi sententia translata est ex altera Orat. c. 1, *tam divinum atque incredibile genus orationis*. Mox c. 2, *spectatum et incredibili pietate cognitum*; c. 3, *divina quaedam auctoritas*; c. 6, *praestanti in me benevolentia et divino studio exstiterunt*. Simili modo decem locis horum octo priorum capp. *dii* usurpantur *immortales*, epitheto sane Ciceroniano, sed apud illum tamen aliter adhibito, ubi id adhibetur saepissime, ut in Or. III Catil. Markl.

Laetitiae voluptate) Q. d. *voluptatis voluptate*, seu *laetitiae laetitia*: qualia nonnulla I. F. Gronovius Observ. in Scriptt. eccles. cap. 10, pag. 106 attulit ex Paulino, Firmico et aliis deteriorum aetatum, *mercedem pretii*, *comarum crines*, *sapientiae prudentiam* etc. Una quidem syllaba addenda sensus atque usitata forma loquendi restitui posset, *laetitia et voluptate*, uti est pro Sulla c. 32, sed minime dubito, quin illud vulgatum vera manus auctoris sit. Id.

Et posteaquam — reddidistis) Vel ipsum tempus verbi detegit sententiae pravitatem. *Sentiebat, posteaquam ei populus reddidit*. Age, Plauti Capt. 1, 2, 33: «Tum denique homines nostra intelligimus bona, Quum, quae in potestate habuimus, ea amisimus» huic, inquam, versui adiice verba, *et postquam recuperavimus*, aut simile quippiam, ut statim turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa superne. Bonum igitur factum, quod malo artifici subvenit corrector in marg. cod. C. scribendo: *Sed postea quam vos — reddidistis, incredibile est, quantam animo voluptatem perceperim*. Quod additamentum, iam in vet. edit. repertum, non contemnendum videbatur Garatonio, viro egregio, quem reprehendo invitus. Is si vivit adhuc, erit in numero eorum, qui, quid a nobis in his Oratt. agatur, et an recte agatur, acutissime intelligent: ita illum nuper cognovimus eruditum et limato iudicio. Wolf.

Reliquae meae fortunae recuperatae) At Nonis Sept. vel d. 8. Idus *nihil* dum *receperat* Cicero praeter

ratae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumes afferebant. Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique, et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Iam vero honos, dignitas, locus, ordo, be- 4

dignitatem, patriam et cognatos: *fortunas recepisse* demum post mensem potuit dici. Markl. Quod confirmatur e capite VIII huius orationis: *Mihi, quod potuit vis* — — *id manet et permanebit*. Typ. De domo urbana, ut de aedificiis ornamentisque villarum, Tusculanae, Formianae, fatendum est, ea, quo tempore haec dicta sunt in concione, nondum fuisse restituta. Sed an solae istae fuerunt Ciceronis fortunae? nonne alias quoque opes habuit, in urbe, in praediis rusticis, in Puteolano, Antiate, Arpino, Cumano, Pompeiano, ceteris, quae enarrat Middletonus T. III, pag. 294—300: quae ublata, vastata omnia esse, nullo vestigio cognoscimus; de quibus non minus quam de domo urbana, de Tusculano et Formiano, scripturus fuerat ad Atticum suum. Nec praetermittendum est, quod *reliquas* suas *fortunas* vocat, *reliquas* nempe a furore inimicorum, easque negat antea *incolumi* sibi tantum, quantum nunc direpto et spoliato, voluptatis attulisse. De fundis ipsis plane dubitatum non esse, apparet: disceptatum modo de damnis superficiei praediorum illatis. Sola area etiam domus urbanae in controversiam vocata, quod consecrata Libertati esse diceretur. Quae quum ita sint, nihil hic est, quod non dicere, scribere, Cicero potuerit. Gesn. Quum minime constet, quot villas hoc ipso tempore possederit Cicero (num omnia, quae eius dicuntur, praedia eum possedisse simul omni tempore, nemo credat), quum ne id quidem satis appareat, quam vim habuerit bonorum eius publicatio: in illo crimine aliqua dubitatio residere videri potest. eoque maior, si quis *reliquas fortunas* a furore inimicorum *relictas* explicet. At quid fiet his locis alterius orationis, quos supra intactos omisimus, c. 1 et 15: « Qui ordinem, qui *fortunas* — *reddidistis* — — Quum ea mihi sint *restituta*, quae in potestate mea non fuerunt » nonne hic *in universum* de fortunis recuperatis loquitur? Verum si haec quoque torqueri ad quandam verisimilitudinem possent, tamen inconsideratissima putanda esset omnino haec toties repetita mentio *recuperatarum fortunarum* eo tempore, quo nondum in senatu actum erat de aestimandis damnis domus et praediorum; id quod non ante primos dies Octobris factum esse constat. W.

Incolumes) Sic Ernest. e coniectura Hotomani. Wolf. *incolumi*; in notis vero probat *incolumitatis* ex codd., eoquod hoc vocabulum opponatur τῷ *voluptatis*. Male, ut mihi videtur. Typ.

Ludi denique — fruendo) Parum probabiliter hoc dictum est, siquidem Cicero ludis ac festis diebus se non multum delectari aliquoties profitetur: ut pro Planc. c. 27, pro Arch. c. 6, ad Famil. VII, 1, ad Att. IV, 8. Manutius nostro loco excusandi gratia adscripsit: *Fortasse temporis causa hoc dicit*: tum laudatis duobus prioribus locis, ubi prorsus contra-

neficia vestra, quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria, dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet! quae species Italiae! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! qui agri! quae fruges! quae pulcritudo urbis! quae humanitas civium! quae reipublicae dignitas! quae vestra maiestas! Quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis. Sed tanquam bona valitudo iucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.

5 II. Quorsum igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem unquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me fratremque meum et liberos nostros contulistis, non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem,

ria leguntur, rursus adiecit: *Aut haec ipsa quoque tempori tributa sunt.* —Sic scilicet diversis locis coniunctis virum eundem cognoscimus et *amantem ludorum* et *non amantem*. M. — Ludos ac dies festos non magni faciebat Cicero verus? Hoc variis locis prae se fert. Nempe nunc *carendo intellexit*, etiam in his esse aliquid voluptatis. Gesn. Sapientior, credo, factus erat in exsilio. Wolf.

Dici vix potest, quid caritatis — quae vestra maiestas!) Hoc puerilium admirationum cumulum a Ciceronis ore fluxisse haud facile mihi persuadeo. Tyr.

Parvus sum procreatus — consularis) Lineamenta festivae sententiae duxit ex noto dicto Ciceronis, quo hunc diem reditus *natalem suum* vel *παλιγγενεσίαν* vocabat. Quo an excusari possit illud puerile et frigidum acumen, indicet per se quisque qui vim verborum et imaginem a Gesnero tam graphice expictam perpenderit. Wolf. Haec nempe contra Marklandum Gesnerus notaverat: antiqua et πολυθρύλλητος sententia est, plus illis deberi, qui nobis vivendi cum virtute, cum dignitate, causas praestiterint, quam qui solam praebuerint causam nascendi: deinde,

incognitum qualis futurus esset, dederunt: vos spectatum et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rempublicam illis accepi temporibus eam, quae paene amissa esset: a vobis iam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera servatam iudicaverunt. Dii immortales mihi liberos dederunt: vos reddidistis. Multa praeterea diis immortalibus optata consequuti sumus. Nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assequuti, nunc a vobis universos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore universim cuncto populo romano debeamus.

Nam, quum in ipso beneficio vestro tanta magni- 6
tudo est, ut eam complecti oratione non possim; tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini.

quidni placuerit phantasia illa Quiritibus, hinc parvulum et vagientem suis incunabulis Tulliolum Arpinatem cogitantibus, hinc M. Tullium Ciceronem sua cum praetexta toga et fascibus duodecim pro rostris vel praesidentem vel louantem? Optabile videtur esse apud populum agenti, tales in mentem venire ineptias. Gesn.

Rempubl. illis accepi temporibus) Manutius refert ad initium belli socialis, quo tempore Cicero virilem togam sumpsit. Wolfius vero assentitur iis, qui ad consulatum Ciceronis spectant. Locutio autem ipsa *accipere rempublicam* parum latina eidem viro Cl. videtur. Typ.

Habemus) Nunquam hoc Cicero dixisset. Stultum enim fuisset dicere se hoc tempore quaestorem, aedilem, praetorem et consulem esse.

Universim cuncto populo romano) Coniuncta *universim cuncto* speciem habent miserarum divitiarum, nec *universim* verbum est Ciceronianum, nec fortasse huius scriptoris, ut MSS. arguunt. Quare nonnulli corrigendum putant *universo populo rom.* Sed qualis haec est progressio a *vobismet ipsis*, qui profecto non possunt esse *singuli* sed *universi*, ad *populum universum?* Neque huic difficultati multum medentur coniecturae Garatonii, *in universum cuncto*, et, *uni coniuncte pop. rom.* Igitur correctio Ernestii, *tantum hoc tempore uni populo R.*, potior habenda erit, si modo no-

III. Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillii,
nobilissimi hominis, adolescentes filii, et multi prae-
terea cognati atque affines deprecati sunt; non, ut
pro Q. Metello, clarissimo viro, iam spectata aetate
filius; non L. Diadematus, consularis, summa aucto-
ritate vir; non C. Metellus censorius; non eorum li-
beri; non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum
petebat; non sororum filii, Luculli, Servilii, Scipio-
nes: permulti enim tum Metelli, aut Metellarum li-
beri pro Q. Metelli reditu vobis ac patribus vestris
supplicaverunt. Quod si ipsius summa dignitas maxi-
maeque res gestae non satis valerent, tamen filii pie-
tas, propinquorum preces, adolescentium squalor,
maiorum natu lacrymae populum romanum movere
7 potuerunt. Nam C. Marii, qui post illos veteres cla-
rissimos consulares, vestra patrumque memoria, ter-
tius ante me consularis, subiit indignissimam fortu-
nam praestantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio.
Non enim ille deprecatione rediit, sed in discessu ci-
vium, exercitu se armisque revocavit. Me autem nu-
dum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo
armorum ac tumultus metu, C. Pisonis, generi mei,
divina quaedam et inaudita auctoritas atque virtus,
fratrisque mei miserrimi atque optimi quotidianae
lacrymae sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt.
8 Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos

bis specimen scholasticum emaculandum, non in bono scriptore crisis ad librorum fidem facienda sit. Aliquanto melius eandem sententiam expressam legimus in Sen. l. l. W.

P. Popillii) Quem expulerat C. Gracchus, quia in consulatu T. Gracchi amicos insectatus fuerat. Ferr.

In discessu) Hotomanus, Graev. Garaton. praeferunt ex paucorum codd. scriptura, *in dissensu*. Heumanno et Wolfio neutrum placet. T.

Virtus) Inepte componuntur *auctoritas atque virtus*, ineptum etiam epitheton *inaudita*. Ernestius sine libris rescripsit *inaudita pietas atque virtus*.

Oculos inflecteret) Num ad misericordiam et lacrymas? an simpliciter, ad se converteret? W.

inflecteret; qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret; qui statuerat, Quirites, si vos me sibi non reddidissetis, eandem subire fortunam; et tanto in me amore exstitit, ut negaret fas esse, non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse seiunctum. Pro me praesente senatus, hominumque praeterea viginti millia vestem mutaverunt: pro eodem me absente unius squalorem sordesque vidistis. Vnus hic, qui domi, qui in foro posset esse mihi pietate filius, inventus est beneficio parens, amore idem, qui semper fuit, frater. Nam coniugis miserae squalor et luctus, atque optimae filiae moeror assiduus, filiique parvi desiderium mei, lacrymaeque pueriles, aut itineribus necessariis, aut magnam partem tectis ac tenebris continebantur. Quare hoc maius est vestrum in nos promeritum, quod non multitudini propinquorum, sed nobismetipsis nos reddidistis.

Vnus hic, qui domi) Haec foede depravata plerisque visa sunt, et fortiori aliquo remedio curanda. Nobis unice probatur lenissima ratio, quae locum hac et distinctione et interpretatione redintegrat: *Vnus hic, qui domi, qui in foro posset esse* (intell. ex relatione ad seqq. de uxore et liberis, celebritatem fugientibus ac moerentibus in solitudine) *unus* ergo, *qui in urbe* (opp. peregre), *qui in foro posset esse* (h. e. versaretur, orandoque et supplicando meam causam ageret), is *mihi pietate filius inventus est, beneficio parens, amore idem, qui semper fuit* (sane *semper* est, qui *semel* fuit) *frater.* Wolf.

Non multitudini — nos reddidistis) Postrema effecta sunt ex principio alterius Orationis, ubi recte posita est formula *nobismet ipsos nobis reddidistis*; et aeque recte ibidem §. 8 pro Marcello cap. 5. Hor. Epist. I, 14, 1. Nam sic veteres loqui solent de homine, qui ex quavis afflictione vel calamitate, in qua *periisse* et quasi *semet ipsum desiderare* videbatur, rursus recreatus et restitutus est in contrariam sortem. A quo usu longe longeque deflectit hic Scriptor, cui *nos nobis reddidistis* nihil aliud est, quam *me mea solius gratia revocastis.* Non equidem nescio, quid Latinis et Graecis sit dativus commodi; neque eo secius istum usum perversum esse iudico. Markl. Si verba referamus, quod res ipsa postulat, ad Ciceronem eiusque uxorem, fratrem, liberos, generum, non opus erit sententia, quam fingit et explodit Criticus, ut referatur ad solum Ciceronem, qui sua ipsius gratia revocatus sit! Gesn. Γεροντικὸν ἀνδρὸς δαιμονίου. Non assequutus est mentem sui Ciceronis. Nam oppositionis et omnis sententiae tenor vincit, sensum vero

9 IV. Sed quemadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt : sic, illud quod mea virtus praestare debuit, adiutores, auctores, hortatoresque ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes hac dignitate copiaque superarem. Nunquam de P. Popillio, clarissimo atque fortissimo viro; nunquam de Q. Metello, nobilissimo et constantissimo cive; nunquam de C. Mario, custode
10 civitatis atque imperii vestri, in senatu mentio facta est. Tribuniciis illi rogationibus, nulla auctoritate senatus, sunt restituti. Marius vero non modo non a senatu, sed etiam oppresso senatu est restitutus: nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus atque arma valuerunt. At de me ut valeret, semper senatus flagitavit; ut aliquando *perfi-*

indicatum esse a Britanno: et quod is negat, illo sensu recte positam esse formulam, iure optimo negat, opinor. In talibus enim generibus loquendi non temere variat significatio apud meliores scriptores; et aliquid de illis novare, hominum est rudium vel ex novitate inscite gratiam captantium. Ac ne quis putet, Ciceronem, utpote Romanum, aliquid audere potuisse in patria lingua: potuit utique, sed multa sunt, in quibus eum noluisse, quod posset, appareat. Ita potuit etiam inepte scribere; sed id noluit facere: atque adeo diu noluit, ut tandem ne posset quidem. Huc valet de rebus multis. Wolf.

Sed quemadmodum propinqui — superarem) Lamentandus, non culpandus est bonus exsul, quod ei non affuerunt propinqui: nulli fuerunt, qui adessent: et quis parare sibi potest propinquos, cui natura vel *dii immortales* non dederunt? Verum qui nunc tam dignus est miseratione, qui pro multitudine necessariorum non nisi *unum fratrem* habuit deprecatorem miseriarum, idem mox comparatione *Popilii*, *Metelli*, *Marii* (qui hic iterum et paulo post ad novos gyros citantur), ita caput suum extollit, ut invidendus videatur citius quam miserandus. Nempe sua ipsi virtus hoc praestitit, quin etiam *debuit* praestare, ut adiutores nancisceretur multo plures, quam quisquam priorum cum simili fortuna conflictantium. In *hac dignitate et copia* nobis cogitanda est amicorum *multitudo* et *dignitas*: quasi antea non solum multos, sed et dignitate, honoribus, eminentes dixisset. Atque paulo ante *illud quod*, ut constanter legitur in MSS., significat *id quod*, si cui forte obscurum sit, quum alibi non ita dicatur, quod sciam. Wolf.

ceretur, quum primum licuit, frequentia atque auctoritate *perfecit*. Nullus in eorum reditu motus municipiorum et coloniarum factus est. At me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium caede facta, reducti sunt. Ego iis, a quibus eiectus sum, provincias obtinentibus, inimico autem optimo viro et mitissimo, altero consule referente, reductus sum; quum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

Italia cuncta revocavit) Wolfius recte negat ullo modo doceri posse, quae sint illa tria plebiscita vel leges; nam leges significari, non senatusconsulta; per haec enim senatum, non Italiam revocasse.

Inimico autem — referente) Quinque Oxonn. et alii nonnulli MSS. habent *inimico hoc*, sine particula, non male, tanquam ante oculos sedente Metello Consule. Nimirum hic est *inimicus*, quem vocat *mitissimum* (infra *clementissimum*) ob moderationem et depositas simultates. Iam is romano more dicitur et ipse *retulisse*, etsi agebat imprimis Lentulus, quoniam ille huius actionem non impediebat. Ita pro Sext. §. 130. *Vt Q. Metellus — de mea salute retulerit.* Conf. in Pis. §. 35, et pro Domo §. 70. Nihil ergo h. l. movendum erat, quamvis bene abesse potuisset participium, hoc sensu: Alii duo inimici mei provincias obtinuerunt, alius nunc *consulatu fungitur*. Hoc autem non placuisse Auctori, docet locus pro Domo §. 87. Wolf.

Quum is inimicus — amandatus esset) Perperam inter se oppositae sunt voces *spiritu* et *re*. Nam quum *spiritu vivere* sit *re vera vivere*, nec quisquam ulla re magis *vivat* quam *spiritu*, pro hoc vocabulo Cicero et alius quisque intelligentior scripturus fuerit *nomine*, *verbo*, *specie*. In reliquis Auctor prae oculis habuit locum pro Quintio cap. 15, ubi vide quanta prudentia temperatum at emollitum sit audax genus loquendi: *Is* (cuius bona venierunt, cuius etiam necessarius victus vestitusque sub praecone subiectus est) *non modo ex numero vivorum exturbatur*, *sed*, si fieri potest, *etiam infra mortuos amandatur*. Id est: *Si gradus quidam essent in morte*, *possetque fieri*, *ut mortuorum alius alio magis mortuus esset*, *Quintium in infimo loco*, *in imo ordine*, *constitutum videri*. Audacior magistellus noster. Nulla excusationis formula usus, simpliciter pronuntiat primo Atilium suum *re*, non *specie*, esse magis *mortuum* quam *ullum mortuorum*; tum eodem tempore homini tribuit *spiritum*, ut nihilo minus *vivat* quam *ullus vivorum*. Absurdum huius sententiae sentiebat Hotomanus, idque sublatum cupiebat, sed nihil profecit interpretatione sua. Markl. Mihi pulcre et plane Ciceroniane hoc dictum esse videtur. *Spiritu* vivebat tum Clodius, h. e.

11 V. Nunquam de P. Popillio L. Opimius, fortissimus consul, nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui sequutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus. At pro me superiores consules semper, ut referrent,

spirabat, ut animalia omnia, quum dicuntur vivere; ut moribundi homines *spiritu* adhuc *vivunt*, quum vox et sensus illos iam destituerunt. *Re*, actionibus, efficientia, *infra omnes mortuos amandatus erat*: minus valebat iam illa praeclara lex de Ciceronis exsilio Clodia, quam si ab aliquo olim mortuo lata fuisset. Gesn. Satis ingeniose excogitavit Gesnerus, quid Orator voluerit vel debuerit dicere; male neglexit, ut solet, quo id dictum sit modo. Etenim hoc non nesciebat Marklandus, *civili vitae* quodammodo opponi posse eam, quae in *spiritu* esset; sed interpretis putabat explicare, quae scriptor dixisset, non temere coniicere, quid in animo habuisset. Hic in animo habuit sane omnia quam bellissime facere. Nobis vero praeter ineptias antitheti simul obscure et φορτικωτάτως locutus videtur, planeque ad morem imitatorum, si quando proprium ingenium ostendere et furta celare volunt. Obscuritatem prodit ipsorum Intpp. dubitatio, quisnam sit is *inimicus*, idemne, qui §. 12 dicitur is *Tribunus pl.*, Sex. Atilius, an P. Clodius, quem nemo non primum cogitat, ubi de Ciceronis inimico agitur. Neque illud minus dubium esse potuit Romanis quam nobis, quoniam in verbis nihil est, unde iis facilius fuerit cognoscere, uter esset intelligendus. Iam agite, Atilium sumamus cum Manutio: is profecto non potuit in *ullo ordine mortuorum* censeri tum, quum unus Kal. Ian. auctoritatem senatus impediret, multique et summi viri eum, ne id faceret, orarent, ad eiusque pedes flens iaceret socer; neque nunc intelligi licet, quis eum postea *etiam infra mortuos* amandarit. *Communes* autem *hostes* si sunt et Ciceronis et omnis reipubl., quo iure ille, non furibundis concionibus, sed una intercessione notus, meruit dici *hostibus vocem suam praebuisse?* Igitur cum Hotomano capiamus Clodium: is autem ad perniciem Ciceronis, adversus quem tribunus prope quotidie concionabatur, vocem suam praebuerat, sive reliquiis Catilinariae coniurationis, sive potius sceleratis consulibus et horum factioni; nunc a Milone oppressus iacebat, non sic quidem ut deinde, quando ab illo occisus erat, non iam *ad mortuos amandatus*, nec *infra mortuos*, nedum *infra omnes mortuos*; verum iacebat tamen, quatenus eius vox rarius audiebatur, et minus quam ante valebat potentia. Sit ergo is, quem quaerimus, Clodius; nec dubito, hunc designari: mitto imperfecta ista *viveret* et *amandatus esset*, quae grammatica consecutione temporum defendi possent: exsistit alia res absurda ex toto tenore sententiarum, de utro locus capiatur, peraeque intolerabilis. Reditum suum, gloriari coepit, factum esse non solum sine ulla caede inimicorum, sed ita, ut vivant illi, ut omni publica actione floreant, et provincias adm-

efflagitati sunt; sed veriti sunt, ne gratiae causa facere
viderentur, quod alter mihi affinis erat, alterius cau-
sam capitis receperam: qui provinciarum foedere ir-
retiti, totum illum annum querelas senatus, luctum
bonorum, Italiae gemitum pertulerunt. Kalendis vero
Ian. posteaquam orba respublica consulis fidem, tan-
quam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus consul,
parens ac deus salutis nostrae, vitae, fortunae, memo-
riae, nominis, simulac de solemni religione retulit,
nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agen-
dum iudicavit. Atque eo die confecta res esset, nisi 12
is tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quae-
storem consul ornaveram, quum et cunctus ordo et
multi eum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer,
optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem sibi
ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non
in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur,
sed, ut patefactum est, in augenda mercede consum-

nistrent, ut consulatum gerant, nisi quod unus quidam — *spiritu dumtaxat vivit* etc. Num aliquid stultius inferri potuit? Vnusquisque, legendi scribendique sciens, quum pervenit ad illa *quum is inimicus*, exspectabit illatum iri, si non *vigeret* vel *floreret*, at saltem *spiritum duceret leniter et tranquille*. Et hac modestia usque ad ieiunitatem usus est Auctor pro Domo §. 87: *Redii cum maxima dignitate, te vivo, fratre tuo altero Consule reducente.* Id.

Efflagitati) Codd. 5 Oxx. duo Barbb. *flagitati*.

Ne gratiae causa) Ironia. Non enim veriti sunt, sed pactione provinciarum irretiti, quae mei funeris merces fuit, nunquam referre voluerunt. M.

Affinis erat) Piso, quia Ciceronis filia, C. Pisonis uxor erat. Id.

Alterius causam capitis) Gabinium ante annum, quo Cicero ab exsilio revocatus est, in causa capitis ab eo defensum esse negant Markl. et Wolf. ad h. l.

Provinciarum foedere irretiti) Notum est P. Clodium tribunum pl. provinciam Syriam Gabinio, Macedoniam Pisoni spopondisse, ut se in Cicerone in exsilium eiiciendo adiuvarent. Graev.

Deus salutis nostrae) Sic Lambinus, Graev. Ern. Amar. Plerique codd. MSS. *deus, salus nostrae vitae*. Typ.

Tribunus plebis) Sex. Atilius.

Vt patefactum est) Quia postero die intercessit: quum se moram nullam esse facturum dixisset. Man.

pta est. Postea res acta est in senatu alia nulla, et quum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta senatus, causa ad vos mense Ian. deferebatur.
43 Hic tantum interfuit inter me et inimicos meos. Ego, quum homines in tribunali Aurelio palam conscribi centuriarique vidissem; quum intelligerem, veteres ad spem caedis Catilinae copias esse revocatas; quum viderem ex ea parte homines, cuius partis nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse, aut desertores salutis meae; quum duo consules, empti pactione provinciarum, auctores se inimicis reipublicae tradidissent; quum egestatem, avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum domesticis hostibus dedidissent; quum senatus equitesque romani flere pro me, ac, mutata veste, vobis supplicare edictis atque imperiis vetarentur; quum omnium provinciarum pactiones, quum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum, sanguine meo sancirentur; quum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolui, quod potui, quoniam et vincere et vinci luctuosum reipublicae fore putavi.
44 At inimici mei mense Ian. quum

Postea — ad vos mense Ian. deferebatur) Ita Wolfius edidit e codd. Lambini aliisque. Vulgo legebatur *postea — alia nulla, quum variis rationibus impediretur, et voluntate tamen perfecta senatus causa, ad vos m. I. deferebatur.*

In tribunali Aurelio) Quum Clodius infimorum hominum, et servorum collegia instituerel contra senatus auctoritatem. Fern.

Revocatas) *Renovatas* codd. Vrs. Barb. Guelf. alii.

Constrictum) Edd. vell. *conflictum* Ald. et seqq. *constrictum*; Graevius malebat *afflictum*.

At inimici mei, menses Ian.) Post affectatam crebritatem sententiarum mirifice offendit haec exilitas, quae minime animum explet suspensi auditoris. Qua in re praestat periodus eiusdem argumenti in altera Or. §. 6, unde hic nuda clausula redditur, quasi spiritu in superioribus exhausto. De verbis comparandus est locus Paradox. I, 3: «Scipiones adventum

de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.

VI. Itaque quum ego afui, cum rempublicam habuistis, ut aeque me atque illam restituendam putaretis. Ego autem, in qua civitate nihil valeret senatus, omnis esset impunitas, nulla iudicia, vis et ferrum in foro versarentur; quum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur; tribuni plebis, vobis inspectantibus, vulnerarentur; ad magistratuum domos cum ferro et facibus iretur, consulis fasces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur: rempublicam esse nullam putavi. Itaque neque, republica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi; nec, si illa restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa reduceret. An ego, quum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum, qui illis ipsis reipublicae periculosissimis temporibus aedilis curulis, me consule, omnium meorum consiliorum particeps periculorumque socius fuisset; dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? Hoc duce, collega autem eius, clementissimo

Carthaginiensium *corporibus suis intercludendum putaverunt* ». His addidit Orator *flumen sanguinis*, haud male; vellemus modo, orationis flumen minus obstructum esset. Neque id multum levatur particula *Itaque*. Nam dum exspectabas, ut de furore inimicorum *mense Ian.* (quod putide repetitur) plura narrarentur compilata e Sext. cap. 35, subito rursus reiiceris ad consilia profectionis in exsilium. Conf. in Sen. cap. 13. Quamquam admissa sunt nonnulla, quae multo post illam rem acciderunt, neque adeo in causis profectionis afferri debebant. Vnde, si alibi usquam, intelligitur, Declamatoris crassam negligentiam rerum nil nisi sonantia verba quaesisse. Eodem in loco etiam ieiunum est illud, *omnis esset impunitas*, neque sensui nec auribus satisfacit. Tanto splendidiora sunt, quae sequuntur: *Quum privati —tuerentur*, *Tribuni pl. — deorum immortalium*, usque ad novum *Itaque*. Taedium est, omnia persequi et ad exactam regulam redigere. WOLF.

Exploratissimum) Recte negat Wolfius hoc Ciceroni exploratum fuisse.

atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adiuvante, reliqui magistratus paene omnes fuerunt defensores salutis meae. Ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, praesidio, copiis, T. Annius et P. Sextius, praestanti in me benivolentia et divino studio exstiterunt. Eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus senatus, uno dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis amplissimis ornavit, salutem vobis, municipiis coloniisque omnibus commendavit.

16 Ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, consules, praetores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta, semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem, non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt.

VII. Quorum princeps ad cohortandos vos, et ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia ac gloria princeps: qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae reipublicae, salutem, otium, dignitatem. Cuius oratio fuit, quemadmodum accepi,

Uno dissentiente) Alii Clodium intelligunt; alii Atilium: addi poterat et alter Tribunus huius anni, Quintius, etiam Praetor Appius: quorum trium causa modo dicebatur, *magistratus paene omnes*. Conf. ad Orat. in Sen. §. 23. Sed in talibus ubique Auctor carissimum Clodium suum in animo habuit. Vide in Sen. §. 26, pro Domo §. 14, cuius loci fortasse immemor erat Ferratius, quum nostro loco S. C. in templo Virtutis facti mentionem fieri censebat. Wolf.

Ita me nudum — cognatione munitum) Pauperculi ingenii est talis repetitio eorundem verborum ex §. 7, quali nusquam utitur summus Orator. De suo hic adiecit §. 7, *omnes Consulares, omnes Praetorios*, magnifici soni causa, ut coniicio. Id.

Ab eodem) Lentulo.

Cuius oratio fuit) De orationis Pompeianae partitione nihil dum accepisse videtur Cicero, quando, sex mensibus post, defendens Sextium

tripartita. Primum vos docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam, causamque meam cum communi salute coniunxit; hortatusque est, ut auctoritatem senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis: tum in perorando posuit, vos rogari a senatu, rogari ab equitibus romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.
Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum 17
hominem homini debere vix fas est. Huius consilia, P. Lentuli sententiam, senatus auctoritatem vos sequuti, in eo me loco, in quo vestris beneficiis fueram, iisdem centuriis, quibus collocaratis, reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios, eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rempublicam conservatam esse constaret. Itaque quum P. Servilius, gravissimus vir, et ornatissimus.

illa dicebat l. c. Videlicet haec de *tripartita oratione* ficta sunt a fatuo homine, qui ne didicerat quidem, quid esset, thema ad artis regulas distribuere; cuius imperitiae vel ipsae Orationes eius insignia sunt specimina. Putavit igitur satis esse, si arenam suam temere congestam pro calce conglutinaret tribus particulis, *primum*, *tum*, *denique*, ut nemo lectorum de tribus partibus dubitaret. At si *denique* pertinet ad tertiam partem, iam secunda habuit *perorationem*, quam nimirum apud veteres interdum sequebatur nova *amplificatio*, qua de re vide Facciolatum ad Cic. pro Quint. cap. 30, et I. C. Th. Ernestii Lexicon. technol. Lat. rhet. p. 20. Verum parcamus indocto scriptori, cuius ratio vel potius deliratio non desinet esse, quod erat antea, etsi eam omnibus modis sublevemus. Praeterea notandum est verbum *posuit*, quod proprium est in scripta oratione, non in dicta: neque vero pro concione Pompeius de scripto dixisse videri potest. Et quinam erunt statim illi *vos*, qui rogantur a *senatu*, ab *equitibus*, ab *Italia cuncta*? Nulli reliqui sunt ex populo romano, praeter urbanam plebem et subrostranos. Wolf.

Iisdem centuriis—reposuistis) Quid haec sibi velint, planius explicat Manutius: Vt centuriatis comitiis consul factus sum, sic lege centuriatis comitiis lata restitutus. Wolf.

Itaque quum P. Servilius) Hinc

civis, dixisset, opera mea rempublicam incolumem magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem sententiam ceteri. Sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium, L. Gellii: qui, quia suam classem attentatam magno cum suo periculo paene sensit, dixit in concione vestra: *si ego consul, quum fui, non fuissem, rempublicam funditus interituram fuisse.*

novam sententiam allatum iri putes: at omnino eadem loquitur vir gravissimus, quae omnes priores, aeternam cantilenam, per illum unum conservatam esse rempublicam. Atqui iam recantant CETERI quoque. *Sed audistis* EO TEMPORE — Quid? VNIVS *L. Gellii non solum auctoritatem, sed etiam testimonium*, testantis, *si ego consul non fuissem* etc. *Dixit* hoc Gellius, *quia — sensit* vel *paene sensit* etc. Sperabat forsan scriptor, hoc *paene* a benigno lectore ad *attentatam classem* pertrahi posse; qua benignitate et ad alias res hic magnopere opus est. At quam dicit *classem?* Nihil de hac re legimus apud Ciceronem. Coniecit ergo Manutius, classem populi in comitiis a Clodianis corruptam esse, cui forte custos affuerit Gellius. Sed ita causa non erat addendi *magno cum suo periculo.* Quare probabilior est coniectura Ferratii, cuius haec sunt verba ad h. l.: A. V. 688 prima coniuratio a Catilina sociisque inita est, teste Sallustio cap. 14; eodem tempore Pompeius bellum piraticum gerebat apparatu, quem describit Florus III, 6, 8; ubi est *Gellius Tusco mari impositus*: Classem, qua is Gellius iussu Pompeii, cuius legatus erat, Tuscum mare tuebatur, attentaverant coniurati. Id quum ipse sensisset, vidit, quanto cum suo periculo in patriam Catilina insurrexerit; potuitque testimonium dicere: *Si Cicero consul non fuisset* etc. Probavit haec etiam Ernestius; sed idem vidit male cohaerentes sententias et aliquid simile interpolationis. Ergo, *si sustuleris*, inquit, *nemo sentiat.* At nihili est talis ratio, nisi aliunde appareat, aliquid mala manu in bona scripta intrusum esse: immo furtum est ea lex simpliciter posita, non Criticorum. Quid enim? Si totus liber per malam manum consarcinatus est, si pleraque in eo glossematum similia reperiuntur? Neque profecto iacturam sentiremus, si quis totam Orationem ante multa secula penitus sustulisset, ac tineis blattisque pabulum obiecisset. Ne multa: detractis aliquot verbis (numerum non ponit Ernestius) aliquid deesset ad mensuram numerorum, et male omissum esset tempus atque occasio testimonii ab homine dicti. Hanc autem occasionem et ipsam rem ex bono auctore parum opportune h. l. excerptam puto. Nam, quum hic L. Gellius videatur esse idem, qui Ciceronem ob Catilinae coniurationem detectam civica corona donandum censuerat (Gell. N. A. V, 6), illud testimonium ex superiore tempore huc male tractum esse apparet. WOLF.

VIII. En ego tot testimoniis, Quirites, hac aucto- 18
ritate senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus faventibus, diis denique immortalibus, frugum ubertate, copia, vilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, reipublicae restitutus, tantum vobis, quantum facere possum, Quirites, pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum romanum semper fore; numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum, ac deorum immortalium, in omni vita futurum: deinde, quoniam me in civitatem respublica ipsa reduxit, nullo me
loco reipublicae defuturum. Quod si quis existimat, 19
me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis et iniuria et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit; quod viro forti adimi non potest, id manet et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium (quoniam nobis, quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum his, qui haec delere voluissent, sed etiam

Vilitate) Quo tandem modo Cicero tam impudenter coram populo mentiri potuisset, qui ad Atticum IV, 1, ipse narrat eo biduo (post reditum scil. suum) annonae summam caritatem fuisse, et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrisse, quem plebis tumultum fusius narrat Dio Cass. lib. XXXIX, cap. 19. Ergo hoc etiam loco, argumentis a Marklando et Wolfio expositis, quibus hanc orationem Ciceroni abiudicarunt, maximus cumulus accedit.

Quantum facere possum) H. e. *Quantum polliceri possum.* Vide Bengelii notam ad Famil. V, 12. Vere Ernestio displicet verbum *facere*, cui hic nullus est locus. De repetito nomine *Quiritium* conf. §. 84.

Numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum) Acrius exagitat haec Marklandus in Deos contumelia, impiaque adulatio, ut ipsius verbis utar. Sed iustificatur a Gesnero Cicero iisdem exemplis, quibus ille utitur ad impietatem arguendam. Tzp.

cum fortuna belligerandum fuit); eum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. Quem egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, quum careret patria, quam obsidione liberavisset; quum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret; quum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis; quum in paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac vitam suam conservasset; quum parva navicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset: recuperata

Tum se fuisse miserum) Hoc quemadmodum Oratoris instituto congruat, fatetur se nescire Hotomanus, neque acutiorem sese praestitit Gruterus. Ego priori assentio, corrigenti *non fuisse miserum*. Markl. Necesse videbatur eruditis negationem adiicere, quia in extremis legimus, Mario *virtutem animi* nunquam defuisse i. e. fortitudinem, constantiam, firmitatem animi: quae omnia, tanquam vocabula eandem rem significantia inter se permutantur. At vero inserta negatio ex alia parte vitiat et de loco detrudit sententiam. Etenim qui post exantlatas calamitates *confirmato atque renovato animo* esse dicitur, nonne is tum, quum illas calamitates perferret, putandus erit animo *demisso*, *fracto*, *afflicto* esse? quo qui est, nonne eum dicimus *miserum?* Deinde quid aliud hic spectavit Orator, nisi ut semetipsum cum Mario compararet? ipse autem si nunc negaret, in exsilio se *miserum* fuisse, quis ei fidem habiturus esset? Neque adeo hanc sibi fidem poscit Cicero, sive verus, sive personatus. Or. pro Sext. cap. 22: « Neque in hoc me hominem esse infitiabor unquam » etc. pro Domo cap. 36: « Accepi magnum atque incredibilem dolorem, non nego » etc. Quin rumor erat in populo, ex dolore eum prope mentis errore affectum fuisse. Epp. ad Att. III, 13. Postremo *miserum* se h. l. dixisse Marium, ex eo quoque intelligitur, quod a verbis *recuperata sua dignitate* aperte fit progressio ad contrarium. Denique aperta est causa, cur ad finem periodi pervenire nequiverit scriptor sine foedo lapsu. Nam quum sensisset, additis istis, *quam nunquam perdidisset*, ambitum verborum conciniorem fore, maluit potius aliquid absurdum et quod cum prioribus pugnaret apponere, quam lectores nova elegantia defraudare. Ita se res habet; nisi forte dixeris, *virtutem* viri tum, quum *miser* circumerraret, modo occultatam et oppressam fuisse, vel iisdem forsan paludibus demersam, unde ipse posthac nudus limoque obrutus extrahebatur. Wolf.

Regna ipse dederat) Bello Iugurthino. Fern.

vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quae amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam nunquam perdidisset. Sed hoc inter me atque illum interest, quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis; ego, qua consuevi, utar: quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio.
Quamquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ul- 21
ciscendis agebat, ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi respublica permittet, cogitabo.

IX. Denique, Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt; unum eorum, qui odio reipublicae, quod eam ipsis invitis conservaram, mihi inimicissimi fuerunt; alterum, qui per simulationem amicitiae nefarie prodiderunt; tertium, qui, quum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meae; quartum, qui, quum custodes reipublicae esse deberent, salutem meam, statum civitatis, dignitatem eius imperii, quod erat penes ipsos, vendiderunt: sic ulciscar genera singula, quemadmodum a quibusque sum provocatus: malos cives, rempublicam bene gerendo; perfidos

Vtar) *Pietate* additur in edd. vett. et codd. aliquot MSS. Id quum in aliis desit, Lambinus et Graev. pro glossemate deleverunt. Lambinus vel *lenitate* scribendum, vel *arte dicendi* intelligendum putabat. Wolfius miratur neminem dixisse voc. *arte* absorptum similitudine verbi praecedentis *utar*.

Quatuor omnino genera hominum) Pro Sext. §. 46, sex genera distinguuntur. Variandi causa quadripartitam orationem, eamque paulo negligentius, facere placuit Rhetori nostro. Sed ornatum addidit: v. c. ubi Cicero dixerat simpliciter *inviderent*, adiecit *laudi et dignitati meae*. Ante *nefarie* dicerem deesse *me*, nisi aliquoties talia pronomina abessent vitio scriptoris. Deinde incertum est, utrum *genera singula* legi oporteat, an *facinora singula*. In extremis, *revocando* — *repetendo*, graviter minatur facturum se esse, quod septem vel octo post mensibus fecit dicenda in senatu sententia *de provinciis consularibus*, quae exstat hodieque. Scilicet tam diu ante meditatum erat illud et cum urbana plebe communicatum. Wolf.

amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo; invidos, virtuti et gloriae serviendo; mercatores provinciarum, revocando domum, atque ab iis provincia-
22 rum rationem repetendo. Quamquam mihi maiori curae est, quemadmodum vobis, qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam quemadmodum inimicorum iniurias crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae iniuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos, minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam ne tam necessarium quidem est, male meritis, quam optime meritis, referre quod debeas.
23 Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus reipublicae communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari. Bene

Superiorem esse — negotii) In hoc membro dupliciter suspecta est Latinitas; et in illo, *bonis exaequari*, imperite expressa sententia. Facilius excusari possunt sequentia, ubi Graevius aliquid scholasticum notabat in *male meritis et optime meritis*, alienumque a maiestate Tulliana. Multum enim hic variant MSS. Quamobrem Garatonius eiici voluit posterius *meritis*, ut ex glossemate illatum, eoque scripturam plane Tullianam fieri ait. Id.

Odium vel precibus mitigari — memoriam beneficii definire) Rursus aerumnose se exercet artifex in studio antithetorum. Sed incommode accidit, quod *odia* apud Ciceronem nunquam *deponuntur* cum tertio aut sexto casu, nec *tenetur* vel *retinetur* apud illum aliquid *difficultate*. Etiam ineptius est *nec id reipubl. repetere*, quam constantem lectionem librorum alii aliter accipere vel emendare conati sunt, sine ulla probabilitate utrumque. Manutius quidem coniecit *petere*, Graevius *dare*, Ernestius *remittere*, Hotomanus *nec id reip. temporibus unquam necesse est*; nostro Cellario *repetere* videbatur esse *instanter petere* etc. Quot homines, tot sententiae. Quid tamen vulgata ista sibi velit, ex contrariis divinare licet: scilicet, nullam reipubl. necessitatem ullo pacto obstare posse, quin bene de nobis meritos colamus. At emendare talia, quid est aliud, quam male formata incudi reponere? Docet accuratior cogitatio, paria paribus hic respondere noluisse, re ipsa quodammodo repugnante: ita Declamatori iam in prima apodosi haerebat aqua; quum *precibus* aliquid reddendum esset. Adeo in hoc genere scribendi negotium levius est, protases per aliquot membra deducere, quam membro cuique apodosin suam accommodare. Idem.

meritos quin colas, nec exorari fas est, nec id reipublicae repetere utcumque necesse est, neque est excusatio difficultatis, neque aequum est, tempore et die memoriam beneficii definire. Postremo qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur: at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis, remunerandis est tardior: neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius appelletur necesse est. Atque in officio persolvendo dissimilis est ratio et pecuniae debitae, propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit; qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet, et qui habet, dissolvit.

X. Quapropter memoriam vestri beneficii colam be- 24
nivolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam quum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, mihi neque in consiliis de republica capiendis, diligentiam; neque in periculis a república propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda, fidem; neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore, industriam; nec in vestris commodis augendis, gratam animi benivolentiam defuturam. Atque haec cura, Quirites, 25

Atque in officio — dissolvit) Haec quia in MSS. nonnullis absunt, interpolata esse Graevius suspicabatur et hic quidem ex libro II de Offic. c. 10, Wolfius ex Orat. pro Plancio c. 28, huc translata putat sive ab auctore ipso, sive ab interpolatore, ut malae manui peior supervenerit.

Sed etiam quum mortuo) Heumannus corrigebat *me mortuo*. Supra quoque cap. 9, *qui nefarie prodiderunt*, scil. *me*. Typ.

In sententia simpliciter referenda) Saepe a tribunis producebatur ad populum senator aliquis, ut is palam referret, quod actum fuerat in senatu. Ferr. *Simpliciter*, est nulla habita ratione hominis aut potentis, aut invidi, sed ut ius, utilitas et tempus reip. postulabit. Graev. — *Ferenda* legendum esse arbitrantur Ern. Garaton.

erit infixa animo meo sempiterna, ut, quum vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis, tum posteris vestris, cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar, quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis iudicavit.

ORATIO
PRO DOMO SVA
AD PONTIFICES

DE ORATIONE

PRO DOMO SVA

AD PONTIFICES

(Schvtzii Prolegomenon Cap. III.)

Postquam Cicero, Pisone et Gabinio coss. lege a Clodio lata, ut qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur, reus factus, urbe cesserat, statim Clodius ad populum tulit, ut Ciceroni aqua et igni interdictum esset, et ne intra quingenta millia passuum ab Italia tecto reciperetur, ac ne quis de eo revocando mentionem neque in senatu neque ad populum faceret, (qua in lege tamen Cicero ad Att. III 4 illud correctum fuisse scribit, ut sibi ultra quadringenta millia liceret esse). Deinde Ciceronis domum in Palatio incendit, areamque Libertati consecravit, eiusque simulacrum in ea constituit; villas quoque aliquot expilavit et inflammavit. Quo de scelere Cic. de legg. II, c. 17: *omnia*, inquit, tum *perditorum civium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt, vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae.* Cicero autem ab exsilio revocatus statim id egit, ut sibi domus restitueretur, et illa e Clodii consecratione orta religio auctoritate senatus et pontificum decreto tolleretur. Sequuta igitur est de domo Ciceroni restituenda summa contentio. De qua Cicero sic narrat epist. 2, lib. IV, ad Atticum: *Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Et si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquam*

alias fuimus, tum profecto dolor et (rei) magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. Itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest, quam tibi, etiam si non desideras, tamen mittam cito. Quum pontifices decressent ita: SI NEQVE POPVLI IVSSV, NEQVE PLEBIS SCITV, IS QVI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTVS ESSET, NEQVE POPVLI IVSSV AVT PLEBIS SCITV ID FACERE IVSSVS ESSET, VIDERI POSSE SINE RELIGIONE EAM PARTEM AREAE MI RESTITVI; *mihi facta est statim gratulatio. Nemo enim dubitabat quin domus nobis esset adiudicata. Tum subito ille* (Clodius) *in concionem ascendit, quam Appius ei dedit. Nuntiat iam populo, pontifices secundum se decrevisse, me autem vi conari in possessionem venire. Hortatur ut se et Appium sequantur, et suam libertatem ut defendant. Hoc quum etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam, ego statueram illuc non accedere, nisi quum consules ex senatusconsulto porticum Catuli* (quam de Cimbricis manubiis Q. Lutatius Catulus fecerat una cum Ciceronis domo a P. Clodio eversam) *restituendam locassent. Kal. Octobr. habetur senatus frequens. Adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores, a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quaesivit, quid essent in decernendo sequuti. Tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis iudices pontifices fuisse, legis* (Clodiae) *senatum; se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos. Quisque horum, loco sententiam rogatus, multa secundum causam nostram disputavit. Quum ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere, neque ei finis est factus; sed tamen quum horas tris fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare. Quum fieret senatusconsultum in sententiam Marcellini, omnibus praeter unum assentientibus Serranus* (trib. pl.) *intercessit. De intercessione statim ambo consules referre coeperunt. Quum sententiae gravissimae dicerentur, senatui placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi; si quae vis esset facta, senatum existimaturum, eius opera factum esse, qui senatusconsulto intercessisset: Serranus*

pertimuit; et (Cn. Oppius) *Cornicinus* (Serrani socer) *ad suam veterem fabulam rediit, abiecta toga, se ad generi pedes abiecit. Ille noctem sibi postulavit; non concedebant. Reminiscebantur enim Kalendas Ianuarias. Vix tamen de mea voluntate concessum est. Postridie senatusconsultum factum est id, quod ad te misi. Deinde consules porticum Catuli restituendam locarunt; illam porticum* (atrium Libertatis a Clodio aedificatum) *redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus. Nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt* HS *vicies; cetera valde illiberaliter; Tusculanam villam, quingentis millibus, Formianum* HS *ducentis quinquaginta millibus, quae aestimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur.* Certum igitur hoc est, Ciceronem de domo sibi restituenda apud pontifices dixisse. Eiusque orationis Quintilianus quoque mentionem facit X, 1, 23; ubi dicit utile esse plurium oratorum de eadem causa orationes inter se comparare. *Quin etiam*, inquit, *easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam pro domo Ciceronis* (scil. praeter Ciceronem ipsum) *dixit Calidius:* nimirum M. Calidius Lentulo Spinthere cos. praetor designatus. Vtrum vero haec ipsa, quae nunc Ciceronis nomine fertur, eadem sit, quam ipse habuerit apud pontifices, et in qua sibi, ut loco supra allato ad Atticum scripsit, ipse mirifice placuit, magna quaestio est. Ac veterum quidem scriptorum nemo fere repertus est, qui eam Ciceroni tribueret, praeter Aquilam Romanum et Iulium Rufinianum. Ille quidem ubi de figura praeteritionis agit c. VIII (p. 149 ed. Ruhnk.) haec habet: *Item de domo sua contra Clodium:* Videsne non radicitus evellere totum tribunatum et cetera, *inquit. Quae praetermittere se ait, nihilo minus dicit.* Respicit Aquila locum orat. pro domo c. 13 ubi tamen sic legitur: *Videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas?* Alium locum affert idem c. XVIII (p. 160): *Quis est iste Lollius* (debebat scribere *Sergius*) *armiger Catilinae, stipator tui corporis, concitator tabernariorum, percussor, latrator* (debebat esse *lapidator*) *fori, depopulator curiae.* Iulius Rufinianus autem c. IX (p. 203) hoc loco utitur: *de domo sua apud pontifices:*

Tibi literas ille misit? quas? aut nunquam misit, aut si misit, in concione recitari noluit. Itaque sive ille misit, sive tu protulisti, certe consilium tuum de honore Catuli nudatum est. Quae tamen in ipsa, quae sub Ciceronis nomine exstat, c. 9, paulo aliter leguntur sic: *quas aut nunquam tibi ille literas misit, aut si misit, in concione recitari noluit; aut sive ille misit, sive tu finxisti, certe consilium tuum de Catonis honore illarum literarum recitatione patefactum est.* Praeter istos citatur e cap. 52 locus: *Quem ego tamen credo* a Servio ad Virgilium VIII, 269, item e c. 17 verba: *Vobismetipsis Pontifices* etc. a Prisciano XII, p. 947. Hos igitur credibile est istam quam nunc habemus orationem de Domo ante oculos habuisse, etsi quaedam memoriter potius allegasse quam e libro descripsisse videntur.

Ipsa autem oratio, quae nunc inscribitur, *pro domo ad pontifices*, verius fortasse inscriberetur *de domo apud pontifices*, ipsa dispositione et ordine partium facile prodit scriptoris ingenium a Ciceronis via et ratione in adornandis orationis partibus mirum quantum abhorrens. Nam quod Quintilianus in praefatione lib. VII de institutione oratoria dicit, orationem carentem hac virtute dispositionis tumultuari, et sine rectore fluitare nec cohaerere sibi, multa repetere, multa transire, velut nocte in ignotis locis errantem, nec initio nec fine proposito, casum potiusquam consilium sequi, id profecto ad hanc declamationem sic accommodari potest, ut nihil aptius de ea dici posse videatur. Quum enim Ciceroni id propositum esset, ut domus suae a Clodio eversae et Libertati dedicatae aream religione liberaret; declamator statim post exordium, quo pontificum sacerdotium eiusque dignitatem paucis verbis laudaverat, in Clodium invehitur, aitque, quoniam ille demens, si ea quae ipse per hos dies in senatu de republica senserit vituperasset, aliquem se aditum ad pontificum aures esse habiturum putaret, se *ordinem dicendi suum* omissurum, hominisque furiosi non orationi sed convicio responsurum. Iam e Ciceronis narratione ad Att. IV, 1, intelligitur se pridie Kal. Octobres apud pontifices de domo dixisse; postea demum Clodium concionem habuisse, in qua

populo nuntiarit pontifices secundum se decrevisse; Kal. Octobr. autem postquam multi senatores secundum Ciceronis causam statuissent, Clodium diem consumere cupientem tres fere horas dixisse, donec odio et strepitu coactus sit aliquando perorare. Itaque orationis, quae sub Ciceronis nomine exstat, initium non solum ab eius in disponendo consuetudine, sed etiam ab ipso rerum gestarum ordine discrepat. Quum enim statim c. 2 ad Clodium perstringendum accedat, rem ipsam de qua agebatur, omittit. Quod vero ibi Clodio obiicitur: *Fuisti tu, inquit, apud pontifices superior, sed iam quoniam te ad populum contulisti, sis inferior necesse est;* id prorsus cum illa Ciceronis narratione conciliari non potest. Si Clodius in concione dixerat *pontifices secundum se decrevisse*, quomodo nunc dicere posset, Ciceronem apud pontifices superiorem fuisse? Et cap. 3 Clodii furores, quibus Ciceronem urbe cedere coëgerat, ineptissime conglutinantur cum turbis illis post Ciceronis reditum ex annonae caritate et frumenti inopia excitatis. Tum sequitur usque ad cap. 12 longa et putida defensio sententiae, quam Cicero in senatu dixerat, ut Pompeio cura et potestas rei frumentariae per quinquennium daretur. Tandem, c. 13, declamator intelligit se plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerit aut voluntas sua; aitque causam de domo in ius religionis, et in ius reipublicae distributam esse, se tamen de iure religionis nihil dicturum, quod id scilicet aut arrogans, aut stultum, aut curiosum sit; itaque statim pergit ad causam ex iure publico defendendam. In quo primum demonstrat, Clodium non fuisse tribunum; propterea quod quum per adoptionem ad plebem transierit, adoptio ista non sit iure pontificio facta, c. 13, 14; praeterea quum nefas sit agi cum populo quum de caelo servatum sit, ostendit eo die quo lex curiata de eius adoptione lata dicatur, augures de caelo servasse, c. 15: legem vero Caeciliam et Didiam de promulgatione legis per trinundinum neglectam esse, c. 16. Sed si vel maxime Clodius iure ac lege tribunus fuisset, quaerit, quo iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis tulerit; vetare enim leges sacratas et XII tabulas leges privis nominibus irrogari, hoc est privilegia

prohibere; denique totam iudicii formam a iure et more iudiciorum populi abhorruisse demonstrat; c. 17, 18. Sequitur ipsius formolae, qua Clodius in lege contra Ciceronem usus fuerat, reprehensio, pro gravitate rei, de qua agebatur, minuta et potida. Quum enim scriptum esset in lege *velitis iubeatis ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit*, auctor orationis eum, vel potius Sex. Clodium, quo istum in cooscribenda lege usum esse fingit, vituperat quod non potius scripserit *interdicatur*. Iam, c. 20, reprehenditur, scriptum esse in Clodii lege: *quod M. Tullius falsum senatusconsultum* (de coniuratis scilicet Catilinae ad suppliciom ducendis) *retulerit*. Deinde illam legem etiam propterea vitiosam esse ostenditur, quia in ea, quod per legem Caeciliam et Didiam fieri non licuerit, de pluribus coniunctis rebus uno sortitu sit latum. Postremo totam istam Clodii rogationem per vim latam esse demonstratur c. 21-27. Sequitor longa et putida reprehensio maledicti, quo Clodius Ciceronem exsulem appellaverat, c. 28-34; cui subiungitur excusatio iudicii de se ipso, quod Clodius eum iusto gloriosius de se praedicare solere dixerat, c. 35: denique defensio adversus eos, qui ei discessum e patria, antequam condemnatus esset, obiecerant; c. 36, 37. Iam tandem ad ipsam causam de qua agebatur, accedit, postulatque a Pontificibus ut sibi domus restituatur, eiusque area falsa dedicationis a Clodio factae religione solvatur; illam enim consecrationem prorsus illegitimam fuisse, quae tum aliis argumentis, tum potissimum eo demonstratur, quod sit adversus legem Papiriam facta, qua cautum esset ne quis iniussu plebis aedes, terram, aram consecraret; c. 38-56. Concluditur oratio invocatione Iovis, aliorumque deorum, in qua tamen turpissimum est ἀνακόλουθον, et oltima pontificum commonitione, qua se domo carere sine maxima ignominia reipublicae suo dedecore ac dolore non posse demonstrat, eosque ut eam sibi restituant obtestatur.

ORATIO

PRO DOMO SVA

AD PONTIFICES

I.

Quum multa divinitus, Pontifices, a maioribus nostris inventa atque instituta sunt; tum nihil praeclarius, quam quod eosdem et religionibus deorum immortalium, et summae reipublicae praeesse voluerunt; ut amplissimi et clarissimi cives rempublicam bene gerendo, pontifices [1] religiones sapienter interpretando, rempublicam conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in sacerdotum populi romani iudicio ac potestate versata est: haec profecto tanta

Quum multa divinitus — instituta sunt) Praeclare instituerunt maiores nostri, ut Pontifices nunquam non simul sint Senatores, ita ut iidem, duplicem personam sustinentes, partim sententiis in Senatu dicendis, partim religionibus interpretandis, reipubl. utilitati consulant. In his verbis primum *summae reipubl. praeesse* de senatoris dignitate dictum est, in quo quid argutari liceat, non reperimus, praesertim contra posito munere Pontificum: quod munus etsi ipsum quoque ad rempubl. pertinebat, tamen *summae reipubl.* administratio haud dubie dici poterit esse penes Senatum, omnis publici consilii principem. Dein *amplissimi et clarissimi cives* vocantur Senatores; iique dicuntur *rempubl. gerendo*, sicut Pontifices *religiones interpretando*, *conservare rempublicam*. Hic satisne eleganter an affectatione quadam elegantiae iteretur *rempublicam*, non quaerimus, verum id ferri, certe non nimis obscurum videri, debebat. W.

Pontifices) Minores, absente Pontifice Max. C. Caesare, qui tum in Gallia bellum gerebat. Max.

(1) Vocabula *Pontifices* et *rempublicam* uncis inclusit Ern. ut interpolata. Wolfius tamen ab auctore scripta esse contendit.

est, ut omnis reipublicae dignitas, omnium civium
salus, vita, libertas, arae, foci, dii penates, bona,
fortunae, domicilia, vestrae sapientiae, fidei, pote-
2 statique commissa creditaque esse videantur. Vobis
hodierno die constituendum est, utrum posthac amen-
tes ac perditos magistratus improborum ac scelera-
torum civium praesidio nudare, an etiam deorum
immortalium religione armare malitis. Nam si illa
labes ac flamma reipublicae suum illum pestiferum
et funestum tribunatum, quem aequitate humana
tueri non potest, divina religione defenderit: aliae
caerimoniae nobis erunt, alii antistites deorum im-
mortalium, alii interpretes religionum requirendi.
Sin autem vestra auctoritate sapientiaque, Pontifices,
ea, quae furore improborum in republica, ab aliis
oppressa, ab aliis deserta, ab aliis prodita, gesta sunt,
rescinduntur: erit causa, cur consilium maiorum in
amplissimis viris ad sacerdotia deligendis, iure ac me-
3 rito laudare possimus. Sed quoniam ille demens, si ea,
quae ego per hos dies in senatu de republica sensi,
vituperasset, aliquem se aditum ad aures vestras
esse habiturum putavit: omittam ordinem dicendi
meum; respondebo hominis furiosi non orationi,
qua ille uti non potest, sed convicio, cuius exerci-
tationem quum intolerabili petulantia, tum etiam
diuturna impunitate munivit.

Aliae caerimoniae — requirendi) Commotus vir, ut fieri solet, multo plus malorum impendere sentit, quam nos, a Clodio nihil metuentes. Nimia tamen videri haec possunt, atque non oratoria, sed declamatoria: ex quo genere etiam illa sunt paulo ante, *omnium civium salus, vita*, quae res profecto in hac causa in discrimen cadere non poterant; ne quid addam de reliquis tot tam cumulatis vocibus. Neque vidi apud veteres, ubi ita dicatur *flamma reipubl.* aut *procella patriae* aut *turbo et tempestas pacis* §. 137, et similia maledicta, quae partim usu Latinitatis, partim ratione carent. Wolf.

De republica sensi) De Pompeio rei frumentariae per quinquennium praeficiendo.

II. Ac primum illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quae te tanta poena tuorum scelerum flagitiorumque vexet, ut hos tales viros, qui non solum consiliis suis, sed etiam specie ipsa dignitatem reipublicae sustinent, quod ego in sententia dicenda salutem civium cum honore Cn. Pompeii coniunxerim, mihi esse iratos, et aliud de summa hoc tempore religione sensuros, ac me absente senserint, arbitrere. « Fuisti tu, inquit, apud pontifices superior: sed iam, quoniam te ad populum contulisti, sis inferior, necesse est. » Itane vero? quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas et inconstantia, et crebra, tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum et de-

Quae te tanta poena tuorum scelerum) H. e. quae te vexet dementia, θεοβλάβεια. Conf. de H. R. c. 18, et similes locos ap. Rubukenium ad Velleium II, 57 extr. W.

Etiam specie ipsa) Maiestatem quandam oris et corporis interpretatur Manutius: etiam insignia honoris splendoremque vitae ac dignitatis addit Graevius. Tu praeferas, utrum malis; parum hisce fulcris fidendum erit ad rempubl. sustinendam. Riderent, puto, pueri puellaeque, si quis de Pontifice novae Romae purpuratisque eius comitibus dixisset, eos decore corporis vel insignibus sustinere ecclesiae dignitatem. Aliquanto melius exprimitur illa sententis §. 133: « Viri, qui sua dignitate persunam populi Rom. atque auctoritatem imperii sustinerent. » W.

Aliud de summa — senserint) Quomodo aptum his rebus dicatur *summa religio*, non assequor, quocumque illud sensu sumatur. *Hoc tempore* abest a Franc. Barb. T. et aliis, neque admodum placet haec verborum collocatio. Seqq. verba *me absente* referunt Intpp. ad tempus ante reditum Ciceronis, quo etiam locum trahunt de H. R. c. 6 extr. Nihil de ea re apud Ciceronem ipsum legitur. WOLF.

Me absente) Quum factum est S. C. ut pecunia publica restituerentur Ciceroni domus et villae, quas Clodius diruerat: ut colligitur ex epist. 1, lib. IV ad Attic. FERR.

Me absente) Fortasse quod, ut Garatonius putabat, M. Calidius iam absente Cicerone domum eius defenderat Quintil. Inst. or. X, 1.

Te ad populum contulisti) Quod populo scil. flagitante frumentariam curationem Pompeio mandasti; quum pontifices, qui erant iidem senatores ab extraordinariis imperiis abhorreant. Sic recte intp. Eru. et Wolf. — Lambinus scribendum esse putabat, *te ad Pompeium contulisti*.

finitum ius religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum monumentorumque deterret? « Tune es ille, inquit, quo senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem respublica desideravit? quo restituto, senatus auctoritatem restitutam putabamus? quam primum adveniens prodidisti? » Nondum de mea sentencia dico. Impudentiae primum respondebo tuae.

5 III. Hunc igitur, funesta reipublicae pestis, hunc tu civem ferro et armis, et exercitus terrore, et consulum scelere, et audacissimorum hominum minis, servorum delectu, obsessione templorum, occupatione fori, oppressione curiae, domo et patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere curasti, quem a senatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia desideratum, arcessitum, revocatum, conservandae
6 reipublicae causa, confiteris? « At enim in senatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die non debuisti. » Ego vero neque veni, et domo me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit: quum servos tuos ad rapinas, ad bonorum caedem paratos, cum illa tua consceleratorum ac perditorum manu, armatos, etiam in Capitolium tecum venisse constabat.

Exercitus terrore) Recte Hotom. Manut. alii intelligunt Caesaris Galliae procos. exercitum, quem ille tunc ad urbem movebat, quum legem de Cicerone Clodius ferret.

Templorum) *Aedes Castoris* significatur.

Hunc — domo — cedere curasti) Hotomanus non meminerat, se similem loquutionem apud Ciceronem reperire. Ego gauderem, si quis tale exemplum ex ullo auctore prosae orationis eruere posset. Vsitatum erat, *curasti ut hic cederet*. Atque etsi Cicero pro Roscio Amer. c. 36, recte scribit, *eum hominem occidendum* (esse) *curavit*, non tamen ad eundem modum progredi licebit, *hunc cedendum esse curasti*. MARKL. Vt lenissime dicamus, hyposoloeca est ista constructio, ignavum vero ipsum verbum *curandi* pro *cogendo*, praesertim in huiusmodi dictione: *curavit Clodius ferro, armis* etc. Quare nemo succensebit Lambino, contra fidem librorum emendanti *coegisti*. WOLF.

Turbulento illo die) Commota plebe propter annonae caritatem.

Quod quum mihi nuntiaretur, scio me domi mansisse,
et tibi et gladiatoribus tuis instaurandae caedis po-
testatem non fecisse. Posteaquam mihi nuntiatum est,
populum romanum in Capitolium, propter metum
atque inopiam rei frumentariae, convenisse; mini-
stros autem scelerum tuorum perterritos, partim
amissis gladiis, partim ereptis, diffugisse: veni non
solum sine ullis copiis ac manu, verum etiam cum
paucis amicis. An ego, quum P. Lentulus consul, 7
optime de me ac de republica meritus, quum Q.
Metellus, qui, quum meus inimicus esset, frater
tuus, et dissensioni nostrae et precibus tuis salutem
ac dignitatem meam praetulisset, me arcesserent in
senatum; quum tanta multitudo civium, tam recenti
officio suo, me ad referendam gratiam nominatim
vocarent, non venirem; quum praesertim te iam
illinc cum tua fugitivorum manu discessisse constaret?
Hic tu me etiam custodem defensoremque Capitolii,
templorumque omnium, hostem Capitolinum appel-
lare ausus es, quod, quum in Capitolio senatum duo
consules haberent, eo venirem? Vtrumne est tempus
aliquod, quo in senatum venisse turpe sit? an res
illa talis erat, de qua agebatur, ut rem ipsam repu-
diare, et eos, qui agebant, condemnare deberem? 8

IV. Primum dico senatoris esse boni, semper in senatum venire: nec cum his sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire;

Scio) Inepte h. l. *scio* positum monuit Wolf. nisi forte scripserit declamator *scito*.

Verum etiam cum paucis amicis) Scilicet hac quoque iunctura uti solet Cicero, ut periodi membra connectat per particulas *non solum*, *verum etiam*. Sed hic eae prorsus ridiculae sunt, et exspectes potius, *sine telo*, *sine pugione*, quam *cum paucis amicis*. Conf. similia in Sen. §. 32. Wolf.

Officio suo) Ernestius sine libris edidit *beneficio suo*.

Ipsi non venire — fuisse) Haec omnia offendere debent eum, qui in Cicerone suo nihil otiosi aut putidi perferre didicit. Omnino totus locus languet ac friget mirum in modum. W.

non intelligentes, hanc suam nimiam perseverantiam vehementer iis, quorum animum offendere voluerunt, gratam et iucundam fuisse. At enim nonnulli, propter timorem, quod se in senatu tuto non esse arbitrabantur, discesserunt. Non reprehendo: nec quaero, fueritne aliquid pertimescendum. Puto, suo quemque arbitratu timere oportere. Cur ego non timuerim, quaeris? Quia te illinc abiisse constabat. Cur, quum viri boni nonnulli putarint, tuto se in senatu esse non posse, ego non idem senserim? Cur, quum ego me existimassem tuto omnino in civitate esse non posse, illi non item? An aliis licet (et recte licet) in meo metu sibi nihil timere: mihi uni necesse erit, et meam et aliorum vicem pertimescere?

9 An, quia non condemnavi sententia mea duo con-
sules, sum reprehendendus? Eos igitur ego potissi-
mum damnare debui, quorum lege perfectum est, ne
ego indemnatus, atque optime de republica meritus,
damnatorum poenam sustinerem? Quorum etiam de-
licta, propter eorum egregiam in me conservando
voluntatem, non módo me, sed omnes bonos ferre
oporteret, eorum optimum consilium ego potissimum,
per eos in meam pristinam dignitatem restitutus, con-
10 silio repudiarem meo? At quam sententiam dixi?
Primum eam, quam populi sermo in animis nostris
iam ante defixerat; deinde eam, quae erat superio-
ribus diebus agitata in senatu; deinde eam, quam

Illi non item?) Sic e cod. Bargaei Manutius (et Lallemandus) edidit probantibus aliis. Vulgo sine sensu: *illuc irem.* — Sensu quidem, sed falso; *illuc*, in Capitolium. *T.*

In animis nostris) *Vestris*, in omnibus Oxonn. et aliis libris, multo rectius est et aptius. At futiles nugas esse puto, quod *Senatus* nunc dicitur *frequens*, et distinguitur tamen in seqq. *quum omnes adessent*, id est fortasse, *frequentissimus*, ut in Sen. §. 25. In quo etiam mirabilius est, eos dici affuisse et de rescindendis actis referre ausos esse, qui antea *propter timorem discessissent*, §. 8. Quem enim alium nisi istos *nonnullos* eam rem commovisse credamus? W.

senatus frequens, tum, quum mihi est assensus, sequutus est: ut neque allata sit a me res inopinata ac recens, nec, si quod in sententia vitium est, magis sit eius, qui dixerit, quam omnium, qui probarint. At enim liberum senatus iudicium propter metum non fuit. Si timuisse eos facis, qui discesserunt: concede, non timuisse eos, qui remanserunt. Sin autem sine iis, qui tum afuerunt, nihil decerni libere potuit: quum omnes adessent, coeptum est referri de inducendo senatusconsulto. Ab universo senatu reclamatum est.

V. Sed quaero, in ipsa sententia, quoniam princeps ego sum eius atque auctor, quid reprehendatur. Vtrum causa capiendi novi consili non fuit? an meae partes in ea causa non praecipuae fuerunt? an alio potius confugiendum fuit? Quae res, quae causa maior esse, quam fames, potuit, quam seditio, quam consilia tua tuorumque; qui, facultate oblata, ad imperitorum animos incitandos, renovaturum te tua illa funesta latrocinia ob annonae causam putarunt? Frumentum 11
provinciae frumentariae partim non habebant; partim in alias terras, credo, propter varietatem venditorum miserant; partim, quo gratius esset tum, quum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Res erat non in opinione dubia, sed in praesentia, atque ante oculos

Libere) Ernestio videbatur sententia requirere, *iure*, *legitime*.

Alio potius) Non ad Pompeium. M.

Propter varietatem venditorum) Quid hoc sit, nemo dixerit. Graevius suspicabatur legendum *propter avaritiam venditorum*. — Familiari cuidam meo videbatur *varietatem* positum esse pro *inconstantia*, cui verbo et supra §. 4 iungebatur, ut significaretur mutata consuetudo et voluntas eorum, qui frumentum suum antea potius Romam quam in alia loca vehendum curaverant: sicut Virgilio est *varium et mutabile semper femina*. Non raro fit in hac oratione, ut sensum obscurum reddat imperite arrepta aut minus usitata verbi significatio. Wolf.

In praesentia) Sic codd. longe plu-

proposito periculo: neque id coniectura prospiciebamus, sed iam experti videbamus. Nam, quum ingravesceret annona, ut iam plane inopia ac fames, non caritas timeretur; concursus est ad templum Concordiae factus, senatum illuc vocante Metello consule. Qui si verus fuit, ex dolore hominum et fame; certe consules causam suscipere, certe senatus aliquid consilii capere potuit. Sin causa fuit annona, seditionis quidem instimulator et concitator tu fuisti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, ut materiem subtraheremus furori tuo? Quid, si utrumque fuit, et ut fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere, tanquam unguis, exsisteres? nonne fuit eo maior adhibenda medicina, quae et illud nativum et hoc delatum malum sanare posset? Erat igitur et praesens caritas, et futura fames. Non est satis, facta lapidatio est. Si ex dolore plebei, nullo incitante; magnum malum: si P. Clodii impulsu; usitatum hominis facinorosi scelus: si utrumque, ut et res esset ea, quae sua sponte multitudinis animos incitaret, et parati atque armati seditionis duces; videturne ipsa respublica et consulis auxilium implorasse, et senatus fidem? Atqui utrum-

12

rimi, ut *praesenti* mendosum videatur. Auctor, ut coniicio, *praesentiam* opponere voluit *dubiae opinioni*, non autem dicere *in praesenti periculo*. Wolf.

Ad templum Concordiae) Antea concursus factus est in Capitolium, ibique habitus Senatus; id quod repetitur §. 15. An sibi licere credidit hic Cicero, quocumque loco vellet, concitare motus et habere Senatum? Mox *verus concursus* est talis, qui oritur nullo capite, *nemine incitante*, ut dicitur §. 12, vel, qui causam habet in ea re ipsa, quam afferunt vulgi turbatores. Ernestio haec forma loquendi merito videtur durior esse: nihili enim esset *concursus falsus* aut *fictus*. Paulo maiori specie ab eodem defenditur verbum *potuit*, ubi aptius fuisset *debuit*. Wolf.

Seditionis quidem) Melius esset *autem*, indice Wolfio. *T.*

Et hoc delatum malum) Ἐπίσπαστον κακὸν dicitur in Odyssea, quod h. l. *delatum*, nulla, quod sciam, veterum auctoritate. Neque omnino certa est scriptura: aliquot MSS. habent *delectum*, ut quatuor Oxonn. Sed id vitiosum visum est eruditis. Wolf.

que fuisse perspicuum est, difficultatem annonae, summamque inopiam rei frumentariae, ut homines non iam diuturnam caritatem, sed ut famem plane timerent: nemo negat. Hanc istum otii et pacis hostem causam arrepturum fuisse ad incendia, caedes, rapinas, nolo, Pontifices, suspicemini, nisi videritis.
Qui sunt homines a Q. Metello, fratre tuo, consule, 13
in senatu palam nominati, a quibus ille se lapidibus appetitum, etiam percussum esse dixit? L. Sergium et M. Lollium nominavit. Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est: qui, te tribuno plebis, nihil de me dicam, sed qui Cn. Pompeium interficiendum depoposcit. Quis est Sergius? armiger Catilinae, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiae. His atque huiusmodi ducibus, quum tu in annonae caritate in consules, in senatum, in bona fortunasque locupletium, per causam inopum atque imperitorum, repentinos impetus comparares; quum tibi salus esse in otio nulla posset; quum, desperatis ducibus, decuriatos ac descriptos haberes exercitus perditorum: nonne providendum senatui fuit, ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhaeresceret?

VI. Fuit igitur causa capiendi novi consilii. Videte 14
nunc, fuerintne partes meae paene praecipuae. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceterae pestes in lapidatione illa nominabant? quem annonam

Pompeium interficiendum depoposcit) Nihil de his Lollii insidiis Ciceronem, aut Asconium ad orat. pro Milone narrasse, Wolfius monuit,

Imperitorum) In edd. vett. nonnullis, et codd. MSS. aliquot *peregrinorum.*

Decuriatos) Decuriare et centuriare passim usurpatur pro conscribere. Hot.

Adhaeresceret?) Graevio placebat *ne in hac tanta memoria — face adolesceret.*

praestare oportere dicebant? nonne me? quid? pue-
rorum illa concursatio nocturna tum a te ipso insti-
tuta? Me frumentum flagitabant. Quasi vero ego aut
rei frumentariae praefuissem, aut compressum aliquod
frumentum tenerem, aut in isto genere omnino quid-
quam aut curatione aut potestate valuissem. Sed
homo ad caedem imminens, meum nomen operis edi-
derat, imperitis iniecerat. Quum de mea dignitate,
in templo Iovis Optimi Maximi senatus frequentissimus,
uno isto dissentiente, decrevisset: subito, illo ipso
die, carissimam annonam nec opinata vilitas conse-
45 quuta est. Erant, qui deos immortales (id quod ego
sentio) numine suo reditum meum dicerent compro-
basse. Nonnulli autem illam rem ad illam rationem
coniecturamque revocabant, qui quod in meo reditu
spes otii et concordiae sita videbatur, in discessu
autem quotidianus seditionis timor, iam paene belli
depulso metu, commutatam esse annonam dicebant:
quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me,
cuius adventu fore vilitatem boni viri dictitabant,
annona flagitabatur.

VII. Ego denique non solum ab operis tuis, im-
pulsu tuo, nominabar, sed etiam, depulsis ac dissi-
patis tuis copiis, a populo romano universo, qui tum
in Capitolium convenerat, quum illo die minus vale-
46 rem, nominatim in senatum vocabar. Veni exspecta-
tus. Multis sententiis iam dictis, rogatus sum senten-

Concursatio nocturna tum a te ipsa instituta?) Sic Ern. ex ingenio, quem sequuti sunt Wolf. et Beck. Vulga *nocturna? num —*

Ad illam) Ernestius malebat: *nonnulli autem rem ad illam.* Gesnerus: *nonnulli autem illam rem ad aliam —*

Dictitabant) Ern. sine libris correxit *dictitarant.*

Quum illa die minus valerem) Non admodum grave fuisse videtur periculum: alioquin de hac valetudine iam antea dicendi locus fuerat. Sed id membrum bene facit amplificandae periodo. WOLF.

tiam. Dixi reipublicae saluberrimam, mihi necessariam. Petebatur a me frumenti copia, annonae vilitas; quasi possem aliquid in ea re gerenda; non habebatur. Flagitabar bonorum expostulatione. Improborum convicia sustinere non poteram. Delegavi amico locupletiori, non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem (succubuissem enim potius ipse), sed quia videbam id, quod omnes: quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum. Itaque, sive hunc dii immortales fructum mei reditus populo romano tribuunt, ut quemadmodum discessu meo frugum inopia, fames, vastitas, caedes, incendia, rapinae, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia fuisset: sic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, iudicia, leges, concordia populi, senatus auctoritas, mecum simul reducta videantur: sive egomet aliqnid adventu meo, consilio, auctoritate, diligentia, pro tanto beneficio populo romano praestare debui: praesto, promitto, spondeo. Nihil dico amplius: hoc, quod satis est huic tempori, dico, rempublicam annonae nomine, in id discrimen, quo vocabatur, non esse venturam. Num igitur in hoc officio, quod fuit praecipue meum, sententia mea reprehen-

Non habebatur) Si lectio vera, Wolfius monuit, id huic scriptori significare posse, *nihil aderat*, *nihil suppetebat scil. frumenti.* Varietatem vel scripturae vel emendationis exposuit Beck.

Populo Romano) Edd. Lamb. Grut. Ern. *populi Romani.*

Sententia mea reprehenditur) Vnus Oxonn. *reprehendatur*, non infelici vitio, at vitio tamen. Rhetor inlexit, puto, *iure reprehenditur.* Mox Ernestius edidit *e peste*, ubi Graevius post alios multos *a peste*, uti statim ab omnibus scribitur *a caede.* Hic notabilis est ipsa phrasis, *rem eripere ex (a) peste periculi*; illud autem φορτικόν, quod a caede et vastitate iterum Cicero eripuit cives suos, vix ab iis receptus in patriam. Iam quae sit *res maxima*, ex superioribus intelligitur, annona. Tum *nemo negat*

18 ditur? Rem maximam eripui a peste summi periculi, non solum eam, sed etiam vos a caede, incendiis, vastitate: nemo negat; quum ad causam caritatis accederet iste speculator communium miseriarum, qui semper in reipublicae malis sceleris sui faces inflammavit.

VIII. Negat oportuisse quidquam uni extra ordinem decerni. Non iam tibi sic respondebo, ut ceteris: Cn. Pompeio plurima, periculosissima, maxima, terra marique bella extra ordinem esse commissa: quarum rerum si quem poeniteat, eum victoriae populi romani
19 necesse est poenitere. Non ita tecum ago. Cum his haec a me haberi oratio potest, qui ita disputant, se, si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum; sed se extra ordinem nihil cuiquam dare: quum Pompeio datum sit, id se, pro dignitate hominis, ornare ac tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeii trium-

genus loquendi est graviter asseverans, etiam supra sic interpositum, quod alibi non temere reperias. Porro, si quid mutandum est, malim cum Ernestio *inflammavit*. Wolf. Et sic edidit Schützius. *T.*

Necesse est) Haec in recentioribus edd. omissa e MSS. compluribus et edd. vett. ante Victor. restituerunt Graev. et Wolf.

Horum ego sententiam ne laudem) Quam sententiam, vel potius, utram partem sententiae? Nam sentire illos dixit, primum, se extra ordinem nihil cuiquam dare; deinde, Pompeio se libenter dare, saltem non invidere. Igitur de priore sententia nunc loqui putandus est Orator. Eam ipse quidem non admodum probat, quippe qui aperte egerat suasorem et fautorum extraordinariorum imperiorum in Orat. pro L. Manilia, at constantiam tamen probat, qua sibi quoque utendum fuerat. Nempe ipsi faciunt, quod solent, quum Pompeio extra ordinem nihil decernunt: neque enim omnibus id negant. Ego quoque, inquit, quod ante feceram, in Mithridatico bello ad Pompeium deferendo, idem nunc feci in cura rei frumentariae eidem extra ordinem decernenda: et quam in aliis constantiam probo, eadem in me ipso delector. Sic enarrat haec Manutius, quibus num quidquam nugacius esse potest? Sed statim apparebit, quorsum arrepere per has nugas cupiat Declamator. Invecturus est in Clodii levitatem et inconstantiam, qui quum nuper quadam rogatione regem Cypri et regno et regia gaza spoliasset (cf. pro Sext. c. 26 seqq. Dio Cass. XXXVII, 30;

phis; quibus ille, quum esset extra ordinem ad pa-
triam defendendam vocatus, auxit nomen populi ro-
mani, imperiumque honestavit: constantiam probo,
qua mihi quoque utendum fuit, quo ille auctore extra
ordinem bellum cum Mithridate Tigraneque gessit.
Sed cum illis tamen possum aliquid disputare: tua 20
vero quae tanta impudentia est, ut audeas dicere,
extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui quum
lege nefaria Ptolemaeum, regem Cypri, fratrem regis
Alexandrini, eodem iure regnantem, causa incognita,
publicasses, populumque romanum scelere obligasses;
quum in eius regnum, bona, fortunas, latrocinium
huius imperii immisisses, cuius cum patre, avo, ma-
ioribus societas nobis et amicitia fuisset: huius pecu-
niae deportandae, et, si quis suum defenderet, bello
gerendo M. Catonem praefecisti. Dices, quem virum! 21
sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicis-
simum reipublicae, virtute, consilio, ratione vitae,
mirabili ad laudem, et prope singulari. Sed quid ad

Velleius II, 45, et plures ibi laudatos), Catone ad eam rem delegato, scil. extra ordinem; nunc Ciceronis legem de Pompeio itidem extra ordinem rei frumentariae praeficiendo culpare audeat. Wolf.

Latrocinium huius imperii immisisses) Oxonn. omnes cum plerisque reliquis MSS. praebent *patrocinium*, quod vitiosum arguit res ipsa et acre vocabulum *immittere*. Bene quidem vidit Gruterus, id vocabulum durius esse, quam quo de republ. uti debuerit Cicero ad Senatores populi Romani, sicut de Clodio utitur §. 107 et 122. Sed parum ille novit hunc Scriptorem, qui dum Clodium insectetur, ne Senatui quidem parcit, nec populo, Clodianum scelus probanti, nec Catoni, viro sanctissimo, neque bono usui sermonis. Quis enim ante hunc dixit, *homines publicare?* Itaque gravius hic Cicero noster vocat *latrocinium*, quod alter pro Sext. §. 62, *turpitudinem* et *maculam in republ. haerentem*. Ergo non est dubium, quin veram lectionem ediderint Victorius et qui hunc sequuti sunt, ut Ernestius; qui tamen aliam offensionem vidit in formula *imperii latrocinium*. At divinitus sibi ipse respondens, Plura sunt eiusmodi, inquit, in hac Oratione. Ceterum non opus est, ut mox, eodem et Lambino iubente, legatur *si is*. Atque ne *ius* quidem deleri necesse erat: olim enim legebatur *si quis suum ius defenderet*.

Sed quid ad te) Catonis laudes lunm factum non excusant. Nam si iuria

te, qui negas esse verum, quemquam ulli reipublicae extra ordinem praefici?

IX. Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam, qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras; quem tuis Sergiis, Lolliis, Titiis, ceterisque caedis et incendiorum ducibus, obieceras; quem carnificem civium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuisse dixeras: ad hunc, honorem et imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti; et tanta fuisti intemperantia, ut illius
22 tui sceleris rationem occultare non posses. Literas in concione recitasti, quas tibi a C. Caesare missas diceres: CAESAR PVLCHRO; quum etiam es argumentatus, amoris esse hoc signum, quum nominibus tantum ute-

non est, ulli rei quemquam extra ordinem praefici, cur tu Catonem praefecisti? MAN.

Qui in ipso Catone, quem — subduxeras) Variatur dictum pro Sext. §. 60: « Non illi ornandum M. Catonem, sed relegandum; nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt: qui in concione palam dixerint, *linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset.* » In istis nihil displicet nisi molestus lusus verborum, *produxeras* et *subduxeras*, hoc est, ipsa tota variatio. Nam *producere* quidem satis Latine dicitur pro *evehere*, seu, quod hodie unice amant, *promovere; subducere* autem vix Latinum est, illo sensu, quo hic positum animadvertit I. Badenus Opusc. Lat. p. 155, *specie ornandi, sed re vera ad consilia sua improba tegenda producere.* Item vix in tali loco defendi potest forma loquendi *pro tuo scelere*, soli concinnitati data, ut et in Sen. §. 12, *pro fortunis suis.* Praeterea recte vidit Ernestius, aliquid hic vitiosum esse, quum sententia imperfecta relinquatur post illud, *qui in ipso C.*, neque vero ille vitium tollit coniecturis suis aut plena interpunctione post verbum *subduxeras;* melius alii locum inter ἀνανταπόδοτα referunt. Mihi si iam bene cognitus est hic Scriptor, iracundia, qua effertur in sceleratum Clodium, detrudit eum iusto tramite, ut constructionis tandem oblitus, in uno Clodio haerens, sic in viam revertatur, *ad hunc* etc. ubi *hunc* dicit Catonem, qui princeps fuerat sententiae de Catilinariis capitali supplicio tradendis; quam ob rem acerba contumelia vocatur *carnifex civium etc.* WOLF.

Quum nominibus tantum uteretur) Acute notat Lambinus scribendum *quod cognominibus*, ut familiaris praescriptio indicetur, qualis est ubique in notis Epistolis: *Cicero Attico.*

retur, neque adscriberet, PROCONSVL, aut TRIBVNO
PLEBIS: deinde gratulari tibi, quod idem in posterum
M. Catonem tribunatu tuo removisses, et quod idem
in posterum de extraordinariis potestatibus liberta-
tem ademisses. Quas aut nunquam tibi ille literas
misit; aut, si misit, in concione recitari noluit; aut,
sive ille misit, sive tu finxisti, certe consilium tuum
de Catonis honore illarum literarum recitatione pa-
tefactum est. Sed omitto Catonem, cuius eximia virtus,
dignitas, et in eo negotio, quod gessit, fides et con-
tinentia, tegere videntur improbitatem et legis et
actionis tuae. Quis homini post homines natos tur- 24
pissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam
opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatissi-

Sed offendunt alia plura in hac fabula de literis a Caesare ex Gallia missis, in primis mala suspensus infinitivus *gratulari*, et inepte repetita verba *quod idem in posterum*. Ea priore loco deleri volebat Guilielmius. Ib.

Et quod — libertatem ademisses) Laude dignus est Hotomannus, quod haec non intelligere se fatetur, nisi suppleatur vel addatur *intercedendi*. Aperta est striligo, nata ex studio imitandi loci Ciceroniani pro Sext. c. 28, unde apparet huiusmodi esse sententiam: *Qui idem* (vel *eidem*) *in posterum contra extraordinarias potestates dicendi libertatem ademisses*. Markl. Vitium unius literulae adiectione sanari posse, si legamus, *eidem*, qui considerare locum voluerit, facile, spero, concedet. Gesn. Idem praeter Marklandum monuerunt Guilielmius et Vrsinus. Quod utinam satis mederetur vitio sermonis. Mox Ernestius recte haesit in tertio *aut*, idque mutandum censet in *at* vel *sed*: quorum prius in vetere quadam editione reperio. Wolf.

Libertatem ademisses) Catoni: ne posset in posterum contra extraordinarias potestates verba facere. Quod enim ipse accepisset, in aliis reprehendere non posset. Huc illud pertinet ex oratione pro Sextio: *Qui in concione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset*. Man.

Quis homini) Ernestius addidit ex edd. pr. *actionis tuae. Quid —*

Quis bellum pacatissimis gentibus) Notam peregrinitatis effugisset, si sic scripsisset, *potestatem dedit bellum inferendi pacatissimis gentibus*. Hoc enim voluit, quum dixit, *quis bellum dedit pacatissimis gentibus?* Sumptus est locus ex Or. pro Sext. ubi de eodem Gabinio legimus cap. 43: «Bellum inferre quiescentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias etc.» Markl. Si dicas excidisse librarii errore praepositionem *cum*, nihil absurdi dixeris. Sed neque a Ciceronis ratione abhorret, nomini *bellum* adiungere casum verbi *bellare*.

mis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Cui quidem quum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, et Ciliciam ad praetorem item extra ordinem transtulisti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dedisti. Quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni, nonne nominatim populos liberos, multis senatusconsultis, etiam recenti lege generi ipsius liberatos, vinctos et constrictos tradidisti? Nonne, quum ab eo merces tui beneficii, pretiumque provinciae, meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? Itane vero? tu provincias consulares, qnas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit,

Anootata olim sunt illina *obtemperatio legibus*, *traditio alteri*, *eruptio Mutina*, *reditus Brundusio*. Gesn. Haec ad diversam analugiam pertinent, quam omnino non temere sequuntur substantiva neutrius generis, quae ouo habeot significatiooem *actionis*. Et quo loco in prosa oratiooe verbum *bellandi* aot *pugnandi* coostruitur cum dativo? Sed, ot hoc quoque ferator, nova oritur offensio in verbis, *ereptam vi pecuniam ex Caesaris rebus actis*, io quibus doctissimus quisque iotegriores libros uptabat. De sensu oooe duae feruntur opiniones, ona Graevii, ut pecunia sigoificetur *decreta Caesari ad res in Gallia gerendas*, per Clodium *erepta* ad ornaodam Gabinii provinciam, Syriam: altera est Garatonii, ut *res actae Caesaris* sint eae, quas Caesar in coosulatu, Crasso et Pompeio adiutoribus, coostituerat: quae quum nuvae fuerint plurimae, in iis agraria lex in primis celebris fuit, eadem, qoae magnam partem a Cicerooe in Rullo impugoata est. Hac ex lege pecunia ouo parva io aerarium illata erat, qua deioceps agri esseot ex eadem lege populo comparandi: qoam pecuniam quum per vim abstulisset Clodius, eam Orator dicere potuit *ereptam Caesaris rebus actis*, qoia a Caesaris assignatiooe aversa fuerat, atque sic effectum, ut *acta* illius rata manerent, et constituto exitu nefarie fraudarentur. Haec posterior explicatio probabilior est atque adeo uoiee vera, etsi nihil probabile est io ipsa dictione. Ioeptiae enim sunt verba, *pecunia ex alicuius rebus* sive *actis* sive agendis *erepta*. Wolf.

Generi ipsius) Scil. *C. Iulii Caesaris*. Iotelligitur lex Iulia de provinciis.

Quas C. Gracchus — decreta lege sanxit) Lege Sempronia de provinciis, de qua vide Or. de Provv. cooss. Sed quis unquam dixit *decernere legem*? quis potuit dicere, praesertim

non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta lege sanxit; eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reipublicae pestibus? Nos, quod nominatim rei maximae, paene iam desperatae, summum virum, saepe ad extrema reipublicae discrimina delectum, praefecimus, a te reprehendemur?

X. Quid tandem? si, quae tum illis reipublicae tenebris caecisque nubibus et procellis, quum senatum a gubernaculis deiecisses, populum e navi exturbasses, ipse archipirata cum grege praedonum impurissimo plenissimis velis navigares; si, quae tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perferre potuisses, qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus atque imperio Clodiano fuisset? Sed excitatus aliquando Cn. Pompeii (dicam ipso audiente,

de lege tribonitia? Idcirco refingunt alii *rogata*, alii *lata*, alii audacius inducunt vocem, alii malunt *per Senatus decreta s. decretum*, vel denique *per Senatum decretas*. Quid vero est *provincias rescindere?* Dicunt, *decretum de provinciis rescindere*. Nempe id intelligi voluit Auctor; verum an ita velle licuit per Latinae linguae consuetudinem? Iam enim licebit Latine *rescindere templa, tecta, domos* etc. quo sensu *rescinduntur acta, res iudicatae*. Nolo tangere absurdam repetitionem eorundem verborum, quae declamatoribus tantopere in deliciis est, quando vim oratoriam affectant. At Graevius mallet, *eas leges Sempronias tu rescidisti*, uti Franc. Dresd. et tres Oxonn. Adeo laborant et anguntur viri optimi in poliendo opusculo. Wolf.

Caecisque nubibus) Etiam foeditate colorum pulchre uti scit artifex noster; dolendum est modo, eum tam celeriter ad vulgarem sermonem se demittere: *si quae tum promulgasti — perferre potuisses*, ubi in nonnullis MSS. est *perficere*, non *perferre*. Horum utrum alteri praeferas, nihil interesse, censet Garatonius. Vere. Nam neutrum aptum est omnibus, quae antecedunt, verbis: *perferre* magis ad remotissimum *promulgasti*, ad reliqua magis pertinet *perficere*. Ita novum hoc exemplum est perperam instituti zeugmatis. Id.

Sed excitatus — subvenit — erexit) Manifesta apparent vestigia verborum pro Sext. c. 31 init., sed nonnullo, ut par erat, discrimine. Apud Ciceronem *Pompeius* ipse propria virtute *excitat suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem reipubl. bene gerendae — accessitque ad causam publicam*: apud hunc *excitatus* (vi *excitatus* C. H. Ch.) *do-*

quod sensi, et sentio, quoquo animo me auditurus est), excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeii nimium diu reconditus et penitus abstrusus animi dolor, subvenit subito reipublicae, civitatemque fractam malis, mutam, debilitatam, abiectam metu, ad aliquam spem libertatis et pristinae dignitatis erexit. Hic vir extra ordinem rei frumentariae praeficiendus non fuit? scilicet tu heluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo, Sex. Clodio, socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienavit, omne frumentum privatum et publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claves lege tua tradidisti. Qua ex re primum caritas nata est; deinde inopia. Impendebat fames, incendia, caedes, direptio; imminebat tuus furor omnium fortunis
26 et bonis. Queritur etiam importuna pestis, ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam, summisque in periculis, eius viri auxilium implorasse rempublicam, a quo saepe se et servatam et amplificatam esse meminisset. Extra ordinem ferri nihil

lor Pompeii *subvenit reipubl. eamque erigit.* Hoc *sensit* et *sentit* Orator, neque eum puduit sic indicare de Pompeio, etsi *ipso audiente*, si vera est fabula. WOLF.

Mutam) Graevius malebat *nudatam*, nimirum omni praesidio, omnibus vindicibus et custodibus, quum nemo auderet reip. causam suscipere et contra vim Clodii eam tueri. *T.*

Sex. Clodio, socio tui sanguinis) Quotusquisque horum verborum sensum assequeretur sine divinatione Manutii? *Qui tibi socius erat in turpi amore sororis tuae.* Alii correctum optabant *facinoris*; verum hos Graevius amandat ad Manutium. WOLF.

Abalienavit) Effecit, ut ipsa magis eum diligeret, quam te. MAN.

Ex ore impurissimo Sex. Clodii) Libidinum obscoenitatem rursus exprobrans Clodio, non animadvertit, quam absurde in ore sedeat *res frumentaria.* Quam rem si quis vernacula Germanorum Latinitate diceret *ereptam ex dentibus hominis*, profecto haud multo peius loqueretur. Rei ipsius causa vide Asconium in Pison. c. 4, et Dionem XXXVIII, 13, qui P. Clodii legem de annona tangunt, sed nihil de cura Sex. Clodio mandata, cuius ne Cicero quidem mentionem facit. WOLF.

placet Clodio. Quid? de me quod tulisse te dicis, patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? An de peste civis, quemadmodum omnes iam dii atque homines iudicarunt, conservatoris reipublicae, quemadmodum autem tute ipse confiteris, non modo indemnati, sed ne accusati quidem, licuit tibi ferre, non legem, sed nefarium privilegium, lugente senatu, moerentibus bonis omnibus, totius Italiae precibus repudiatis, oppressa captaque republica: mihi, populo romano implorante, senatu poscente, temporibus reipublicae flagitantibus, non licuit de salute populi romani sententiam dicere? Qua quidem 27
in sententia, si Cn. Pompeii dignitas aucta est, coniuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem, si eius dignitati suffragatus viderer, qui meae saluti opem et auxilium tulisset.

XI. Desinant, desinant homines iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiae consularis fuit unquam in hac civitate coniunctius, quam fuimus inter nos, ego et Cn. Pompeius? quis apud populum romanum de illius dignitate industrius, quis

Omnes iam dii — iudicarunt) Futilis sententia. Vix intelligi licet, quomodo iudicarint *dii*, Ciceronem conservatorem reipubl. fuisse; nedum quomodo *omnes dii*. Inficetius tamen infra §. 44: « Iam omnes urbes, omnes ordines, omnes dii atque homines iudicaverunt. » Paulo modestius §. 99: « Omnes mortales et privatim et publice iudicarunt. » Id.

Qua quidem in sententia) Delerem particulam *in*, nisi verba etiam ex alia parte laborarent. Nam imperite dictum est, *laudandus essem, si Pompeii dignitati suffragatus viderer*. Al- qui videri id fecisse debes; es enim suffragatus: qui igitur locus verbis infectis? Id.

Quod enim par amicitiae etc.) Scite indicat Ernestius, totam loquutionem insolentiorem esse. Id.

Quis apud populum Rom. — senatui dixit) *Dicere apud*, de publica oratione usitatum est, *dicere alicui* de familiari sermone (Cicero scripsisset *in senatu dixit*. Sch.). In voce *industrius* desidares usum Ciceronis, qui potius dixisset *diligentius* s. *studiosius*, sed non nimium analogiam et auctoritatem: siquidem constat, pri-

senatui saepius dixit? qui tantus fuit labor, quae simultas, quae contentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio benivo-
28 lentiae praetermissa est? Hanc nostram coniunctionem, hanc conspirationem in republica bene gerenda, hanc iucundissimam vitae atque officiorum omnium societatem, certi homines fictis sermonibus et falsis criminibus diremerunt: quum iidem illum, ut me metueret, me caveret, monerent; iidem apud me, mihi illum esse uni inimicissimum, dicerent: ut neque ego ab illo, quae mihi petenda essent, satis audaciter petere possem; neque ille, tot suspicionibus certorum hominum et scelere exulceratus, quae meum tempus
29 postularet, satis prolixe mihi polliceretur. Data merces est erroris mei magna, Pontifices, ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat: qui, quum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti et provisi labores cum viro fortissimo et clarissimo coniunxissent, sim passus a tali amicitia distrahi; neque intellexerim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem. Proinde desinant aliquando me iisdem inflammare verbis: Quid sibi iste vult? nescit, quantum auctoritate valeat, quas res gesserit, qua dignitate sit restitutus. Cur ornat eum, a quo desertus est?
30 Ego vero neque me tum desertum puto, sed paene

scos Latinos hoc comparativo usos esse. Vide I. G. Vossii de Analog. II, 27. *Illustrius*, quod placet nonnullis, et legitur in C. S. Ch., minus aptum foret verbo dicendi. De reliqui loci imprudentia, quum dicitur de *certis hominibus*, *insidiosis amicis* etc. difficile est, nostrum sensum communicare cum lectoribus omnibus: sed pluribus locis exempla talis imprudentiae satis facile conspiciuntur, quae viro in republ. et illorum hominum consuetudine versato imputari nequeant. W. — Hunc locum explicat ad Att. II, 21, quo dicit, Pompeium *omnibus a se pictum et politum artis coloribus*. Anon.

Sed paene deditum) Codd. aliquot

deditum; nec, quae sint in illa reipublicae flamma gesta contra me, neque quomodo, neque per quos, patefaciundum mihi esse arbitror. Si utile reipublicae fuit, haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem, etiam hoc utile sit, quorum id scelere conflatum sit, me occultare et tacere. Illud vero est hominis ingrati tacere (itaque libentissime praedicabo), Cn. Pompeium studio et auctoritate, aeque ut unumquemque vestrum, opibus, contentione, precibus, periculis denique, praecipue pro salute mea laborasse.

XII. Hic tuis, P. Lentule, quum tu nihil aliud dies et noctes, nisi de salute mea cogitares, consiliis omnibus interfuit; hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit; hic municipia coloniasque adiit; hic Italiae totius auxilium cupientis imploravit; hic in senatu princeps sententiae fuit; idemque quum dixisset, tum etiam pro salute mea populum romanum obsecravit. Quare istam oratio- 31
nem, qua es usus, omittas licet: post illam sententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos esse mutatos: perinde quasi isti aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego existimo, sentiant; aut, quid mihi pro exspectatione populi romani, pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum

poenae: Vrsinus correxit *plane*. Nihil opus. In vulgato quasi ad complementum numerorum repetendo sibi ubique placet hic magister, ad Ciceronis scilicet exemplum. Supra §. 14: « Videte, fuerintne partes meae *paene* praecipuae. » Infra §. 123: « Verbis *paene* solemnibus. » Ad Quir. §. 17: « *paene* sensit. » In Sen. §. 31: « mutatione vestis et *prope* luctu vestro etc. » WOLF.

Idemque quum dixisset — obsecravit) Haec ita ieiune et inscite structa sunt, ut accurati quidam Intpp. de lectionis veritate dubitarint. Neque tamen discrepant libri scripti vel editi: et *obsecratio* referenda est ad perorationem istius tripartitae concionis. Vide in Sen. c. 11, ad Quir. c. 7. ID.

fuerit, ignorent; aut etiam, si cuius forte pontificis animum, quod certo scio aliter esse, mea sententia offendit, alio modo sit constituturus aut de religione pontifex, aut de republica civis, quam eum aut caerimoniarum ius, aut civitatis salus coëgerit.

32 XIII. Intelligo, Pontifices, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerit, aut voluntas mea: sed quum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam. Sed hoc compensabo brevitate

Eum) Sic Beckius ex emendatione Gulielmi edidit. Vulgo *aut de religione pontificum aut de republica quam eum* —

Intelligo me plura extra causam dixisse) Auctor in oeconomia scriptionis imitatur quodammodo Sextianam, ubi vide §. 31. Sed *quodammodo*: nam nihil his omnibus fingi insulsius potest. Primum quamnam *opinionem* significat, ubi dicit *plura se dixisse quam opinio tulerit?* utrum suam, an auditorum? Id vero non tacendum erat, etsi posterius significari comiter credimus. Nam *plura te dixisse quam ipse opinatus esses*, loquutio est nimium absurda; et h. l. *alienae opinioni* subiunata videtur *voluntas mea*. Sed ut *plura te dixisse* nares *quam voluntas tulerit tua*, aliud absurdum suboritur addendo *cupiditate aliqua te factum longiorem*. Additur enim hic, et falsa quidem constructione, QVVM *me purgatum vobis esse cuperem*: perinde quasi multum differret *voluntas* a *cupiditate*. Tum quod dicitur de Pontificum *benignitate attente audiendi*, nos quidem nemini credidissemus nisi ipsi affirmanti: immo putemus, taedio longarum et importunarum nugarum iam dudum enectos hinc domum abisse Pontifices omnes, aut certe sic interpellasse hominem, ut ap. Martialem: *Dic tandem, sodes, de tribus capellis!* At *purgatum se cupiebat*. Gerrae. Aliquoties ipse professus est, plane probatam Pontificibus esse sententiam suam; cur ergo purgatum se voluit tantopere? Dissimulat veram causam huius loquacitatis, ubertatem et facilitatem materiae, in qua sine quarundam rerum intelligentia declamare licebat: nunc igitur, quum ad ipsam causam pervenit, quam modeste studet brevitati! Nos celeri contra facimus: ea, quae pertinent ad cognitionem causae, maiore cura et diligentia tractare solemus. Iste vero secus: compensabit superiores anfractus brevitate eius orationis, quae pertinet ad summam rei praecipuam; itaque *verbosiorem* partem *de religione*, paene praetermittit, utpote de qua nihil admodum compilandum praebebant orationes Ciceronis. Id ni ita esset, vel si, ut alibi scribit (cf. §. 39, 121, 138), Pontificum et Augurum libros scrutatus esset, non minus fatue, puto, nunc narrantem audiremus, quae auditoribus notissima essent, quam fecit in prioribus duabus Oratt. ad Senatum populumque Rom. Wolf.

eius orationis, quae pertinet ad ipsam cognitionem vestram: quae quum sit in ius religionis, et in ius reipublicae distributa, religionis partem, quae multo est verbosior, praetermittens, de iure reipublicae dicam. Quid est enim aut tam arrogans, quam de 33
religione, de rebus divinis, caerimoniis, sacris, pontificum collegium docere conari; aut tam stultum, quam, si quis quid in vestris libris invenerit, id narrare vobis; aut tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus maiores nostri vos solos et consuli et scire voluerunt? Nego potuisse iure publico, legibus iis, quibus haec civitas utitur, quemquam civem ulla eiusmodi calamitate affici sine iudicio; hoc iuris in hac civitate, etiam tum, quum reges essent, dico fuisse; hoc nobis esse a maioribus traditum; hoc esse denique proprium liberae civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine iudicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti iudices sint, detrahi possit. Videsne, me non radicitus evellere 34

Ad ipsam cognitionem vestram) Lamb. e MSS. *ad caussam cognitionemque vestram.*

Caerimoniis) Graev. e cod. Franc. *de caerimoniis.* Lallem. coniunctim *de caerimoniis sacris.*

Vt nihil de capite — sine iudicio senatus) Cic. Verr. V, 48 de Senatu: «Quo confugient socii? quem implorabunt? qua spe denique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseretis? Ad Senatum venient, qui de Verre supplicium sumat? *Non est usitatum, non senatorium* etc.» Quapropter nostrum locum Hotomanus capiendum putabat de ratione antiqui temporis, quando Senatum de rebus capitalibus cognovisse testatur Polyb. VI, 13. At de suo, non de antiquo tempore loqui Scriptorem apparet ex ipsis verbis eius, *hoc nobis esse a maioribus traditum*, atque ex omni consilio loci, quum explicetur in universum, quid sit *proprium liberae civitatis.* Markl. Annon a senatu constituebantur quaestiones? nonne senatus armabat magistratus illo S. C. *Viderent ne quid detrimenti respubl. capiat?* Erant itaque tres illi modi eo ipso tempore usitati, quibus de capite aut bonis civis poterat detrahi, S. C. memoratum, iudicia publica, comitia populi. Gesn. Etiam ridicula videtur nobis loquutio, *detrahi aliquid de capite, de bonis alicuius*, etsi bene et usitate dicitur Latine *detrahere de homine, de fama hominis* etc. Nempe usu probantur talia, non cuiusdam analogiae specie.

Videsne me non — versor in medio

omnes actiones tuas? neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse iure, non fuisse tribunum plebis? Hoc dico, esse patricium. Dico apud pontifices: augures adsunt: versor in medio iure publico. Quod est, Pontifices, ius adoptionis? nempe ut is adoptet, qui neque procreare iam liberos possit, et, quum potuerit, sit expertus. Quae deinde causa cuique sit adoptionis, quae ratio generum ac dignitatis, quae sacrorum, quaeri a pontificum collegio solet. Quid est horum in ista adoptione quaesitum? Adoptat annos viginti natus, etiam minor, senatorem.

iure publico) Manifestum est, haec male cohaerere cum antecedentibus; ex quo quis locum lacunosum esse coniiciat. Verum non omnes lacunae nascuntur oscitatione librariorum: sunt etiam, quas faciat ipse dissipatus Orator, qui materiam dicendi instruere nescit, et modo hoc, modo illud ponit, ut quidque primum in calamum incidit. Ex quo genere lacunam h. l. esse, non dubito. W.— Lambinus particulam negativam *non* ante *radicitus* tollendam censuit. Paulo post Graev. Lallem. et Garat. corrigebant *patricium*, pro volgato *parricidium*; correctionem admisit Schützius. Verba *hoc dico*, quae absunt cod. Pal. 9, Beckius uncis inclusit, et delenda censet Garatonius. Ant. Augustinus coni. *hoc dico esse Pontuficium*. T. — De reliquis Interpr. prudenter silent, ubi facetum est in primis, quod, quoniam Pontifices, quoniam Augures adesse videt, putat, *se versari in medio iure publico*. De sententia loquor, non de formula, quae si per se spectetur, optima est, v. c. ap. Cic. de Orat. I, 39. Quomodo enim quis se versari putet in medio iure, in media theologia, quum ei dicendum est coram collegio doctorum iuris vel theologiae? Ac ne nunc quidem evasimus omnes loci salebras. Haud plane fortasse vidit Orator, quod Augures adesse vidit, quamvis id etiam repetat §. 39. Quam enim ob rem adesse dicamus Augures in tali causa, quae proprie ad Pontificum cognitionem pertinebat? Illosne quoque tanquam laturos sententiam? an, quod plerique Pontificum iidem erant Augures? Prius falsum, posterius parum verisimile esse, optime ostendit Ferratius. Restat ergo, ut quum hoc viro docto Augures fortuito, non necessario, praesentes putemus, aut ad eam sententiam revertamur, quae tot similibus difficultatibus medetur, ut ista verba — verba esse credamus. WOLF.

Generum ac dignitatis) Ne scilicet a genere clarissimo ad obscurissimum, a summa dignitate ad infimam conditionem adoptione transeatur. Infra: *Ita adoptet, ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur*. MAN.

Quae sacrorum) Ne sacra intereant. Adoptati autem in aliena sacra transibant. ID.

Liberorumne causa? At procreare potest: habet uxorem: suscepit etiam liberos. Exheredabit igitur pater filium. Quid? sacra Clodiae gentis cur intereunt, 35
quod in te est? quae omnis notio pontificum, quum adoptarere, esse debuit. Nisi forte ex te ita quaesitum est, num perturbare rempublicam seditionibus velles, et ob eam causam adoptari, non ut *eius* filius esses, sed ut tribunus plebis fieres, et funditus everteres civitatem. Respondisti, credo, te ita velle. Pontificibus bona causa visa est: approbaverunt. Non aetas eius, qui adoptabat, quaesita est, ut in Cn. Aufidio, M. Pupio: quorum uterque nostra memoria, summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem adoptavit. Quas adoptiones, sicut alias innumerabiles, hereditates nominis, pecuniae, sacrorum sequutae sunt. Tu neque Fonteius es, qui esse debebas; neque patris heres; neque, amissis sacris paternis, in haec adoptiva venisti. Ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus, et quam deseruisti, et quam polluisti, iure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto, factus es eius filius contra fas, cuius per aetatem pater esse potuisti.

XIV. Dico apud pontifices. Nego, istam adoptio- 36
nem pontificio iure esse factam: primum, quod hae

Suscipiet) Ita cod. Erf. Pal. 9, probantibus Grutero Garat. Wolfio. Vulgo *suscepit*.

Filius) *Eius* addidit Beckius e cod. Pal. 9, Victor.

Non aetas eius) Intell. *Immo non aetas*. Nam abruptius omittitur ridicula ironia. In proximis quoque notabilis est commemoratio nominum Aufidii et Pupii: nam quid opus erat omnino poni exempla rei frequentissime factae, ac, si id fieri placebat, tantum duas afferri adoptiones, quum essent *innumerabiles*? Wolf.

Contaminatis gentibus — polluisti) Vt tribunus pl. fieri posset, deseruit Clodius patriciam gentem Clodiorum, et in adoptionem se dedit Fonteio, homini plebeio. Ideo dicitur gentem utramque *contaminasse*, i. e. *polluisse*, et eam, quam deseruit, et eam, quam *polluit*, i. e. *contaminavit*. Id.

vestrae sunt aetates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per aetatem esse potuerit, vel eo, quo fuit: deinde quod causa quaeri solet adoptandi, ut et is adoptet, qui, quod natura iam assequi non potest, et legitimo et pontificio iure quaerat; et ita adoptet, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur: illud in primis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur; ut haec simulata adoptio filii quam maxime veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata
37 esse videatur. Quae maior calumnia est, quam venire imberbem adolescentulum, bene valentem ac maritum: dicere, filium senatorem populi romani sibi velle adoptare: id autem scire et videre omnes, non ut ille filius instituatur, sed ut e patriciis exeat, et tribunus plebis fieri possit, idcirco adoptari? Neque id obscure: nam adoptatum emancipari statim, ne sit eius filius, qui adoptarit. Cur ergo adoptatur?

Qui te adoptavit loco patris) Adieci ultima duo vocabula ex bonis libris, Allemandum sequutus, cui et Garatonius assentitur, qui ex iureconsultis similia, ut putat, affert, *adoptare aliquem loco avi, loco nepotis.* Sane vix ita, opinor, loqui potuisset Cicero: sed Rhetor potuit propter antithesin *filii loco*, ut magis in auditorum animos penetraret insolentia rei. Ex eadem rhetorica arte est, quod sequitur, alibi non lectum crimen, *eo loco quo fuit*, scil. quo Ganymedes vulgo narratur fuisse Iovi. Olim ab editt. aberat hic pannulus. Id.

Simulata adoptio) Pluribus suspectum fuit *simulata adoptio*, quod h. l. generatim agitur de adoptione, non de Clodiana. Quamobrem varia coniecerunt, *adeptio, adgnatio, susceptio,* quorum nobis primum maxime placet, at idoneum videtur, quod in textu reponatur. Id.

Imberbem). Charisius lib. I, p. 74 ed. Putsch. refert Ciceronem aliquo loco scripsisse *imberbum*; non autem dicit eum omnibus locis ita scripsisse, sed affert alium ex deperdita quadam oratione locum; ergo recte negat Wolfius inde colligi posse hanc ipsam orationem a Charisio sub Ciceronis nomine lectam fuisse.

Emancipari statim) *Emancipatio*, et suitatis et agnationis ius exstinguit. Quomodo ergo plebeius manebat, cum adgnatio nihil aliud esse videatur, quam gens? Patet nimirum aliud esse gentem, aliud agnationem: ut *gens* ad patriciorum et plebeiorum qualitatem referatur: *adgnatio* ad propinquitatem. Hot.

Probate genus adoptionis: iam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis; patricius nemo relinquetur. Cur enim quisquam velit, tribunum plebis se fieri non licere? angustiorem sibi esse petitionem consulatus? in sacerdotium quum possit venire, quia patricio non sit locus, non venire? Vt cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium, simili ratione adoptabitur. Ita populus 38
romanus brevi tempore, neque regem sacrorum, neque flamines, nec salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum;[1] auspiciaque populi romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, quum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est. Dixi apud pontifices, istam adoptionem nullo decreto huius collegii probatam, contra omne pontificium ius factam, pro nihilo esse habendam: qua sublata, intelligis, totum tribunatum tuum concidisse.

Cur enim quisquam velit) Ernestius reposuit *velit*, postulante, ut recte ait, Latinitate, et sequentis orationis universae forma. De nimio metu, ne denique nemo patricius relinquatur in civitate, similia notavimus ad §. 2, quibus conf. locum cachinnis dignum §. 47, de *totis collegiis tribunorum* mox in republ. exorturis. Ceterum interpretationis gratia adscribam verba Lambini: In h. l. primum notandum est, plebeios binos coss. fieri potuisse; patricios non item, sed singulos tantum, et patricio non licuisse fieri tribunum; tum hoc supponendum, omnes homines privata commoda sequi. His positis, sensus planus est: si tales adoptiones probabuntur, omnes volent ex patriciis fieri plebeii. Cur enim quisquam tam stultus esset, ut vellet manere patricius, et ita non licere sibi fieri tribunum, et angustiorem sibi locum esse ad consulatum obtinendum, et sacerdotium opimum ac fructuosum amittere, quia sit patricius? WOLF.

Neque regem sacrorum) Enumerat eos sacerdotes, qui plebeii esse non poterant. MAN.

Neque auctores) Qui probabant ea, quae centuriatis curiatisque comitiis fiebant: quos ex antiquo more, quum senatus e solis patriciis constabat, patricios esse oportebat. MAN.

(1) Prudenter Wolfius monuit, dupliciter imperita fecisse declamatorem; primum quod patricios etiam tum putaverit auctores factos comi-

39 XV. Venio ad augures, quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor; non sum in exquirendo iure augurum curiosus. Haec, quae una cum populo didici, quae saèpe in concionibus responsa sunt, novi. Negant fas esse agi cum populo, quum de caelo servatum sit. Quo die de te lex curiata lata esse dicatur, audes negare de caelo esse servatum? Adest praesens vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus, M. Bibulus: hunc consulem illo ipso die contendo servasse de caelo. « Infirma sunt igitur, tua sententia, acta C. Caesaris, viri fortissimi? » Minime: neque enim mea iam quidquam interest, exceptis his telis, quae ex illius actionibus in meum corpus
40 immissa sunt. Sed haec de auspiciis, quae ego nunc perbreviter attingo, acta sunt a te. Tu, tuo praecipitante iam et debilitato tribunatu, auspiciorum patronus subito exstitisti: tu M. Bibulum in concione, tu augures produxisti. Te interrogante augures re-

liorum, deinde quod tanti putaverit hanc omnem rem, quod patres auctores fierent eorum, quae populus in comitiis iussisset.

Agi cum populo) Mitti in suffragia populum. Ferr.

Quum de caelo servatum sit) Servare de caelo, id est impedimento esse, quominus lex ferretur, cunctis plane magistratibus, tam plebeiis, quam patriciis, licebat. Man.

Quo die de te lex curiata) Vt Clodio a plebeio adoptari liceret, a Caesare rogata, Bibulo, collega Caesaris, de caelo servante ad legem impediendam. Conf. Or. de provv. conss. §. 42, 45 etc. W.

Minime. Neque enim mea) Mirifica responsio ad Clodii obiectionem. Primo rem simpliciter negat, nulla causa allata: dein dicit, nihil interesse sua, nunc in patriam reducti, ratane et firma sint Caesaris acta, necne, postquam ipse exceperit tela, *ex actis Caesaris in se immissa.* Haec sententia quam absurde expressa sit, quodammodo ex ipsa vulgata interpretatione luci apparet. Clodio non adversatus erat Caesar, quia tribunum popularem a se alienare nolebat, metuens, ne sua acta prioris anni rescinderentur: ea re Cicero exsilii calamitatem subire propter actiones Caesaris coactus est. Haec sunt tela, ex *Caesaris actionibus immissa in suum corpus.* Conf. in Pis. §. 79, pro Sext. §. 40, de provv. conss. §. 43. Id.

Sed haec) *Haec* refer ad seqq., quae repetuntur de H. R. c. 23. Non potest referri ad auspicia, quae neglexerat Clodius in adoptione. Id.

sponderunt, quum de caelo servatum sit, cum populo agi non posse. Tibi M. Bibulus quaerenti, se de caelo servasse respondit: idemque in concione dixit, ab Appio fratre tuo productus, te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses, tribunum plebis non fuisse. Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit, omnia, quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere: quod si fieret, dicebas, te tuis humeris me custodem urbis in urbem relaturum. Videte hominis amentiam, 41
ubi per suum tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur. Si et sacrorum iure pontifices, et auspiciorum religione augures totum evertunt tribunatum tuum, quid quaeris amplius? an etiam apertius aliquod ius populi atque legum?

XVI. Hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, quum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quaedam de republica, quae mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. Haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus. Si, quod in ceteris legibus trinum nun-

Idemque in concione — non fuisse) Nisi hoc vanum commentum est, Bibulus ab Appio praetore videri debet in alia causa tum productus esse, non ut P. Clodii tribunatum oppugnaret, et Ciceronis restitutioni in patriam faveret. Certe vera historia docet, Appium Claudium et Ciceronem nondum illo tempore reconciliatos fuisse. Cf. ad §. 87, 111. Simile quid, aliunde ignotum, de quadam Bibuli sententia affertur §. 69. Id.

Vbi — illigatus) *Vbi* accipi potest *quum tamen*. Deinde *alligatus* codd. nonnulli et edd. aliquot vett. et sic Wolfius rescripsit. T.

Caesaris actis alligatus) Dicit summae amentiae fuisse, Caesaris acta rescindere conari, quoniam ipsius tribunatus in illis actis fuisset, iisque infirmatis nullus esset: ut bene interpretatur Manutius. Cf. de H. R. c. 23. Wolf.

Ad quosdam viros fortes) Iulium Caesarem. Cf. Suet. vita eius c. 20. Ita deinde *quosdam clarissimos viros* ad Catonem referunt. Amat iste pluralem numerum, in quo plus gravitatis est, interdum etiam plus sapientiae. Vide ad Or. in Sen. §. 7. W.

dinum esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum; nihil reprehendo: sin eadem observanda sunt; si decrevit senatus, M. Drusi legibus, quae contra legem Caeciliam et Didiam latae essent, populum non teneri: iam intelligis, omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in le-
42 gibus sit, te tribunum plebis non fuisse. Atque ego hoc totum non sine causa relinquo. Video enim quosdam clarissimos viros, principes civitatis, aliquot locis iudicasse, te cum plebe iure agere potuisse: qui etiam de me ipso, quum tua rogatione funere elatam rempublicam esse dicerent, tamen id funus, etsi miserum atque acerbum fuisset, iure indictum esse dicebant; quod de me civi ac de republica bene merito tulisses, funestum funus te indixisse reipublicae; quod salvis auspiciis tulisses, iure egisse dicebant. Quare licebit, ut opinor, nobis, eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus constitutum tribunatum tuum comprobaverunt.

43 XVII. Fueris sane tribunus plebis tam iure ac lege, quam fuit hic ipse Rullus, vir omnibus rebus claris-

Contra legem Caeciliam et Didiam) Caecilia Didia lege constat in rogationibus ad populum ferendis promulgationem per trinundinum sancitam esse. Atque idem ius etiam in arrogationibus valuisse, discimus ex h. l. et Dione Cassio, cuius ipsa verba in Summario p. 130 apposuimus. Ceterum Dionis locus satis singularis videri debet, sive illum ex hac Declamatione, sive ex genuina Ciceronis Oratione ductum putemus. Quis enim credat, Ciceronem in ista lege curiata nihil nisi trinundinum neglectum reprehendisse? hic autem Declamator ne ipse quidem eam rem tam praecipuo studio persequitur, ut ea, velut gravissimo argumento, nitatur maxime. Quid igitur? Videtur Dio, ut saepe alias, rem parum accurate ex fontibus non optimis hausisse. W.

Quod de me civi — egisse dicebant) Ernestius haec uncis incluserat. Sane quidem aberant MS. Guelf. sed frequentissimo errore ὁμοιοτελεύτου. Itaque ea Garaton. Wolf. Beck. ut ab auctore scripta defenderunt.

Tam iure quam lege, quam) Sic scribendum praestem, ut et codd. omnes habent, quos ab editoribus inspectos reperi. Melioris tamen Latinitatis est coniectura Lambini, *tam lege*; alii maluerunt *ac lege*, vel *legeque*. W.

Ipse Rullus) non ille, qui legem agrariam tulerat. *T.*

simus atque amplissimus: quo iure, quo more, quo
exemplo legem nominatim de capite civis indemnati
tulisti? Vetant leges sacratae, vetant XII tabulae,
leges privis hominibus irrogari: id est enim privile-
gium. Nemo unquam tulit: nihil est crudelius, nihil
perniciosius, nihil quod minus haec civitas ferre pos-
sit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis
acerbitas Sullani temporis, quid habet, quod maxime
sit insigne ad memoriam crudelitatis? Opinor, poe-
nam in cives romanos nominatim sine iudicio consti-
tutam. Hanc vos igitur, Pontifices, iudicio atque 44
auctoritate vestra tribuno plebis potestatem dabitis,
ut proscribere possit, quos velit? Quaero enim,
quid sit aliud proscribere: VELITIS, IVBEATIS, VT M.
TVLLIVS IN CIVITATE NE SIT, BONAQVE EIVS VT MEA SINT.
Ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit. Hoc plebeiscitum
est? haec lex? haec rogatio est? hoc vos pati potestis?
hoc ferre civitas, ut singuli cives singulis versiculis e
civitate tollantur? Equidem iam perfunctus sum;
nullam vim, nullum impetum metuo; explevi animos
invidorum; placavi odia improborum; saturavi etiam
perfidiam et scelus proditorum; denique de mea
causa, quae videbatur perditis civibus ad invidiam
esse proposita, iam omnes urbes, omnes ordines,
omnes dii atque homines iudicaverunt. Vobismet 45
ipsis, Pontifices, et vestris liberis ceterisque civibus
pro vestra auctoritate et sapientia consulere debetis.
Nam, quum tam moderata iudicia populi sint a ma-

Vetant leges sacratae) Pro Sext. §. 65: «Cur, quum de capite civis — non disputo, cuiusmodi civis — et de bonis proscriptio ferretur, quum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari, nulla vox est audita consulum?» W.

Privis) Ita recte Ern. rescripsit pro vulg. *privatis*, auctore Ios. Scaligero ad Festum in *privos*. Assensi sunt Grut. Garat. Wolf. Beck.

ioribus constituta, primum, ut ne poena capitis cum pecunia coniungatur; deinde, ne, nisi prodicta die, quis accusetur; ut ter ante magistratus accuset, intermissa die, quam multam irroget, aut iudicet; quarta sit accusatio trinum nundinum prodicta die, qua die iudicium sit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt; deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute; denique etiam si qua res illum diem aut auspiciis aut excusatione sustulit, tota causa iudiciumque sublatum est.

46 XVIII. Haec quum ita sint in re, ubi crimen est,
ubi accusator, ubi testes: quid indignius, quam, qui
neque adesse sit iussus, neque citatus, neque accusa-
tus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus, condu-
ctos, sicarios, egentes, et perditos suffragium ferre, et
eam legem putare? At, si hoc de me potuit, quem ho-
nos, quem dignitas, quem causa, quem respublica tue-
batur, cuius denique pecunia non expetebatur, cui
nihil oberat praeter conversionem status et inclinatio-
nem communium temporum: quid tandem futurum est
iis, quorum vita remota ab honore populari et ab hac
illustri gratia est, pecuniae autem tantae sunt, ut
eas nimium multi, egentes, sumptuosi, nobiles con-
47 cupiscant? Date hanc tribuno plebis licentiam, et
intuemini paulisper animis iuventutem, et eos maxi-
me, qui imminere iam cupiditate videntur in tribu-

Vt ne poena capitis cum pecunia) Iure offendit hoc Ernestium: recte quoque negat Wolfius aliquid eiusmodi ex bono scriptore afferri posse. Idem praeter alia monuit paulo post ineptissime dictum *si qua res illum diem aut auspiciis, aut excusatione sustulit.*

Aut excusatione) Excusatio iurisconsultis est, quum causa affertur, per quam quis praestare non potuit, quod praestandum erat, ut si latrones, aut flumina, aut morbus sonticus, aut alia vis maior impediret, ne quis praedicto die in iudicio esset praesto. GRAEV.

niciam potestatem: collegia, medius fidius, tribunorum plebis tota reperientur, hoc iure firmato, quae coëant de hominum locupletissimorum bonis, praeda praesertim populari et spe largitionis oblata.

XIX. At quid tulit legum scriptor peritus et callidus? VELITIS, IVBEATIS, VT M. TVLLIO AQVA ET IGNI INTERDICATVR? Crudele, nefarium, ne in sceleratissimo quidem civi sine iudicio ferundum. « Non tulit, ut interdicatur ». Quid ergo? VT INTERDICTVM SIT. O coenum, o portentum, o scelus! hanc tibi legem Sex. Clodius scripsit, spurciorem lingua sua, ut interdictum sit, cui non sit interdictum? Sexte noster, bona venia, quoniam iam dialecticus es, et hoc quoque ligurris: quod factum non est, ut sit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari potest? Hoc tu scriptore, hoc consiliario, 48
hoc ministro, omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo, rempublicam perdidisti. Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires, hunc Clodium esse, qui contra leges faceret; alios, qui leges scribere solerent. Sed neque eorum, neque ceterorum, in quibus esset aliquid modestiae, cuiusquam tibi potestas fuit; neque tu legum scriptoribus iisdem potuistis uti, quibus ceteri, neque operum

Interdicatur) Hoc a Sex. Clodio obiectum fingit declamator.

Sex. Clodius) Sic Lambin. Vulgo omissum praenomen; quod tamen abesse non potest, quia in verbis *o coenum* etc. oratio ad P. Clodium dirigitur.

Dialecticus es) Hoc refertur ad illud quod Sextus obiecerat in lege scriptum esse *interdictum* non *interdicatur*.

Quadrupedum impurissimo) Inepte dictum.

Vt nescires, hunc Clodium esse) Sensus est: quum tot alii pragmatici homines in Vrbe sint, tu hoc Sex. Clodio potissimum usus es ad scribendas leges, quas contemnere ille quidem, contra quas facere solet, non leges scribere magistratibus. — De reliquo non habeo dicere, an aliquid frigoris detrahatur loco, si cum Manutio et Garatonio expungas *Clodium*. Nunc intell. *hunc Clodium esse* talem, *qui* etc. WOLF.

Neque operum architectis — quem

architectis; neque pontificem adhibere, quem velles; postremo ne in praedae quidem societate mancipem, aut praedem socium, extra tuorum gladiatorum numerum, aut denique suffragii latorem in ista tua proscriptione quemquam, nisi furem, aut sicarium, re-
49 perire potuisti. Itaque quum tu florens ac potens per medium cohortis popularis volitares, amici illi tui, te uno amico tecti et beati, qui se populo commiserant, ita repellebantur, ut etiam Palatinam tuam per-

velles) Male et κακοζήλως loquitur, sive *architectos operum* ad Clodianas actiones in republ., sive ad aedem Libertatis in area Ciceronis exstructam retulit. Dein quod dicit *quem velles*, h. e. virum probatae fidei et auctoritatis, lucem accipit ex c. 51 et seqq. In proximis nullus est sanus orationis color: *ne in praedae quidem societata mancipem aut praedae socium:* etsi in his aliquid stultitiae librarii imputari licet. Nam merito hic Tullianum os requirit Graevius, et pro *societate* coniicit *sectione*; qua tamen coniectura velatur malum, minime tollitur. Quare, quum Oxonn. et aliquot alii MSS. habeant *praedonem socium*, probabile forsan plerisque erit, quod ex Manutii et suo ingenio affert Garatonius, *ne in pr. q. sectione mancipem, praedem, socium*, vel, *ne in pr. q. societata mancipem aut praedem*, deleto *socium*. Scripturis manus in talibus revocari a nobis nulla arte potest. W.

Mancipem) Adludit ad publicanorum societates, quorum quidem *mancipes* erant, qui publica a Censoribus redimebant, alii *praedes*, qui pro illis fideiubebant. Hot.

Per medium cohortis popularis) Sic cod. Franc. et Colot. Cohortem popularem vocat illos Clodii socios ac satellites, quorum opera et audacia omnia turbabat sub praetextu libertatis populi tuendae. Graev. Structura non est Ciceroniana. Ante Graevium legebatur, *per medium forum popularis*; in codd. varie corrupta, *per medium sortitum populum*, *per m. scortum*, *per m. scortiis* vel *scrociis:* vix usquam in codd. comparet *forum*. Id bene, quamquam sine auctoritate, in ordinem sumpsit Lambinus: *per m. forum scortum populare vol.*, quod videbatur illi bellissime convenire in impudicum hominem. W.

Amici illi tui) Priora horum pertinent ad Vatinium, qui, aedilitatem petens, repulsam tulerat. Ad eam petitionem refer verba, *qui se populo commiserant*. In seqq. ex Sext. c. 53 tumultuarie excerptis *tua Palatina* est illa tribus, quae fere egentibus et tabernariis constabat, quibus operis utebatur Clodius: nam ipsum hunc, tam splendido loco natum, post adoptionem in hac tribu censum esse, parum credibile videtur. Cf. Manut. et Ferrat. ad h. l. et ad Sext. l. l. At potest etiam, ut in hac Palatinae mentione subsit error, supina negligentia captus ex illo loco Sextianae, vel ex parte Urbis, ubi nunc domum possidebat Clodius. In.

Palatinam tuam) In qua fere essent homines egentes et tabernarii, quibus Clodius operis utebatur. Ernestius

derent. Qui in iudicium venerant, sive accusatores erant, sive rei, te deprecante damnabantur. Denique etiam ille novitius Ligur, venalis adscriptor et subscriptor tuus, quum M. Papirii, sui fratris, esset testamento et iudicio improbatus, mortem eius se velle persequi dixit: nomen Sex. Propertii detulit; accusare, alienae damnationis scelerisque socius, propter calumniae metum, non est ausus. De hac igitur lege 49

putabat in hac quoque tribu Clodium post adoptionem censum esse.

Ligur) Aelius ille qui sibi Liguris cognomen pro Sext. cap 32.

Accusare, alienae damnationis socius — non est ausus) Improbantur haec a Marklando et Wolfio. Ille quidem hanc affert huius loci interpretationem: « Aelius Ligur quum praeteritus esset in testamento fratris, M. Papirii, primo reum fecit Sex. Propertium, quasi is Papirium sustulisset: mox prudenter accusatione destitit, veritus ne calumnia damnaretur, qui eum accusare ausus esset, quicum ipse illud scelus concepisset. Hac ratione Ligur vere dicitur *socius sceleris*: at qui tandem dici potuit *damnationis socius*, quum in eadem sententia narretur, Propertium longissime afuisse a periculo damnationis, quandoquidem accusatione destiterat? Sane species talium errorum inducere possit lectorem, ut suo ipse ingenio diffidat, et aliquid reconditi latere potius quam tam absurde disputari suspicetur. Iam videamus proxima de lege Clodii ad eiiciendum Vrbe Ciceronem rogata. Dicitur, absente Cicerone, tantum crevisse invidia eorum, qui ullam partem illius legis attigissent, vel *scribendo* (*digito*) vel *laudando suadendoque* (*voce*) vel *sententiis probando* (*suffragio*), ut mox ubique offenderent, repudiarentur, damnarentur. Hanc loci sententiam esse, ne dubites: sed nondum ita explicatum est, quid sit *praeda tangere partem legis*, et quo usu illud *quocumque venit* significare possit *in quodcumque iudicium venit*. Hanc enim Auctoris mentem esse ostendunt verba *repudiatus convictusque*. Quid verbis opus est? Vt huius scriptoris inscitiam et negligentiam in compilando noscas, compara Ciceronem pro Sext. c. 31: « Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset, quocumque venerat, quod iudicium cumque subierat, damnabatur ». Non dicit Cicero, contorta obscuritate, *quisquis attigisset partem sceleris praeda*; quin etiam videns, non satis perspicuum esse, quod scribebat *quocumque venerat*, velut explicandi causa adiecit *quod iudicium cumque subierat*. Sed hoc iste iam antea arripuerat, et non sine dote ingenioli sui extulerat: *Qui in iudicium venerant*, sive accusatores erant sive rei, te deprecante, *damnabantur*. » T. — In his aberrare videtur vir doctus tota, quod aiunt, ianua; sed tamen ex parte aliqua cum Manutio. Ego verba illa sic interpretor: *Accusare alienae* (sc. Clodii) *damnationis scelerisque* (Tullio intentati) *socius* (ita leg. pro *socios*) *propter calumniae metum non est ausus*. Nempe metuebat, ne ab iratis

dicimus, quae iure rogata videatur: cuius quam quisque partem tetigit digito, voce, praeda, suffragio, quocumque venit, repudiatus convictusque discessit.

XX. Quid, si iis verbis scripta est ista proscriptio, ut se ipsa dissolvat? est enim, QVOD M. TVLLIVS FALSVM SENATVSCONSVLTVM RETVLERIT. Si igitur retulit falsum

indicibus calumniae damnaretur, cuius illum suspectum redderet hoc ipsum, quod contra Ciceronem fecerat. Hic sensus totum negotium non ignoranti, si non statim in mentem venit, clarus tamen et lucidus debet videri, ubi primum illud illuxit, ut pro *socios* legatur *socius*. Atque hoc de lectione necessaria quum sentiret Marklandus, tamen idem videre se putat egregium et dignum magistro specimen absurdi erroris, qui in ea insit, quod dicat Auctor, metuisse Ligurem, ne ipse socius videretur damnationis et sceleris Propertii, in fratre Liguris Papirio commissi. In hac interpretatione omnino nihil sani est: sed nihil non sanum est in sententia Auctoris, in qua declaranda adhuc aliquantulum operam dabimus, quando talia vir aberrare ab ea potuit. Res ita habet. Aelius Tribunus pl. adiuverat damnationem Ciceronis, eaque re exosus erat populo: idem erat a fratre in testamento praeteritus: huius se mortem velle ulcisci dixit, forte ut invidiam conciliaret illius heredibus, forte ut ab ipso sibi iniuriam factam iudicio fratris ostenderet; isque detulerat nomen Propertii, eaque ratione accusationi velut praeluserat. Ipsam tamen accusationem ingredi non est ausus: cur? Propter metum, ne, si non probaret crimen, calumniae damnaretur. Unde autem ille metus? Quia socius erat damnationis iniustae ac sceleris in Ciceronem et patriam commissi, propter quod se iniustum et suspectum sentiret. Cuius enim facinoris suspicio non cadat in eum, qui potuit liberatorem et patrem patriae inauditum damnare, contra leges omnes damnare sua sententia, et patria, quin, si posset, vita privare? Nihil profecto hic est, quod non cum indubitati Ciceronis, pro Sextio dicentis, sententia consilioque huius loci pulcre conveniat. Sed est aliud quoque, in quo accusatur hic locus. Quaeritur, quid sit *praeda tangere partem legis*. Quasi vero non paulo ante *societatis praedae*, quasi non passim (v. g. c. 24) direptarum villarum suarum mentionem faceret. Sed et illud *quocumque venit*, aenigma esse ait: qui vero potest obscurum esse, quum verba proxime hunc locum praecedant ista: *Qui se populo* etc. Non infitior, me valde hic viri docti et ingeniosi acumen desiderare. GESN. — *partem legis tangere digito* etc. quem sensum habeat aut accipere possit, nobis adhuc incertum est; siquidem Garatonius non male *digitum* et *vocem* ad auctionem sive sectionem refert, comparatis verbis §. 108: id nobis certissimum, tam ineptas dictiones Ciceroni in animum venire non potuisse, ne verbum quidem simplex *tangere* (cf. ad Quir. §. 5), neque adeo iuncturas tam dissolutas, quam istae sunt: *denique etiam* — *de hac igitur* etc. WOLF.

Retulerit) Cod. Franc. Dresd. Barb.

senatusconsultum, tum est rogatio: si non retulit,
nulla est. Satisne tibi videtur a senatu iudicatum, me
non modo non ementitum esse auctoritatem eius or-
dinis, sed etiam unum post urbem conditam diligen-
tissime senatui paruisse? Quot modis docco, legem
istam, quam vocas, non esse legem? Quid, si etiam
pluribus de rebus uno sortitu retulisti? tamenne ar-
bitraris, id, quod M. Drusus in legibus suis pleris-
que, bonus ille vir, M. Scaurus, et L. Crassus con-
sularis non obtinuerint, id te posse, omnium facino-
rum et stuprorum omnium, Decumis et Clodiis au- 51
ctoribus, obtinere? Tulisti de me, ne reciperer, non
ut exirem: quem tu ipse non poteras dicere non li-
cere esse Romae. Quid enim diceres? damnatum?
certe non. Expulsum? qui licuit? Sed tamen ne id
quidem est scriptum, ut exirem. Poena est, qui re-
ceperit; quam omnes neglexerunt. Eiectio nusquam
est. Verum sit. Quid? operum publicorum exactio:

retulit. — Bene monuit Wolfius hoc nusquam alibi legi, Ciceronem a Clodio suppositi de Catilinariis ad supplicium ducendis senatusconsulti insimulatum esse.

Vno sortitu) Contra legem Caeciliam Didiam, ne una rogatione diversis de rebus ad populum ferretur. Hot.

Stuprorum omnium) Hotomanus excidisse putabat *principem* vel simile quid. Garatonius *hominem* corrigebat pro *omnium*.

Operum publicorum exactio) Manutius, obscurum est, inquit, quid dicat: dici tamen hoc arbitror. Quum id, quod in publicata et eversa Ciceronis domo aedificatum fuerat (id autem quid esset, satis infra ostenditur), Clodius a conductoribus exegisset, id ei facere non licuisse; quum opera publica ab iis exigi solerent, qui ei muneri publice praepositi essent. Hac explicatione non contentus Graevius coniicit *exstructio*. Equidem haud scio an tolerabilis sit illa ratio in hac verborum obscuritate. Markl. Vereor, ut cuiquam serio agenti Manutiana ratio probetur: nam id ipsum Clodius tulerat, si Oratori credimus, ut aedificationi in area Ciceronis ipse praeficeretur; cui muneri vel privatos praefici potuisset. Videtur itaque melius divinavisse Ferratius, sic scribens ad h. l.: Clodia lex complectebatur *operum publicorum exactionem*: ut nempe demolitio domus Ciceronianae et exstructio monumenti publice locaretur et exigeretur per ipsum Clodium a redemptoribus. *Nominis inscriptio* consequens est pro antecedente: nomen

quid? nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac meorum bonorum direptio? praeterquam quod ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti. Quid hoc ipsum, quod nunc apud pontifices agis, te meam domum conse-

enim suum Clodius inscripsit, quia sibi eam curationem mandaverat. Hoc autem quaeritur: *num aliud videtur esse ac bonorum meorum direptio?* quum illam curationem inimicissimus homo susceperit.—Sic undique concurritur, ut sensum accipiant male electa vocabula. Wolf.

Tibi? num aliud) Ridicula interrogatio, qua postulatur ab ipso Clodio, ut affirmet, rem sibi nihil aliud videri nisi direptionem. Conf. ad §. 14. Sed in aliquot vetustis editt. iunctim legitur *inscriptio tibi?* Quam interpunctionem, sensu meliorem, iam Manutius in commentario sequutus est. Id.

Vt ipse tibi curationem ferres) Sensum horum verborum non aliunde coniicere possumus quam ex his Cic. de L. Agrar. II, 8: « Licinia est lex: atque altera Aebutia; quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur. » Quibus ex verbis ista nostra sic adumbrata sunt, vix ut Ciceronem ab Rhetore satis intellectum putes. Quod enim dicere voluit, *ferre de curatione tibi mandanda*, contracte corrupteque extulit *ferre curationem tibi*, adversus omnem consuetudinem sermonis. Livius XXVII, 30, scribit *deferre consulatum ad aliquem*; sed nemo dixit *ferre consulatum*, pro *ferre rogationem de consulatu*, vel simpliciter *ferre de consulatu*. Illud plane perinde esset, ac si diceres *ferre sibi exercitum*, *bellum* etc. pro *ferre legem de exercitu sibi mandando*. Markl. Apertum est, quid verba significent: neque negat hoc Marklandus, sed Latine ita dici negat. At ego putabam, hominem, qui cetera scribere posset in hac Oratione, cuius aetas inter Valerium Maximum et Asconium interiecta esset, scire debere loqui. Et nunc simile est illud Cic. pro Sulla cap. 22? « Nihil de iudicio ferebat, sed *poenam ambitus eam ferebat*, quae fuerat nuper superioribus legibus constituta. » Nempe *sibi ferre curationem* ita dictum est, ut *sibi adscribere legatum* etc. Gesn. Tota via errat Gesnerus. Quam postremo loco velut legitimam formam loquendi comparat, mihi quidem prorsus ignota est. Aliud quiddam in animo habuit Vir doctissimus, *sibi legare aliquem*. Hoc legitimum est in ea re. Sed horum adeo dissimilis est analogia, ut nobis vel invitis in mentem veniat effatum Popii, qui Lexicographos dixit melius de singulis quam de coniunctis vocabulis iudicare posse. Quin etiam in Ciceronis loco collato nihili est formula *poenam ambitus ferre*: id quod Ernestius quoque sensit, etsi is lectorem destituit in reliqua annotatione. Nam pro vera ibi lectione habeodum, quod et boni quidam codd. praebent, *poenam ambitus auferebat*: idque iamdudum in textu legeremus, si ineptus Gruterus voluisset, Palatt. codicum mancipium. Profecto nihil non erit Latinum, si h. l. Auctor

crasse, te monumentum fecisse, in meis aedibus te signum dedicasse, eaque te ex una rogatiuncula fecisse: unum et idem videtur esse, atque id, quod de me ipso nominatim tulisti? Tam hercule est unum, quam 52
quod idem tu lege una tulisti: ut Cyprius rex, cuius maiores huic populo socii atque amici semper fuerunt, cum bonis omnibus sub praecone subiiceretur, et exsules Bysantium reducerentur. Eidem, inquit, utraque de re negotium dedi. Quid, si eidem negotium dedisses, ut in Asia cistophorum flagitaret, inde iret in Hispaniam; quum Roma decessisset, consulatum

aliud quam vocabulis Latinis scripsit. Quod autem orationis bonitas ex scribentis saeculo aestimatur, an quisquam est, qui dubitet, etiam illo optimo saeculo Latinitatis ante balbutire homines, quam ad exactam regulam et doctorum scriptorum consuetudinem loqui et declamare didicisse? Non semper sapientiam affert senectus: ita nec defuerunt, qui desiperent, sapientissimorum hominum saeculis. Wolf.

Aedibus) Edd. vett. ut Ven. pr. et Rom. *in medus sedibus*, quod Garatonio valde placet.

Byzantium reducerentur) A Catone reducti sunt exules illi Byzantii, qui a civibus suis eiecti, et, ut rumor ibat, rerum capitalium condemnati erant. Wolf.

Vt in Asia cistophorum flagitaret) De Gabinio haec dicuntur, non quia Clodius legem tulerit de his rebus; sed ostenditur, quam stultum sit, dici de una re rogari populum, quia uno de homine multae res rogentur. Huc spectare locum video, at verborum vim non capio. Graevius quidem explicat, *ut iuberet in vectigalibus et tributis P. R. pendendis non alia pecunia uti quam cistophoris.* Quam ego rationem minime vitupero: nam qui possim, quum nihil istorum intelligam? Sed si haec tanta loquendi licentia probatur, periit omnis proprius et rectus usus sermonis; neque video, cur non quidvis vocabulum quovis sensu usurpari queat, v. c. *Arma virumque cano* eodem, quo alterum hemistichium, *Troiae qui primus ab* [illegible]. Markl. Vix operae pretium est morari in eo, quod accusatur formula *in A. cistophorum flagitare*, quum Graevius recte explicuit. Talia possunt obscura esse, qui de re agatur, ignorantibus; scientibus ipsa molesta est nimia explicatio. Gesn. *Nimia?* et unde *scientibus*, nisi ex verbis perspicuis et ad rem accommodate delectis? Aequitatem hermeneuticam novimus; hic singulis prope paginis misericordia opus est. Excusationem haberet brevitas, si de quadam re facta et publice nota sermo esset, nunc mera hypothesis est; inprimisque offendit singularis *cistophorum*, pro quo levis correctio foret *cistophorum M.* Wolf.

Roma decessisset) Aliquot codd. *Romae.* Garatonius corrigendum censuit *Romam*, cui cum Wolfio assentior.

ei petere liceret; quum factus esset, provinciam Syriam obtineret? quoniam de nno homine scriberes,
53 una res esset? Quod si iam populus romanus de ista re consultus esset, et non omnia per servos latronesque gessisses, nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret, de exsulibus Byzantinis displiceret? Quae est, quaeso, alia vis, quae sententia Caeciliae legis et Didiae, nisi haec, ne populo necesse sit in coniunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?

XXI. Quid, si per vim tulisti? tamenne lex est? aut quidquam iure gestum videri potest, quod per vim gestnm esse constet? An, si in ipsa latione tua, capta iam urbe, lapides iacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem atque elnviem civitatis,
54 sine summa vi pervenire potuisti? Quum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas? Quum edictis tuis tabernas claudi

De ista re) Lambin. *de ista lege.*

De exsulibus Byzantinis displiceret) Nemo Romanorum, quod sciam, sic loquitur, *senatui*, *populo*, *displicet de hac vel illa re.* Statim post retinni veterem nesciu cuius coniecturam, *quaeso*, pro vulgari absono, *quasi.* Neque tamen, illo admisso, Scriptor desinit ineptire atque in rebus errare. Nam vix dubium est, quin falsum et commentitium sit, quod vulgo accredunt huic uni auctoritati, legem Caeciliam Didiam non modo trinundinum constituisse, sed ea hoc quoque cautum fuisse, ne de diversis rebus eadem rogatione ferretur. Non enim credibile est, talis legis latores, quae rogationem pluribus rebus iungendis fieri vetaret, ipsos primos exemplum prodere voluisse? Conf. Ferratium et Manutium ad h. l. WOLF.

An si in ipsa latione tua) Intellige, si libet (nam, si non libet, nihil te cogit), *si lapides iacti non sunt.* Sed hoc ferendum prae eo, quod sequitur *ad illam eluviem civitatis pervenire*, quorum verborum ita coniunctorum potestatem nulla divinatio aperiet, etsi et hic universum sensum non male dispicimus. Felici hora hoc legisse oportet Ernestium, qui haec subscripsit: Hic locus mihi nunquam placuit, nec habet Ciceronianum characterem. — Neque vero inest h. l. aliquid, quod magis quam tot alii loci, qui placuerunt, a Ciceronis ingenio et arte abhorreat. ID.

iubebas, non vim imperitae multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiamque quaerebas! Quum arma in aedem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare! Quum vero gradus Castoris convellisti ac removisti, tum, ut modeste tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu atque adscensu repulisti! Quum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse iussisti, eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus discussisti, tum profecto ostendisti, vim tibi maxime displicere! Verum 55
haec furiosa vis vesani tribuni plebis facile superari frangique potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine. Quid? quum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adiuvarent, tibi manum, copias, tibi suos speratos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent, te suis sceleratis concionibus sublevarent, senatus auctoritatem irriderent, equitibus romanis mortem proscriptionemque minitarentur, me terrerent minis, mihi caedem et dimicationem denuntiarent, meam domum, refer-

Repulisti) Quatuor hac sententiae vulgo signis interrogandi finiuntur. Melius Wolfius haec ironice dicta censuit. Itaque signa exclamandi reposui.

Verum haec furiosa vis) Transit bonus magister vel ferociter ruit in aliud genus: nam levitatem transeundi non amat. Etiam in ipsa ironia, vereor, ut omnibus placeant haec, *Quum gradus Castoris removisti* etc. Quae enim modesta res in templo intelligi potest, cui obeundae opus sit templi graduum demolitione? Wolf.

Verum haec — multitudine) Bene sonat brevis periodus, longioribus duabus interiecta. Unum deest: verba, ad sonum optima, nihil rei continent, aut aliquid falsi. Ac cito ad *vim* redibit, quae hic dicitur fracta et superata esse. Id.

Speratos) In plurimis codd. est *suos paratos*. Sed mihi videtur utrumque librariorum vitio inculcatum. Scripserat, opinor, auctor *tibi centuriones*.

Meam domum, refertam viris bonis) Locus valde obscurus, et optimis Intpp. de menda suspectus. Holomannus quidem in verbis *senatum—amplissimum ordinem*, ingrata motus repetitione, *senatum* e glossemate ad-

tam viris bonis, per amicos suos complerent, proscriptionis metu me frequentia nudarent virorum bonorum, me praesidio spoliarent, senatum pro me non modo pugnare, amplissimum ordinem, sed etiam plorare, et supplicare, mutata veste, prohiberent: ne tum quidem vis erat?

56 XXII. Quid igitur ego cessi? aut qui timor fuit? non dicam in me: fac me timidum esse natura: quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid illi equites romani? quid senatus? quid denique omnes boni? si nulla erat vis, cur me flentes potius prosequuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam, si mecum ageretur more institutoque maiorum, ut possem praesens sustinere?

57 Vtrum, si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum? an sine iudicio privilegium? Iudicium? in causa tam turpi scilicet. An is homo sum, qui,

scriptum putabat: Graevius coniecit, *per amicos suos terrore complerent.* Nobis haec sanabilia videntur sola unius literae omissione et interpunctione levissime mutata, sic scribendo: *complerent proscriptionis metu: me frequentia — spoliarent senatus; pro me non modo pugnare amplissimum ordinem, sed etiam plorare etc.* Ducta sunt pleraque partim ex verbis Or. in Pis. cap. 5: « Erat non solum domus mea, sed totum Palatium, senatu, equitibus romanis, civitate omni, Italia cuncta, refertum » partim e Planciana cap. 35 de eadem re: « Aderat mecum cunctus equester ordo; quem quidem in concionibus saltator ille Catilinae, Consul, proscriptionis denuntiatione terrebat. » Ex eodem rivulo etiam illud erat supra in Sen. cap. 13: « Quare quum viderem — equites romanos proscriptionis — metu esse permotos etc. » Markl.

Cessi) si nulla vis erat?

An hoc timebam, si mecum ageretur) H. e. *an hoc timuissem, si mecum actum esset.* Sic §. 70, *Quorum tibi nihil liceret.* Et in Sen. §. 34: *Quae si semper abessent — lugerem — desiderarem.* Neque ea enallage per se vitiosa aut insolens est, sed nonnunquam durissima, ut §. 114, *diceres, responderes.* Deinde dubitatur de verbis *iudicium in causa* etc. et Garatonius, ex parte libros sequutus, coniicit hoc modo legendum: *Iudicium? in causa tam turpi scilicet. An is homo sum — explicare?* In his *causa ignota* qualis sit, discitur ex Cic. de Orat. II, 24, nempe ea, quam quis oraturus patronus non cognovit, non didicit a clientibus. Quam inepte vero hoc expressum sit, apparet manifesto,

etiamsi causa esset ignota, dicendo non possem explicare? An eam causam probare non poteram, cuius tanta bonitas est, ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se probarit? [1] An senatus, an ordines, an ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, segniores, me praesente, ad me retinendum et conservandum fuissent in ea causa, quam ipse iam parricida talem dicat fuisse, ut me ab omnibus ad meam pristinam dignitatem expetitum atque revocatum queratur? An vero in iudicio periculi nihil 58
fuit, privilegium pertimui, ne, mihi praesenti si multa irrogaretur, nemo intercederet? Tam inops autem ego eram ab amicis, aut tam nuda respublica a magistratibus? Quid? si vocatae tribus essent, proscriptionem non dicam in me, ita de sua salute merito, sed omnino in ullo civi comprobavissent? An, si ego praesens fuissem, veteres illae copiae coniuratorum, tuique perditi milites atque egentes, et nova vis sceleratissimorum consulum corpori meo pepercissent? qui quum eorum omnium crudelitati scelerique cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui.

siquidem causam, quamdiu ignota est, ne disertissimus quidem oratorum explicare potest. Igitur voluit dicere: Causas quum agere possim alienas, prius mihi incognitas, nonne propriam meam facilius dicere et probare posse videbor? Wolf. — Recepi lectionem a Garatonio coniectura repertam. Vulgo legitur: *iudicium in causa tam turpi. Scilicet is homo sum.* Ernestio totum *in causa tam turpi* glossema esse videbatur. Sch.

(1) Lambinus coni. *ut ea ipsa se non modo praesente me, sed etiam absente, per se probarit.*

An ordines) Displicet haec vox simpliciter ita posita. Quapropter Garatonius ex coniectura addit *ceteri* vel *omnes*. Wolf.

An vero — nemo intercederet) I. e. An nihil periculi fuit in legitimo iudicio, at privilegium tamen pertimui? scil. contra leges de me in concione ferendum, agente Tribuno pl. Ob oculos fuit Auctori locus pro Mil. §. 36. Wolf.

Nova vis) *Nova manus* edidit Gr. bono quidem sensu, quo *vis* propo caret, certe vaga potestate offendit. Wolf.

59 XXIII. Quid enim vos uxor mea misera violarat?
quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate lacera-
stis. Quid mea filia? cuius fletus assiduus, sordesque
lugubres, vobis erant iucundae, ceterorum omnium
mentes, oculosque flectebant. Quid parvus filius? quem,
quamdiu afui, nemo nisi lacrymantem confectumque
vidit: quid fecerat, quod eum toties per insidias in-
terficere voluistis? Quid frater meus? qui quum ali-
quanto post meum discessum ex provincia venisset,
neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, quum
eius moeror, squalor incredibilis et inauditus, omni-
bus mortalibus miserabilis videretur, quoties ex vestro
60 ferro ac manibus est elapsus? Sed quid ego vestram
crudelitatem expromo, quam in ipsum me ac meos
adhibuistis, qui parietibus, qui tectis, qui columnis
ac postibus meis horrificum quoddam et nefarium,
omni imbutum odio, bellum intulistis? Non enim te
arbitror, quum post meum discessum, omnium locu-
pletium fortunas, omnium provinciarum fructus, te-
trarcharum ac regum bona spe et avaritia devorasses,
argenti et supellectilis meae cupiditate esse caeca-

Toties per insidias interficere voluistis) Et mox de fratre: *Quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus!* Apud Ciceronem nihil tam graviter dictum legitur de repetitis talibus insidiis, etsi ille conqueritur *liberos ad necem quaesitos*, *raptatam coniugem*, *fratrem optimum*, *amore inaudito* etc. pro Sext. §. 54, 145, Epp. ad Famil. XIV, 2. Ceterum iam inde ab huius capitis principio fervor animi adeo abripuit Scriptorem in pluralia, ut oblitus esse videatur, se cum Pontificibus agere: nisi forte Clodii et sceleratorum Consulum factio uno in loco congregata erat, ut ad eam oculos et manum intendere orando posset. W.

Sed quid ego — expromo) Ernestius quia alias *expromere crudelitatem* est *exserere*, non *commemorare*, legendum putabat *exprobro*.

Quid ego — expromo) *Expromere* ita positum nondum Ciceroni est commemorare, saepius posterioribus. Neque Ciceronianum est *crudelitatem in aliquem adhibere*, nec adiectivum *horrificum*, vox prisci et poëtici sermonis. Simile aliquid dederunt alii libri, *hostificum*. Lamb. coni. *hosticum*. Wolf.

tum: non existimo, Campanum illum consulem cum
saltatore collega, quum alteri totam Achaiam, Thes-
saliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam, omnem-
que Barbariam, bona civium romanorum condonasses:
alteri Syriam, Babylonem, Persas, integerrimas paca-
tissimasque gentes ad diripiendum tradidisses: illos
tam cupidos liminum meorum et columnarum et
valvarum fuisse. Neque porro illa manus copiaeque 61
Catilinae caementis ac testis tectorum meorum se fa-
mem suam expleturas putaverunt: sed, ut hostium
urbes, nec omnium hostium, verum eorum, quibus-
cum acerbum bellum intestinumque suscepimus, non

Campanum illum consulem) Pisonem, qui Capuae duumvir erat.

Totam Achaiam, Thessaliam, Boeotiam, Graeciam, Macedoniam) Haec, etsi sumpta ex Or. in Pis. §. 37: « Omnis erat tibi *Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia* addicta » ineptum produnt imitatorem, ut mirum sit, nemini hic aliquid displicuisse praeter Ernestium. Is vero sagaciter interrogat, cur *Boeotia* et *Graecia*, cur *Thessalia* et *Macedonia* separatim nominentur, idemque sibi respondet, augendi causa factum videri. Recte. Et optimi quidem Oratores aliquid addunt augendi causa, sed id faciunt arte quadam, non vocabula temere cumulant. *Boeotia* omnino non erat nominanda, ac si *Graecia* ponenda erat, ipsa illa Ciceronis verba afferri praestitisset. Nunc id nomen nec latiore nec angustiore significatione placere potest, isto loco collocatum. W.

Caementis ac testis) *Tignis* ediderunt Naug. Mannt. Lamb. At Hervag. Gryph. *tegulis*.

Testis tectorum) *Testae* sunt *testacei lateres*, ut vocantur a Vitruvio, qui Graecis dicuntur κέραμοι, quod coquerentur. Iis nonnunquam domus tegebantur, unde et tectum κέραμον vocarunt, ut docuit Salmasius, cui haec debes, ad Solinum. GRAEV.

Expleturas putaverunt) Quid? *putaverunt?* Vult dicere, *famem explere voluerunt*. Iam §. 10 praepostere adhibitum erat idem verbum, praesertim si ibi cum nonnullis legatur *putavisti*. WOLF.

Quibuscum — intestinumque suscepimus) In hac lectione consentiunt codd. omnes, excepto uno Palat. qui posteriore epitheto caret: id quod Graevius in textu sequutus est: qui recte notat, *intestinum* bellum Latinis esse tale, ut, si in eo urbes, quibuscum bellum gerimus, evertamus, nihil aliud quam nobismet ipsis oculos effodiamus. Probat igitur coniecturam, *internecivumque*, quae certissima esset in alio scriptore. Ita Ciceroni et aliis dicitur eiusmodi bellum, quod nostri Scriptoris stilo erat *omni odio imbutum*. In extrema denique periodo quaedam excidisse, perspicuum est; sed non admodum multa, opinor, verum ornatiora fortasse, quam quae Lambinus ex inge-

praeda adducti, sed odio solemus excidere, quod; in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes nostrae fuerunt, cum horum etiam tectis ac sedibus residere aliquod bellum semper videtur: ***

62 XXIV. Nihil erat latum de me; non adesse eram iussus; non citatus: afueram: eram etiam tuo iudicio civis incolumis, quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem transferebatur; *senatusconsulta volabant*, columnae marmoreae ex aedibus meis, inspectante populo romano, ad socrum consulis portabantur: in fundum autem vicini consulis non modo instrumentum, aut ornamenta villae, sed etiam arbores transferebantur: quum ipsa villa non praedae cupiditate (quid enim erat praedae?) sed odio et crudelitate funditus everteretur. Domus ardebat in Palatio

nio suo adumbravit: *Sic vos vestrum in me crudele et immane adium in meam damum profudistis.* Nunc lectores nobis omnem harum inanium sententiarum perpetuitatem anima complectantur inde a §. 6*a*. Nihil attinet, inquit, de vestra crudelitate queri — nan enim vos arbitror tam cupidos fuisse columnarum et valvarum mearum — neque porro illa manus Catilinae bonis meis famem suam explere (ea ad se trahere) voluit — sed, ut capitales hostes nan aviditate praedae etc. Num potest ebrius homa dissolutius scribere? Id.

Excidere) *Exscindere* Lamb. Lallem. *excipere* Graev. Grut.

Non adesse eram iussus) Vsque ad ravim repetit, quae supra audivimus non iudicium aut legem de se latam esse. Ergo *incolumis* est, qui nullo iudicio damnatus est, *integer* §. 87. Antea uno spiritu legi suadebat Garatonius *non citatus afueram*, gratiare sane structura. Deinde in putas quisquilias incidimus. Domus et villa, nescia quibus machinis, *ablatae* sunt ad duo consules; columnae ex damu asportatae; ex villa non solum ornamenta, sed et instrumenta, sed et ipsae arbores asportatae: (quid iam reliqui censes)? *ipsa villa* funditus eversa, ac ne hoc quidem factum est cupiditate praedae (non multum enim offerebat res angusta domi: cf. tamen §. 60), sed sola incredibili amare vindictae. — In mediis his verbis destituunt nos MSS. amnes, haec exhibentes sensu expertia: *Senatusconsulta volabant* s. *vetabant*, s. *vocabant*, ex quibus varia comminisci licet, nihil autem, quod pro manu Auctoris haberi passit. Ad *socrum Pisonis* conf. in Pis. cap. 11, et ad seqq. locum pro Sext. §. 54. Wolf. — Alii *Senatum consules vetabant*, vel *S. c. lugere vetant.*

Ad alterum consulem) Lamb. edidit: *altera ad alterum, altera ad alterum consulem.*

non fortuito, sed oblato incendio: consules epulabantur, et in coniuratorum gratulatione versabantur, quum alter se Catilinae delicias, alter Cethegi consobrinum fuisse diceret. Hanc ego vim, Pontifices, 63
hoc scelus, hunc furorem meo corpore opposito, a bonorum omnium cervicibus depuli, omnemque impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quae inveterata, compresso odio atque tacito, iam erumpebat, nacta tam audaces duces, excepi meo corpore. In me uno consulares faces, iactae manibus tribuniciis; in me omnia, quae ego quondam retuderam, coniurationis nefaria tela adhaeserunt. Quod si, ut multis fortissimis viris placuit, vi et armis contra vim decertare voluissem: aut vicissem cum magna internecione improborum, sed tamen civium; aut, interfectis bonis omnibus, quod illis optatissimum erat, una cum republica concidissem. Vide- 64
bam, vivo senatu populoque romano, celerem mihi

Hanc ego vim) Dura transitio. Postque eam offendit tautologia, *meo corpore opposito*, et *excepi meo corpore*. Et quid dicit *vim improborum?* Explicant *iram*, quia haec Latine et *colligi* dicitur et *erumpere*; non male: cf. §. 86: at h. l. maius quiddam velle sibi videtur vaga vox, qua aptiorem casus fortasse non obiecit scribenti. In ceteris plerisque codd. ut Oxonn., *erumpebat in actum*: unus modo Ps. videtur confirmare eximiam correctionem Mureti Varr. Lectt. VI, 19, quae nunc vulgo recepta est. W.

Videbam, vivo senatu) Hic quoque notanda est insipiens sapientia, qua facile praevidit reditum suum, et celerem, et summa cum dignitate. Iam in Or. ad Quir. §. 15 monuimus, Ciceronem non ita calide sperasse, se revocatum iri a *vivo* senatu populoque Rom. Porro cur non paulo audacius *viva republ.?* Placuisse homini id genus loquendi, apparet ex §. 96 et 102, ubi id paulo tolerabilius est. Etiam constructio nihil habet Ciceronianum', *videbam mihi reditum*. Mox nulla transpositione egemus, tantum sublata distinctione ante *fieri*, ut ordo verborum sit: *nec diutius fieri posse intell.* h. e. *longius*. Reliqua viri docti variis modis sanare student, quae tamen sic, ut leguntur, ab Auctore profecta praestare ausim, dummodo cum Graevio et aliis deleatur verbum *esse*, quod nullus bonus cod. exhibet, ne unus quidem Oxonn. Ita hoc dicit: *Si non licebat redire, sciebam, clarissimos viros se in medios hostes iniecisse: at ego dubitarem facere?* (non quidem in bostes me iniicere, sed aliquid simile, quodcum-

summa cum dignitate reditum: nec intelligebam, fieri diutius posse, ut mihi non liceret esse in ea republica, quam ipse servassem. Quod si non liceret, audieram et legeram, clarissimos nostrae civitatis viros se in medios hostes ad perspicuam mortem pro salute exercitus iniecisse: ego pro salute reipublicae universae dubitarem? hoc meliore conditione, quam Decii, quod illi ne auditores quidem suae gloriae, ego etiam spectator meae laudis esse potuissem.

XXV. Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus. Omnem enim vim omnium sceleratorum acerbitas mei casus exceperat. Non erat in tam immani
65 iniuria tantisque ruinis novae crudelitati locus. Cato fuerat proximus. Quid ageres? Non erat, ut qui modus omnibus moribus fuerat, idem esset iniuriae. Quid? posses extrudere ad Cypriam pecuniam. Praeda perierit; alia non deerit: hunc modo amandandum

que lubet) *qui tanto meliore essem conditione* (absolute posito ablativo) *quam viri illi clarissimi, Decii: nam hi ne audire quidem laudem suam poterant, postquam se devoverant,* ierantque eo, unde negant redire quemquam: ego *vero superstes etiam spectare meam laudem potuissem*: v. c. in scena, in tragoedia, agente fortasse aliquo Aesopo. — Videmur iam nobis non contemnendos progressus fecisse in hac Latinitate. Conf. pro Sext. §. 48, ubi item Decios habebis. Id.

Quid ageres? non erat) Vetus liber Hotomani: *Quid ageres, non erat: nisi ut, qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, socius idem esset iniuriae? Quid? eiicere posset? non? quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam? praeda perierit: alia non deerit: hic modo amandatus sit.* Alius liber, Stephani, cui Oxonn. suffragantur, si modo eorum varietas diligenter enotata est, sic exhibebat: *Quod ageres, non erat, nisi ut, qui mihi dux omnibus in rebus fuerat, idem esset iniuriae socius. Quid posses? extrudere ad Cypr.* etc. His addidit coniecturam suam Garatonius: *Quid ageres, non erat, ut, qui mihi socius omnibus in rebus fuerat, idem esset iniuriae? quid? posses extrudere* etc. Potior his omnibus videtur scriptura Hotomani; sed de auctoritate non anxie quaerendum est. Id.

Extrudere ad Cypriam pecuniam) Ad vendenda Ptolemaei Cypri regis bona: ex quibus pecuniam exactam Romam retulit. Man.

Praeda perierit) Verba Clodii: si Catonem, virum optimum, ad Cypriam pecuniam mitto, haec mihi praeda omnino peribit. Id.

Hunc modo amandandum esse) Subaudi, stet, fixum sit, deinde aliam

esse. Sic M. Cato invisus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Eiiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum, alter per honestissimam calamitatem. Atque, ut sciatis, 66
non hominibus istum, sed virtutibus hostem semper fuisse: me expulso, Catone amandato, in eum ipsum se convertit, quo auctore, quo adiutore, in concionibus, ea quae gerebat omnia, quaeque gesserat, se et fecisse et facere dicebat. Cn. Pompeium, quem omnium iudicio longe principem esse civitatis videbat, diutius furori suo veniam daturum non arbitrabatur. Qui ex eius custodia, per insidias, regis amici filium, hostem, captivum, surripuisset, et ea iniuria virum fortissimum lacessisset, speravit iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem, bonorum periculo, dimicare: et primo quidem, adiutoribus consulibus; postea fregit foedus Gabinius; Piso tamen in fide mansit. Quas iste tum caedes, quas 67
lapidationes, quas fugas fecerit; quam facile ferro quotidianisque insidiis, quum iam a firmissimo robore copiarum suarum relictus esset, Cn. Pompeium foro curiaque privarit, domumque coniecerit, vidistis. Ex quo iudicare potuistis, quanta vis illa fuerit

praedam quaeremus. Id.—Cod. Henr. Stephani, *hic modo amandandus sit.*

Sic M. Cato invisus) *Invisus*, quod nonnullis displicet, quandam lucem habebit ex sequentibus: *quos improbi videre non poterant*, quae sunt quasi veriloquium istius vocabuli. Deinde miretur aliquis, cur non concinnius scriptum sit, *per honorem calamitosissimum, per honestissimam calamitatem.* Hoc forsitan esset, ex idea scriptoris emendare. Wolf.

Qui ex eius custodia, per insidias, regis amici filium) Tigranem, Tigranis Armenii filium, quem Romam abductum Pompeius apud Flavium praetorem in publica custodia tenuit. De ea re, quae prima causa fuit gravis inimicitiae inter Pompeium et Clodium, vide Asconium ad Milon. cap. 14, Plutarchum Pompeio p. 645 A. Dionem XXXVIII, 30. Eademque occasio erat Gabinio a Clodio suo deficiendi. Vide in Pis. §. 27. Id.

A firmissimo robore) Quom iam Gabinius defecisset. Ferr.

oriens et congregata, quum haec Cn. Pompeium terruerit iam distracta et exstincta.

68 XXVI. Hoc vidit in sententia dicenda Kal. Ianuariis vir prudentissimus, et quum reipublicae, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non censuit; qui me consuluisse reipublicae, cessisse tempestati, amiciorem vobis ceterisque civibus, quam mihi ac meis exstitisse, vi, armis, dissensione hominum ad caedem instituta, novoque dominatu pulsum esse dixit; nihil de meo capite potuisse ferri; nihil esse scriptum, aut posse valere; omnia contra leges moremque maiorum, temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta. Quod si illa lex esset, nec referre ad senatum consu-

Congregnta) Graev. ex edd. aliquot vetl. maluit scribi *nggregata*.

Inm distracta et exstincta) Quid? etiam *exstinctn* vis terrnit Pompeinm Magnnm? Eslo: *exstinctnne* dici iam potuit vis, quae eodem versn tantum *distractn* dicebatur, i. e. *divisa*, scil. Gabinio ad Pompeii parles transgresso? Hiccine quoqne slnpor nt Ciceronis ingenio adscribatnr! Markl. Nunqnam in mentem videlnr viro nimia severo venisse illnd Emmanuelis Tbesauri, nisi fallor, emblema (sic enim vocant imaginem cum sententia), qno depictis titionibns, nt disiicinntur a mann ferro armata, adscripta sunt verba Italica, *Distinti, estinti.* Gesn. Garrit homo, qnidqnid ei in buccam venit, si modo antilhetis et minulis imagunculis lndere potest, nibil curans, qnam sibi ipse constet. Initio capitis dixit, *Itaque infractus furor tuus innes faciebat impetus:* nunc bisce exslinctis titionibns viros terreri legimns. Wolf.

Hoc vidit) Qnid vidit? Nos profecto nihil nisi aegri somnis vidimus. De toto boc genere transitionum nnsquam non taceut Inlpp., rati forlasse ad Ciceronem, non ad se, eam curam pertinere. De Cotta, qui *censuit* legem *non* ferendam, lege non opus esse, conf. pro Sext. cap. 34, unde huc translata sunt plura, non sine quibusdam variatinnibus. Id.

Dissensione) MS. Guelf. *discessione.*

Nihil esse scriptum) Sic Beckius cum ed. Iunt. Vulgo *inscriptum*. Lambin. e coniectura *nihil esse iure scriptum*, qnnd nptimnm censet Wolfius.

Moremque) Sic Manut. Car. Steph. Lamb. Beck. Vulgo *moresque.*

Nec — consules — sibi licere) Facillima est Lambini correctio, *consulibus*, ut respondeal alteri dativo *sibi*: eademque certa esset, si nnnc versaremur in Cicerone. Eodem prorsus modo constructnm meminimns verbnm *licere* §. 37: «Cnr enim quisqnam vellet Tribnnnm pl. se fieri non *licere?*» el §. 51: «*Quem* tn ipse non poteras dicere non *licere* esse Romae.»

les, nec sententiam dicere sibi licere: quorum utrumque quum fieret, non oportere, ut de me lex ferretur, decerni, ne illa, quae nulla esset, esse lex iudicaretur. Sententia gravior, verior, melior, utilior [1] reipublicae nulla esse potuit. Hominis enim scelere et furore notato, similis a republica labes in posterum
demovebatur. Neque hoc Cn. Pompeius, qui ornatis- 69
simam de me sententiam dixit, vosque, Pontifices, qui me vestris sententiis auctoritatibusque defendistis, non vidistis, illam esse nullam, atque esse potius flammam temporis, interdictum sceleris, vocem furoris; sed prospexistis, ne qua popularis in vos aliquando invidia redundaret, si sine populi iudicio restitnti videremur. Eodemque consilio, M. Bibuli, fortissimi viri, senatus sententiam sequutus est, ut vos de mea domo statueretis: non quod dubitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure esset actum; sed ne quis oriretur aliquando in tanta ubertate improborum, qui in meis aedibus aliquam religionem residere diceret. Nam legem quidem istam, nullam esse, quotiescumque senatus de me sententiam dixit, toties iudicavit: quoniam quidem scripto illo

Quibus in locis rectius fuisset *sibi* et *cui*. Wolf.

(1) Hunc ordinem verborum e cod. Lamb. Graevius praetulit vulgato: *sententia verior, gravior, utilior, melior.*

Illam esse nullam — vocem furoris) Inepta sunt haec omnia. Primum dura ellipsis est in *illam*; nisi excidit *legem*, quod sponte inseruit Lambinus. Tum quis nefariam legem dixit *flammam temporum?* et *interdictum sceleris?* Posterius benigne explicant scelestum, ex scelere ortum, tyrannicum; etiam allertus similis locutio Cic. in Pis. §. 18, *interdicta crudelitatis tuae*, ubi imperiosum consulis edictum notatur, quo senatus ad vestitum suum redire iussus erat. Quomodo tamen haec, de qua nunc agitur, lex *interdictum* vocari potuerit, equidem nondum satis assequor. W.

Scripto illo istius) Hoc est, lege sua Clodius prohibuerat, diei sententiam in senatu pro Cicerone: quoties igitur sententia dicta est, toties iudicatum est, nullam eam legem esse. Ferr. Male vincta est oratio: *senatus sententiam dixit — quoniam sententiam dicere vetabatur*. Ipsa res paucis interiectis putide repetitur §. 71. Id.

70 istius, sententiam dicere vetabatur. (1) Atque hanc rem par illud simile, Piso et Gabinius, vidit. Homines legum iudiciorumque metuentes, quum frequentissimus senatus eos, ut de me referrent, quotidie flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. Erat hoc verum: nam impediebantur, verum ea lege, quam idem iste de Macedonia Syriaque tulerat.

XXVII. Hanc tu, P. Lentule, neque privatus, neque consul legem esse unquam putasti. Nam tribunis plebis referentibus, sententiam de me designatus consul saepe dixisti: ex Kalendis Ianuariis, quoad perfecta res est, de me retulisti, legem promulgasti, tulisti: quorum tibi, si esset illa lex, nihil liceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio iudicarent, Piso et Gabinius, eam nullam esse frater P. Clodii, quum de me ad senatum tecum una retulit,
71 iudicavit. Sed isti, qui Clodii lege timuerunt, quemadmodum ceteras observarunt? Senatus quidem, cuius est gravissimum iudicium de iure legum, quotiescumque de me consultus est, toties eam nullam esse iudicavit. Quod idem tu, Lentule, vidisti in ea lege, quam de me tulisti. Nam non est ita latum, ut mihi Romam venire liceret, sed VT VENIREM. Non

(1) Lambinus coniecit: *quoniam quidem ea praescripto istius sententiam dicere iubebatur.*

Atque hanc rem) Et hic licet interrogare, *quamnam rem?* Etsi enim aliqua ratio reddi potest huius iuncturae, tamen eam nimis negligenter factam esse, attente legenti apparebit. W.

Quum frequentissimus senatus — quotidie flagitaret) Bene monet Wolfius senatores quosdam flagitasse quotidie diei potuisse, non frequentissimum senatum, quum non quotidie senatus haberetur.

Sententiam de me — saepe dixisti) Octo Tribunis pl. *saepenumero* referentibus, credo. Vide Or. in Sen. §. 4 et 8. Vnam Lentuli designati Cos. de se sententiam laudat Cic. pro Sext. §. 70. WOLF.

Vt venirem) Nihil huiusmodi legimus apud Ciceronem. Haud absonum quidem fidei est, sic in lege sua

enim voluisti id, quod licebat, ferre, ut liceret; sed me ita esse in republica, magis ut arcessitus imperio populi romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus.

XXVIII. Hunc tu etiam, portentosa pestis, exsulem 72
appellare ausus es, quum tantis sceleribus esses et factis notatus, ut omnem locum, quo adisses, exsilii simillimum redderes? Quid est enim exsul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Quando igitur est turpe? revera, quando est poena peccati; opinione autem hominum etiam, si est poena damnati. Vtrum igitur peccato meo exsulis nomen subeo, an re iudicata? Peccato? iam neque tu id dicere audes, quem isti satellites tui felicem Catilinam nominant, neque quisquam eorum, qui solebant. Non modo iam nemo est tam imperitus, qui ea, quae gessi in consulatu, peccata esse dicat; sed nemo est tam inimicus patriae, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur. Quod enim est in terris commune tan- 73

Lentulum scripsisse, quamvis conformatio sententiae rhetoricam scholam redoleat. Neque nimis Latina sunt verba *me ita esse in republ.*; ultima vero talia, quae sane non fierent deteriora, si ordinem inverteres, ut serio coniecit Ernestius; *magis ut arcessitus ad admin. civitatem viderer, quam imperio populi rom. restitutus.* Sed vulgatum ordinem ut servet, ita explicat Garatonius: Vt populus rom. magis videretur Ciceronem absentem adesse iussisse, quam ius civitatis administrandae, quod ademptum fuerit, ei restituisse. Neque nos aliud remedium videmus his ineptiis, nisi magnum illud et efficax, lituram. Id.

Magis ut arcessitus — quam — restitutus) Ernestius haec permutata esse censuit, et sic constituenda: *magis ut arcessitus ad administrandam civitatem viderer, quam imperio populi romani restitutus.* Sane placet.

Sceleribus esses et factis notatus) Haerent Interpp. in *factis*, vocabulo ignave subiuncto. Quare Graevius ex fide nonnullorum codd. delevit verba, *et factis*; Ernestius magis Ciceronianum putat *malefactis*. Wolf.

Poena damnati) Vtcumque et iniuste damnati, ex vi rei iudicatae. Fern.

Felicem Catilinam nominant) Tacite significat, non puniri Clodium, hostem reipublicae, quum penitus Catilina sit. Man.

Quod — tantulumve consilium) Tam magnum, aut tam parvum. — Affectata dictio, simulque φορτικωτάτη, plane ut §. 75, ubi de suis in

tum tantulumve consilium, quod non de meis rebus gestis ea, quae mihi essent optatissima et pulcherrima, iudicarit? Summum est populi romani populorumque et gentium omnium ac regum consilium senatus: decrevit, ut omnes, qui rempublicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent; ostenditque, nec stare potuisse rempublicam, si ego non fuissem, nec futuram esse ullam, si non rediissem.
74 Proximus est huic dignitati ordo equester. Omnes omnium publicanorum societates de meo consulatu, ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt. Scribae, qui nobiscum in rationi-

omnes mortales meritis atque *nationum*, *provinciarum*, *regum*, *orbis terrarum iudicio* gloriatur. Libenter sua in rempubl. merita commemorat Cicero: sed ubi id facit tam molesta et mendaci arrogantia? Conf. pro Sext. §. 32, a quo loco abest illud *in terris*. Wolf.

Ostenditque — si non redissem) Vix intelligas, quomodo senatus id ostendere potuerit illo decreto; nisi dicamus, simile quid in eo scriptum fuisse isti Gelliano testimonio ad Quir. §. 17. At probabilius videtur, haec quoque verba habenda esse pro verbis, quibus amplior fieret periodos. In reliquis dedi cum Ernestio *si ego non fuissem*, ubi vulgo addebant *restitutus*, in qoo ipsa tautologia satis displicere debuit. Conf. infra §. 111. Id.

Omnium publicanorum societates) Retinui lectionem Graevianam, quam reperio in quinque Oxon. Ernestius rediit ad antiquam *publicorum* (ex codd. Lamb. Pall. omnes, S. Victor. Franc.), quam Latinam esse nemo negel; sed quum hic facilis mutatio sit, utram scriptor dederit, dubitari potest. Nihil enim certo affirmare ausim; attamen mihi magis placet *publicanorum*, nec temere moveor frigore, quod ita ést in *omnium*. Immo, quo frigidior quaeque est lectio, eo interdum magis videtur genuina esse. Wolf.

Scribae — decretumque esse voluerunt) Sigonius de ant. iure civ. Rom. II, 9, monuerat, non admodum gravem et honestum Romae fuisse ordinem scribarum: sed Sigonio, cuius liber mihi, haec scribenti, non est ad manum, hunc nostrum locum opponit Graevius, quod in eo scribae statim ordini equestri subiiciantur. Cuius rei causa adhibere etiam poterat locum Catil. IV, 7, ubi id genus hominum itidem equitibus subiungitur, interpositis tribunis aerariis. Immo in Verr. III, 79, ubi Hortensio, quasi obiicienti, *Est ordo honestus*, respondet Cicero, *Quis negat?* Neque tamen horum omnium locorum auctoritas tanti est momenti, quanti unum perspicuum, incorruptum nullaque re suspectum testimonium Corn. Nepotis Eum, cap. 1. Nam illa scribarum mentio in IV Catil. dumtaxat casui debetur, ut ipse Cicero testatur: « Scribas item univer-

bus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempublicam beneficiis suum iudicium decretumque esse voluerunt. Nullum est in hac urbe

sos; quos quum *casu* hic dies ad aerarium frequentasset » etc. In altero autem loco spectandum est consilium Oratoris, in quem Hortensius videbatur hunc ordinem scribarum concitaturus, quasi commoda eorum praeter aequum immodica aucta a Cicerone labefactarentur. Eorum igitur voluntatem ne offendat, de honestate ordinis se dubitare negat. *Et honestus ordo*, inquit, (hanc ob causam) *quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculoque magistratuum committuntur:* ex quibus verbis adumbrata sunt haec ipsa, *qui nobiscum — versantur*. Ceterum Cicero et illo et praecedente capite atque cap. 66, parum honorifice in universum de his hominibus sentit; etsi concedit, in eorum numero viros optimos et honestissimos esse. Sed de loco et honore scribarum in republ. cum Nepote, *mercenarios* eos appellante, iungendus est Cic. Verr. III, 78, ubi dicuntur *apparitores*, *parva mercede conducti*, et Liv. IX, 46, XXXVIII, 51, 55, Suet. Vesp. cap. 3. Erant illi fera libertinae conditionis (Hor. Serm. I, 5, 66), emebantque munus suum, id est enim, *decuriam emere*, *scriptum sibi comparare*. Ergo si h. l. scribae proximi equitibus ponuntur dignitate, quod putabat Graevius, et persimile veri est ab auctore factum esse, quum facile ei fraudem facere posset locus in Catilinaria, manifestum hoc indicium est, Orationem a peregrino homine, i. e. extra Vrbem habitante scriptam esse. Markl. Sic valde peregrinum Romae fuisse oportet, aut forte auctorem librorum de legibus non esse oportet Tullium, qui in fine operis §. 46 seqq. hoc ipsum conqueratur, non esse peculiari magistratui mandatam legum custodiam: *Itaque leges sunt*, inquit, *quas apparitores nostri volunt* (sunt enim in apparitorum classe, quod satis constat, scribae) *a librariis petimus literis consignatam memoriam, publicam nullam habemus*. Suadet deinde hanc curam dare censoribus. Et paulo post ex persona Attici, cum respectu ad illa, dicitur: *Nam ut modo* etc. Quibus similia ostendi possunt ex Catonis Vticensis quaestura apud Plutarchum. Sed nimis honestos facit hic auctor, quod proximos facit ordini equestri? Nonne vero idem fit in Catilinaria IV? nam quod hic causatur vir doctus, evanescit, ubi primum locus ipse totus inspicitur. Et quid dicet de altero loco? quem non ignoravit, sed non totum accurate considerasse videtur, ubi genera scribarum distinguit Tullius, inde a verbis, *Scribae nomine de tota pecunia* usque ad haec, *in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt*. Quis potest ille *secundus ordo* alius esse quam equester? in quem est aditus scilicet, ubi primum aliquis quadringenta illa habet. Itaque isti scribae quum decuriam emerunt, rem lucrosam, si quis se instituat, ut Verris illi apparitores, iam se equites putant, quum expeditum illis sit, quadringenta illa corradere. *Tametsi, quum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriae propositus est et dignitati, mirabimur, turpes aliquos ibi esse, quo cuivis liceat pretio pervenire?* Quod de equestri ordine modo dixi, extra dubitatio-

collegium, nulli pagani aut montani (quoniam plebei quoque urbanae maiores nostri conventicula, et quasi consilia quaedam esse voluerunt) qui non amplissime, non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint. Nam quid ego illa divina atque immortalia municipiorum et coloniarum et totius Italiae decreta commemorem, quibus, tanquam gradibus, mihi vi-

nem constituitur ea narratione, quae c. 80 sequitur, de annulo aureo equestri, quo scribam suum Verres in concione donavit. Non igitur peregrinum se Romae prodidit hacteuus Auctor. GESN. Nolo arguere quae in his aliena sunt et parum apta ad illum refellendum: neque id ad causam nostram magnopere attinet. Nam si revera decretum ab *universis* scribis in Ciceronis gratiam factum esset, vix eorum mentio fieri alio loco potuisset. Sed male dictum videtur, *non obscurum suum decretum esse voluerunt;* toti autem loco materia sumpta ex illo pro Sext. §. 32: « Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae *societas vectigalium*, nullum *collegium*, out *concilium*, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute. » De scribis ne γρῦ, ne significatio quidem. WOLF.

Nulli pagani aut montani) Graevius de his *montanis*, Cogitabam, inquit, viliores cives forte habitasse in Ianiculo, Vaticano, Aventino, qui tum erat extra pomoerium Vrbis: sed qui illorum meminerit praeter Cic. h. l., non invenio, nec satis causae video, cur illi praecipue commemorentur. — Sane, ubicumque vixit Auctor, ignorare non potuit, Romam in *septem montibus* exstructam esse: unde ipsi forsan coniectura nata est, plebem, in his montibus habitantem, distingui posse a reliqua, in plano et in vallibus degente; ex quo gentem habemus, ut verisimillimum videtur ipsius Declamatoris ingenio creatam. Nam nulla, quod constet, mentio illorum est apud alium scriptorem; cui antiqua Vrbs nota fuerit. MARKL. At est illorum mentio diserta apud Varronem de L. L. V, 3, pag. 49, 7, quem totum locum recitasse non poenitebit: « Dies Septimontium nominatus ab heis septem montibus, in queis sita Vrbs est, feriae non populi (*totius Romani*) sed MONTANORVM modo; ut Paganalibus, qui sunt alicuius pagi. » Non diserte distinguit Varro *Montanos* a *Paganis*? Nonne ipsa feriarum diversitas indicat, *conventicula* et *concilia* peculiaria Montanis fuisse et Paganis? Ergo hic etiam nihil est, quod non M. Tullio dignum sit. GESN. Hic quidem nihil, ut opportuna doctrina praeclaro docuit Gesnerus. Sed quod statim sequitur de *conventiculis plebis urbanae*, velut publica auctoritate florentibus, vix illo tempore Cicero scribere potuisset. Vt alia omittam, lege locum Asconii in Or. pro C. Cornel. p. m. 137: « Frequenter tum coetus factiosorum hominum siue publica auctoritate malo publico fiebant; propter quod postea collegia S. C. et pluribus legibus sunt sublata, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum lictorumque. » WOLF.

deor in caelum adscendisse, non solum in patriam revertisse? Ille vero dies qui fuit, quum te, P. Lentule, legem de me ferente, populus romanus vidit, sensitque, quantus et quanta dignitate esset? [1] Constat enim, nullis unquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Omitto civitatum, nationum, provinciarum, regum, orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum iudicium, unumque consensum: adventus meus atque introitus in urbem qui fuit? utrum me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit, an ut crudelem tyrannum? quod vos Catilinae gregales de me dicere solebatis.
Itaque ille unus dies, quo die me populus romanus 76
a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit, tantae mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. Quare illa calamitas (si ita est appellanda) excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat iam reprehendere consulatum meum tot, tantis, tam ornatis iudiciis, testimoniis, auctoritatibus comprobatum. Quod si in isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum obiectas, sed etiam laudem illustras meam; quid te aut fieri, aut fingi dementius potest? uno enim maledicto, bis a me patriam servatam esse concedis: semel, quum id feci, quod omnes non negent immortalitati, si fieri potest, mandan-

(1) *Dignitate esset*) Vulgo *esses* in codd. Lamb. Pall. aliisque *essem*. Lamb. et Faërn. coni. *esset* scil. *populus*; quod sane aptissimum, et Wolfio quoque probatum.

Comitatum) Graev. e cod. Franc. *ac comitatu*.

Quare illa calamitas excussit — ne quisquam) Offendit haec iunctura verborum. Wolf.

dum, tu supplicio puniendum putasti; iterum, quum tuum multorumque propter te inflammatum in bonos omnes impetum meo corpore excepi, ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem.

77 XXIX. Esto, non fuit in me poena ulla peccati; at fuit iudicii. Cuius? quis me unquam ulla lege interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit? Potest igitur damnati poenam sustinere indemnatus? hoc tribunicium est? hoc populare? quamquam ubi tu te popularem, nisi quum pro populo fecisti, potes dicere? Scilicet! quum hoc iuris a maioribus proditum sit, ut nemo civis romanus aut libertatem aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit: quod tu ipse potuisti in tua causa discere. Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, AVCTORNE ESSES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VT IN FILIO. Quaero, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id XXX curiae iussissent, num id iussum esset ratum? Certe non. Quid ita? Quia ius a maioribus nostris, qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt, ita comparatum est, ut civis romanus libertatem nemo posset invitus

Nisi quum pro populo fecisti) *Pro populo facere* non solum est, populi rem causamque tueri, sed etiam pro populo sacra facere; quod sacerdotum est (Vide Epp. ad Att. I, 12, 13, de H. R. §. 37, ubi dicitur *facere pro frugibus* s. aliis rebus). Ludit igitur Cicero in ambigua sententia; sed revera pungit acerbe Clodium, renovata illius temporis memoria, quum Pompeiae, Caesaris uxoris, amore flagrans, ad sacra Bonae Deae muliebri vestitu, quasi ei ipse pro populo facere vellet, accessit. MAN.

Scilicet!) Subaudi *hoc tribunitium, hoc populare est.* TYP.

Nisi ipse auctor factus sit?) Nisi ipse consenserit. MAN.

XXX Curiae) Franc. cod. *triginta cives*, quod Graevio ideo placebat quia tam loco XXX curiarum XXX lictores legem curiatam ferebant.

Posset) Lamb. Graev. Oliv. Lall. Oxx. *possit*.

amittere. Quinetiam, si decemviri sacramentum in 78
libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescumque vellet quis, in hoc genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt. Civitatem vero nemo unquam ullo populi iussu amittet invitus.

XXX. Qui cives romani in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant. Id autem ut esset faciundum, non ademptione civitatis, sed tecti et aquae et ignis interdictione faciebant. Populus romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis 79
centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros. De agris ratum est; fuit enim populi potestas; de civitate, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt: hanc vero Volaterranis, quum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, republica recuperata, comitiis centuriatis,

Sacramentum) Sacramentum sumitur pro lite: proprie significat pecuniam certam, quam utraque pars ad Pontificem deponebat ea conditione, ut illius, qui victus fuisset, pecunia ad aerarium referretur. Fern.

Rem iudicatam referre) Docti nonnulli malunt *referri*, recte: sed ipsa loquutio vix debet recta videri, quippe obscura et inaudita auribus Romanis. Ita et Lambinus censebat, qui sagaciter divinabat, *referre rem iudicatam* esse, rem iam iudicatam, quasi adhuc controversam, iudicum sententiis de integro permittere, ut rursus de ea, quasi nunquam ante in iudicium adducta atque cognita, cognoscant et sententias ferant. W.

Voluerunt) In edd. vett. sic legebatur: *hoc in genere se rem iudicatam referre voluerunt.* Lambinus dedit: *hoc in genere se rem iudicatam referre posse voluerunt.* Faërni coniecturae debetur voc. *solo.*

Qui cives Romani — nomenque dederant) Gravis sententia: Non sunt in colonias profecti, qui nomen non dederunt, h. e. qui noluerunt proficisci in colonias, qui non sunt profecti. Voluit rem illustrare ex historia, id est, ex Cic. pro Caecina cap. 33, ubi plura comparanda sunt. Wolf.

Id ut esset faciundum — faciebant) H. e. ut verterent solum, non ademptione etc. cogebantur. Ineptissima stribligo. Id.

civitatem eripere non potuit; hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate: Consulari homini P. Clodius, eversa republica, civitatem adimere potuit, concilio advocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum, Sedulio principe, qui se illo die confirmavit Romae non fuisse? Quod si non fuit, quid te audacius, qui eius nomen incideris? quid desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? Sin autem is primus scivit, quod facile potuit, propter inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non iuret se Gadibus fuisse, quum tu te fuisse Interamnae probaveris? Hoc tu igitur, homo popularis, iure munitam civitatem et libertatem nostram putas esse oportere, ut, si tribuno plebis rogante, VELITIS, IVBEATISNE, Sedulii centum *se velle et iubere* dixerint, possit unusquisque nostrum amittere? Tum igitur maiores nostri populares non fuerunt, qui de civitate et libertate ea iura sanxerunt, quae nec vis temporum, nec potentia magistratuum,

Sedulio principe) Primo suffragium ferente.

Incideris?) Sic I. F. Gron. Gerat. Wolf. Beck. legendum viderunt hoc sensu: *qui nomen Sedulii illius in illo plebeiscito in aes inciso posueris, tanquam is in primis eam sciverit.* Frustra Ern. vulgatam defendere conatus est.

Gadibus) Ant. Augustinus coni. *in gradibus scil. Aureliis fuisse.*

Quum tu te fuisse Interamnae probaveris?) Illo die, quo Bonae Deae sacra Romae polluerat. Res nota: sed non minus ineptus hic aculeus est quam §. 77. W.

Amittere?) Subaudi *civitatem* ex Oxonn. quod nuper Editoribus quibusdam probatum, Wulfio ex glossemate additum videbatur. Antea *oportere* erat supervacaneum ut et §. 88. *T.*

Tum — qui — potentia magistratuum — possit) Unum Geratonium pungit vocula *tum*, in principio posita ita, ut eam fere hodie ponunt, quum dicere volunt, *hoc si ita est.* Improbat autem mox ipse emendationem suam: *Tum igitur — quum de civ.*, aliisque vitium relinquit sanandum; quod eveniet, spero, quando tot alia sanabuntur, Kalendis Graecis. Ita Guilielmio displicebat *potentia magistratuum*, et forte legendum dicit *impotentia* Sane hoc quoque scribi forte poterat ab eo, qui iam multa

nec res iudicata, nec denique universi populi romani potestas, quae ceteris in rebus est maxima, labefactare possit. At tu etiam, ereptor civitatis, legem de 81
iniuriis publicis tulisti Anagnino nescio cui Menulae, per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis aedibus posuit; ut locus ipse, in tua tanta iniuria, legem et inscriptionem statuae refelleret. Quae res municipibus Anagninis ornatissimis multo maiori dolori fuit, quam quae idem ille gladiator scelera Anagniae fecerat. Quid? si ne scriptum quidem unquam est in ista ipsa rogatione, quam se Sedulius negat scivisse: tu huius, ut acta tui praeclari tribunatus hominis dignitate cohonestes, auctoritatem amplecteris?

XXXI. Sed, tametsi nihil de me tulisti, quo minus 82
essem non modo in civium numero, sed etiam in eo loco, in quo me honores populi romani collocarunt: tamenne eum tua voce violabis, quem post nefarium scelus consulum superiorum, tot vides iudiciis senatus, populi romani, totius Italiae honestatum? quem ne tum quidem, quúm aberam, negare poteras esse

forte, casu, temere scripsit; quin fortasse legitimo vocabulo *potestas* usus esset, nisi id alii membro reservandum putasset. In fine Ernestius correxit *posset*, audacter, ut ait, sed iubente certa lege Latinitatis. W.

At tu etiam — tulisti Anagnino) Nihil nobis hac de re aliunde notum est. Videtur Clodius aliquam legem de iniuriis publicis tulisse, ut gratificaretur homini, qui quum multa scelera in municipes suos commisisset, eorum graves iras et vindictam meruerat. Illam ob rem testandae gratiae causa Clodio ille statuam cum inscriptione posuerat in area domus Ciceronianae. Mox in *Anagninis ornatissimis* adiectivum aberat a codd. Lambini; quare, quum parum sapiat Ciceronem, ab illo et Ernestio abiectum est. In reliquis, qui innotuere, libris id legitur omnibus, et plane hunc Ciceronem mihi sapere videtur, qui per omnia saepe et humanus est, oratorii ornatus gratia. Id.

Inscriptionem statuae) Inscripserat Menula P. Clodio, ob latam legem de publicis iniuriis. Man.

Ne scriptum quidem) Vt exularem. Ferr. — *Vnquam*) Gulielm. coni. *usquam*.

Cohonestes) *Honestas* codd. Franc. Dresd. alii nonnulli et ed. Rom. Ven. utraque. Restituerunt Graev. Wolf.

tua lege senatorem? Vbi enim tuleras, ut mihi aqua et ignis interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit. Homines seditiosissimi de optimis ac fortissimis civibus non, ut esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. Vbi cavisti, ne meo me loco censor in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus.
83 Quaere hoc e Sex. Clodio, scriptore legum tuarum; iube adesse: latitat omnino; sed si requiri iusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se, capite demisso. Sed si patrem tuum, civem, medius fidius, egregium, dissimilemque vestri, nemo unquam sanus exsulem appellavit, qui, quum de eo tribunus plebis promulgasset, adesse propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit, eique imperium est abrogatum; si in illo poena legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum: in me, cui dies

Aqua et ignis) Sic e codd. Franc. Dresd. aliis, edd. pr. et Lamb. repetitis, Wolfio praeeunte rescripsit Beckius. Vulgo *igni*.

Quod ferri) *Fieri* est in codd. duob. Oxx. et edd. nonnullis ut Lamb. repetitis. Graev. ex MSS. *ferre*.

Occultantem se, capite demisso) Hanc obscenitatem epigrammatum lascivis potius dignam esse, quam oratoris persona, bene monuit Wolfius. Nam etsi in genuinis orationibus eius generis probra hic ibi recurrunt, alio tamen modo efferuntur.

Sed si patrem — vestri — eique imperium etc.) Quod patrem, Appium Claudium, dissimilem dicit *vestri*, aspere simul incessit Appium, huius anni praetorem, cuius honori usque adhuc tam modeste pepercit. Nam unam sororem Clodii intelligere velle, misericordia esset; et conf. §. 112. Paulo post constructio, *qui — adesse — noluit, eique* etc. facile defendi potest exemplis a Wopkensio allatis Lect. Tull. p. 105. Maior quaestio est, quomodo imperium viro abrogatum dici potuerit *poena legitima*, praesertim irrogata rectori provinciae, qui publica auctoritate abesset. Ferratius quidem interpretatur, quod secundum leges die dicta, citatus fuerit a tribuno. Verum, ut nihil non fieri licuit Cinnano tempore sic nihil non loqui licet huic Scriptori. Ad antitheta tendit: Ille adesse citatus est, ego non sum; ille poenam meritam tulit, *in me* damnati poena esse non potuit etc. et illa paulo post etiam absurdiora sunt de L. Philippo Censore et L. Cotta Censorio. W.

dicta non est, qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno plebis citatus, damnati poena esse potuit, ea praesertim, quae ne in ipsa quidem rogatione perscripta est?

XXXII. At vide, quid intersit inter illum iniquissi- 84
mum patris tui casum, et hanc fortunam conditionemque nostram. Patrem tuum, civem optimum, clarissimi viri filium, qui si viveret, qua severitate fuit, tu profecto non viveres, L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu: nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quae erant acta in ea republica, in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset. Me L. Cotta, homo censorius, in senatu iuratus dixit, se, si censor tum esset, quum ego aberam, meo loco senatorem recitaturum fuisse.
Quis in meum locum iudicem subdidit? quis meorum 85
amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si adessem? quis me non modo civis, sed socius recipere contra tuam legem et iuvare dubitavit? Denique universus senatus multo ante, quam est lata lex de me, GRATIAS AGENDAS cen-

Discessu meo) Hoc est insolens, pro *me absente*, vel *post discessum meum*.

Adessem?) *Quod si adessem* codd. aliquot MSS. et ed. Iunt.

Gratias agendas — recepissent) Confundere videtur duas diversas epistolas, a Senatu ad exteras civitates et populos missas, quarum altera iis magni exulis salus commendabatur, altera posteriore iisdem gratiae agebantur, quod eum passim errantem benevole recepissent. Nam voluit fortuna, ut verba prioris epistolae servata sint a Cic. in Pis. c. 15: » Me idem Senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate sua, consularibus literis, non, ut tu Insuber dicere ausus es, *orbatum patria*, sed, ut *Senatus*, illo ipso tempore *appellavit*, *civem conservatorem reipublicae*, commendavit. « Alterius epistolae nusquam accurata mentio fit, etsi ipsa quidem res commemoratur pro Sext. c. 60, et ap. Plut. in Cic. p. 877. Iam quum *civis optime de republ. meritus* tralatitii honoris appellatio sit, et eiusmodi, quae sexcentis civibus omni tempore tribui posset, absimile vero videtur, tam perfunctorie nunc virum laudari ab Senatu, a quo antea appellationem tulisset infinito ampliorem et nulli unquam civi impertitam. Ac, de forte

suit CIVITATIBVS IIS, QVAE M. TVLLIVM: tantamne? immo etiam, CIVEM OPTIME DE REPVBLICA MERITVM, RECEPISSENT. Et tu unus pestifer civis, eum restitutum negas esse civem, quem eiectum universus senatus non modo civem, sed etiam egregium civem semper
86 putavit? At vero, ut annales populi romani et monumenta vetustatis loquuntur, Kaeso ille Quintius, et M. Furius Camillus, et C. Servilius Ahala, quum essent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt; damnatique comitiis centuriatis quum in exsilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. Quod si his damnatis non modo non imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam, sed etiam honestavit (nam, etsi optabilius est, cursum vitae conficere sine dolore, et sine iniuria; tamen ad immortalitatem gloriae plus affert, desideratum esse a suis civibus, quam omnino nunquam esse

putes, Ciceronem h. l. modestius de se scribere voluisse, quam ab Senatu factum esset, ea modestia et crimen falsi haberet, et aliena esset ab Oratore gloriae studiosissimo, ineptaque in primis eo loco, ubi ei res erat cum invisissimo adversario. Quod quid sit, intelligas, si illa verba Pisoniana ad tenorem nostrorum immutare experiaris. Nam alia ratio est loci in Paradox. IV: « Ergo ego semper civis: et tum maxime, quum meam salutem Senatus exteris nationibus, ut *civis optimi*, commendabat. » Hic bene locum habuit illa modestia, nec ipsa verba literarum afferri necesse fuit. Quocirca iste *optime de republ. meritus civis* vel ex fingentis ingenio vel ex puerili errore profectus videtur: quamquam ex his quoque effugium patet cuiusdam possibilitatis. MARKL. Nimis hoc leve esse, ipse videtur Marklandus agnoscere. GESN. Immo notatur ab illo levitas eorum, quibus satis est, aliquam rem possibilem esse, ut pro vera habeatur, quamvis veri sit minime similis. Ita fac, scriptum esse h. l. *bonum civem*: ne hoc quidem scribere non *potuit* Cicero. WOLF.

C. Servilius Ahala) Volgo perperam *M. Servilius Ahala*. Sed *Caium* non *Marcum* fuisse monuit Muretus. — De comitiis centuriatis mox credendum est Rhetori. Conf. Dionys. Halic. X, 5; Liv. III, 13; V, 32. Valer. Max. V, 3, 2. Consuetudo haec erat, ut, si quis ante comitia centuriata solum vertisset exsilii causa, deinde plebs tributis sisceret, id ei iustum exsilium esset. Vide e. g. Liv. XXVI, 3. ID.

violatum): mihi, sine ullo iudicio populi profecto,
tum amplissimis omnium iudiciis restituto, maledicti
locum aut criminis obtinebit? Fortis et constans in 87
optima ratione civis P. Popillius semper fuit: tamen
eius in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam
calamitas ipsa. Quis enim iam meminisset, eum bene
de republica meritum, nisi et ab improbis expulsus
esset, et per bonos restitutus? Q. Metelli praeclarum
imperium in re militari fuit, egregia censura, omnis
vita plena gravitatis: tamen huius viri laudem ad sempiternam memoriam temporis calamitas propagavit.

XXXIII. Quod si et illis, qui expulsi sunt inique,
sed tamen legibus reducti, inimicis interfectis, rogationibus tribuniciis, non auctoritate senatus, non comitiis centuriatis, non decretis Italiae, non desiderio civitatis, inimicorum iniuria probro non fuit: in me,
qui profectus sum integer, afui simul cum republica,
redii maxima cum dignitate, te vivo, fratre tuo altero consule reducente, altero praetore petente, tuum
scelus, meum probrum putas esse oportere? Ac si me 88
populus romanus incitatus iracundia aut invidia e civitate eiecisset, idemque postea mea in rempublicam beneficia recordatus se collegisset, temeritatem atque iniuriam suam restitutione mea reprehendisset: tamen profecto nemo tam esset amens, qui mihi populi tale iudicium non dignitati potius, quam dedecori putaret

Mihi, sine ullo iudicio populi profecto) Debebat esse *in me*, nec Latinus videtur usus hoius dativi. MARKL. Voluit simile facere consequens antecedenti, ut bene monuit Ernestius. Posthac rursus eandem rem facere neglexit: *Quodsi et illis — in me* etc. Sed dativom ibi facile pertulerim. ID.

Te vivo) Pantagathos corrigebat, *te invito*. T.

Consule) Metello Nepote Clodii fratre patrueli.

Petente) Appio Pulchro Clodii fratre germano. Is autem quom non petierit ut Cicero restitueretur, sed tantum eius restitutioni non adversatus sit, aut rhetor noster erravit, aut auctore Paullo Maoutio legendum *patiente*, quod vehementer probat Garatonius.

esse oportere. Nunc vero, quum me in iudicium populi nemo omnium vocarit; condemnari non potuerim, qui accusatus non sim; denique ne expulsus quidem ita sim, ut, si contenderem, superare non possem; contraque a populo romano semper sim defensus, amplificatus, ornatus: quid est, quare quisquam mihi
89 se ipsa populari ratione anteponat? An tu populum romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? optent quotidie caedem, incendia, rapinas? Quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare non poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Plaguleios, Sergios praefeceras. O speciem dignitatemque populi romani, quam reges, quam nationes exterae, quam gentes ultimae pertimescant, multitudinem hominum ex servis, ex conductis, ex facinorosis, ex
90 egentibus congregatam! Illa fuit pulcritudo populi romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, quum etiam tibi, contra senatus totiusque Italiae auctoritatem et studium, dicendi potestas fuit. Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti tum, quum omnes principes civitatis, omnes

Ipsa populari ratione anteponat?) Pantagath. ap. Vrsin. legit *quare quisquam mihi in ipsa populari ratione anteponatur.* Ernestius quoque *in ipsa p. r.* legendum putabat.

Ipsa populari ratione anteponat) H. e. ex ea *ipsa*, quam tu sequeris, ratione, cui rei §. 87 contraria ponitur *ratio optima*, i. e. optimatium. Mutatione opus esse non puto. W.

Optent) *Qui optant* mavult Garaton.

Optent, frequentare non poteras) Ergo, *ut optent, impelluntur.* Satis ridicule. Itaque locum integrum esse negat Garatonius. Contra nemini displicuit iste usus verbi *frequentare*, pro cogere seu congregare; Graevius ideo eum eo comparabat dissimile genus loquendi in Or. Catil. IV, §. 15. Wolf.

Frequentare) Inepte et inusitate hoc dictum mouuit Wolfius pro *cogere, congregare.* Similis quidem verbi usus videtur Orat. Catil. IV, c. 7, sed ibi lectio dubia.

ordinum atque aetatum omnium, suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant; quum denique homines in campum, non tabernis, sed municipiis clausis venerunt.

XXXIV. Hoc ego populo, si tum consules aut fuis- 91
sent in republica, aut omnino non fuissent, nullo labore, tuo praecipiti furori atque impio sceleri restitissem. Sed publicam causam contra vim armatam sine populi praesidio suscipere nolui: non quod mihi P. Scipionis, fortissimi viri, vis intima, privati hominis, displiceret; sed Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda republica putabatur fuisse segnior, gesta, multis senatusconsultis non modo de-

Aetatum omnium) Ernestius excidisse putabat *homines*.

Non tabernis sed municipiis clausis) Argute dictum. Asconius Argum. Or. pro Milone sub fin. « T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset et elabi Milonem non pateretur, iudiciumque et dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die iudicibus — *clausae fuerunt tota urbe tabernae* etc. ». Cf. supra §. 54, et ipsum Cic. Acad. IV, 47. W.

Sine populi praesidio) Scil. quod mihi Clodius et scelerati Consules eripuerant. At, si praesidio populi caruit, qui potuit dicere, *Hoc ego populo — restitissem*? Adde, quod pro Sest. §. 43, et saepe alias contrarium affirmatur: « Scio, tum *non nuhi studium vestrum* (populi) sed meum prope vestro deluisse. » Duplex igitur repugnantia h. l. tollenda erat, nisi Intpp. plerique tacere ac sibi quam Ciceroni suo diffidere maluissent. Vnus tandem Ernestius rem explicatione egere putavit: sed ea, quam attulit, talis est, ut sola desperatio apti sensus inveniendi eam a viro docto extorquere possit: « Quum populus praesidio ipse careret, et obnoxius esset armatis Clodianis. » Aliam viam iniit Garatonius, corrigens *sine publico praesidio* vel *consilio*, h. e. sine Senatus consulto, quod Ciceroni publicum armorum auxilium dedisset. Id.

Vis intima) Insolens epitheton. Manut. probante Grutero coni. *ultima*. Est P. Scipionis Nasicae facinus quo Ti. Gracchum interfecit.

Segnior gesta) Lambin. *segnior quam gesta*. Ernestius sine libris edidit *gestam*. — Garatonium et veteres Editores sequutus, posui distinctionem post *gesta* (scil. *republica*) quod, voci *gerenda* oppositum, dicitur pro *Tib. Graccho interfecto*. Tum enim, *re* per Scipionem Nasicam fortiter *gesta*, ipsum et reliquos optimates aperte P. Mucius defendit, qui vivo Graccho favisse putabatur. Cf. Cic. pro Planc. §. 88, et Acad. IV, 5, quem locum contulit iam Balduinus. Sed, dum in his rebus laborant Intpp. vel graviter errant, ut Ernestius fe-

fendit, sed etiam ornavit: mihi aut, te interfecto, cum consulibus, aut, te vivo, et tecum et cum illis armis
92 decertandum fuit. Erant eo tempore multa etiam alia metuenda; ad servos, medius fidius, res pervenisset. Tantum homines impios ex vetere illa coniuratione inustum nefariis mentibus bonorum odium retinebat.

XXXV. Hic tu me etiam gloriari vetas; negas esse ferenda, quae soleam de me praedicare; et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum: me dicere solere, esse me Iovem; eundemque dictitare, Minervam esse sororem meam. Non tam insolens sum, quod Iovem esse me dico, quam ineruditus, quod Minervam sororem Iovis esse existimo. Sed tamen, ego mihi sororem virginem ascisco: tu sororem tuam virginem esse non sivisti. Sed vide, ne tu te debeas Iovem dicere, quod tu iure eandem
93 sororem et uxorem appellare possis. Et quoniam hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius praedicare: quis unquam audivit, quum ego de me, nisi coactus ac necessario dicerem? Nam si, quum mihi furta, largitiones, libidines obiiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, labo-

fellit omnes ἀκατάλληλον structurae: *Publicam causam suscipere nolui; non quod Scipionis factum improbarem: sed Scipionem Mucius defendit et ornavit; mihi aut cum Coss. aut tecum et cum illis pugnandum fuit.* Quid est, si hoc non absurdum est? Wolf.

Homines impios — odium retinebat) Scribendum erat Latinitatis causa *tenebat*. Vide in Or. ad Quir. §. 11. Markl. Ad duriorem et poëticam rationem confugit Ernestius in Indice; Garatonius exempla affert, ubi *retinere* sit pro simplici *tenere*: sed ea exempla ex alieno sunt genere. W.

Non tam insolens sum — non sivisti) Toto hoc loco nihil est putidius, ut pigeat varietatem scripturae enotare, quam diligenter collegit ad h. l. Beckius. Lectionem vero quam Ern. Beck. Wolf. receperunt ego quoque verissimam arbitror. Obiecerat Clodius Ciceroni eum dicere solere se esse Iovem, eundemque dictitare Minervam esse sororem suam. Huic maledicto declamator fingit Ciceronem sic respondere, ut dicat, etsi summa sit insolentia se Iovem dicere, tamen non tam insolens hoc esse, quam ineruditum sit, Minervam Iovis sororem dicere.

ribus, patriam esse conservatam, non tam sum existi-
mandus de gestis rebus gloriari, quam de obiectis non
confiteri. Sed si mihi ante haec durissima reipublicae
tempora nihil unquam aliud obiectum est, nisi cru-
delitas illius temporis, quum a patria perniciem de-
puli: quid me huic maledicto utrum non respondere,
an demisse respondere decuit? Ego vero etiam rei- 94
publicae semper interesse putavi, me illius pulcher-
rimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensu
bonorum omnium, pro salute patriae gessissem,
splendorem verbis dignitatemque retinere: praeser-
tim quum mihi uni in hac republica, audiente po-
pulo romano, opera mea hanc urbem et hanc rem-
publicam esse salvam, iurato dicere fas fuisset.

XXXVI. Exstinctum est iam illud maledictum cru-
delitatis, quod me non ut crudelem tyrannum, sed
ut mitissimum parentem, omnium civium studiis de-
sideratum, repetitum, arcessitum vident. Aliud exor- 95
tum est: obiicitur mihi meus ille discessus: cui ego
crimini respondere sine mea maxima laude non pos-
sum. Quid enim, Pontifices, debeo dicere? Peccati
me conscientia profugisse? At id, quod mihi crimini
dabatur, non modo peccatum non erat, sed erat res,
post natos homines, pulcherrima. Iudicium populi
pertimuisse? At id nec propositum ullum fuit, et,
si fuisset, duplicata gloria discessissem. Bonorum

Quam de obiectis confiteri) Vulgo editur *quam de obiectis non confiteri*. Sed recte abest negatio ante *confiteri* cod. Car. Stern. Pal. 9, S. Victor. unus Paris. Nempe hoc dicit rhetor noster: si quum mihi furta, largitiones, libidines obiiciantur, ego ad haec crimina nihil respondere velim, sed hoc tantum regeram, meis consiliis, periculis, laboribus patriam esse conservatam, possint homines existimare, me non tam de his gestis rebus gloriari, quam de illis criminibus mihi obiectis confiteri. Sane enim possit aliquis furtis, largitionibus, libidinibus obnoxius esse, qui tamen aliquando patriam servaverit.

Gessissem) Iam Marklandus monuit *factum gerere* nunquam a Romano scriptore dictum esse.

Duplicata gloria) Vna pulcherrimi facti, altera iudiciis populi factum comprobantis. MAN. — *Discessissem*) ex iudicio: absolutus essem. ID.

mihi praesidium defuisse? Falsum est. Me mortem timuisse? Turpe est. Dicendum igitur est id, quod non dicerem, nisi coactus (nihil enim unquam de me dixi sublatius, asciscendae laudis causa potius, quam criminis depellendi) dico igitur, et quam possum
96 maxima voce dico: Quum omnium perditorum et coniuratorum incitata vis, duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem, tenues reipublicae reliquias; si victus essem, nullas futuras. Quod quum iudicassem, deflevi coniugis miserae discidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimae familiae ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere unius discessu, quam omnium interitu occidere malui. Speravi, id quod accidit, me iacentem posse a vivis viris fortibus excitari: si una cum bonis interiissem, nullo

Sublatius) Gulielm. coni. *sufflatius*.

Discidium) *Dissidium* animi est: *discidium* vero corporis. Gifanius in Lucret. *An.*

Fundatissimae familiae) Fundari familia dicitur liberis susceptis. Sed hoc loco non tam ad liberos respicitur, quos iam ante nominavit, quam ad rem familiarem, quae et ipsa fundari, constitui dicitur. Sic Orat. pro Rabirio Post. cap. 1: *fundatae fortunae*. Ern. *Fundare* non significat condere, aut statuere, sed firmare, ac stabilire. *Colonis urbem fundare*, est urbem stabilire, urbis statum confirmare, colonia eo deducta. Scioff.

Concidere — occidere malui) Ne dubita, quin ita scripserit Auctor; neque necesse est aliquid corrigere. Bene viris doctis animadversus est lusus in verbis, *concidere* et *occidere*, hoc Scriptore dignissimus, neque per se Latinae consuetudini repugnans. *Concidere* enim est cadere cum dolore, sic ut excitari et recreari possis; *occidere*, cadere cum exitio, cum interitu. Cf. ad Or. in Sen. §. 18. In seqq. nihil tam certum est, quam quod *sensit* homo (*speravit*) *si interiisset, nullo se modo posse recreari*. W. — *Speravi*) Ineptissime positum verbum *speravi*, praesertim ad alterum membrum relatum. Debebat esse *intellexi*, *cogitavi*. — *Nullo modo posse recreari*) Magna scil. opus fuit sollertia ad hoc intelligendum.

modo posse recreari. Accepi, Pontifices, magnum 97
atque incredibilem dolorem; non nego: neque istam mihi ascisco sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque afflicto loquebantur. An ego poteram, quum a tot rerum tanta varietate divellerer, quas idcirco praetereo, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum, infitiari me esse hominem, et communem naturae sensum repudiare? Tum vero neque illud meum factum laudabile, nec beneficium ullum a me in rempublicam profectum dicerem, si quidem ea reipublicae causa reliquissem, quibus aequo animo carerem; eamque animi duritiam, sicut corporis, quod, quum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem.

XXXVII. Suscipere tantos animi dolores, atque ea, 98
quae capta urbe, accidunt victis, stante urbe, unum perpeti, et iam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriae denique causa patriam ipsam amittere, spoliari populi romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre praetextatos inimicos, nondum morte complorata, arbitria petentes funeris:

A tot rerum tanta varietate) Ernestius corrigebat *caritate*, nescio quomodo putans de *multitudine* rerum praedicari non posse *varietatem*. Ea tamen coniectura admodum placet Garatonio, qui vulgata vim et πάθος deesse dicit, quod sequentia requirant. Nos modestiores communi sensu contenti sumus. W.

Eamque animi duritiam — putarem) Sententia Crantoris ex Dispp. Tusc. III, 6: »Minime assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant; quae nec potest ulla esse, nec debet. Istud nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore.« ID.

Arbitria petentes funeris) De *arbitriis funerum* minus certam notionem habemus, sed talem tamen, ut iudicare possimus, quam ingenioso acumine hoc a Cicerone dictum sit in Pis. §. 21. Nam quum *arbitrium* sit, quidquid ab arbitris constituitur ex aequo et bono, illa Romae videtur propria loquutio fuisse de infinitis mercedibus et impensis, quae in pa-

haec omnia subire conservandorum civium causa, atque ita, ut dolenter absis, non tam sapiens, quam ii, qui nihil curant, sed tam amans tuorum ac tui, quam communis humanitas postulat: ea laus praeclara atque divina. Nam qui ea, quae nunquam cara ac iucunda duxit, animo aequo reipublicae causa deserit, nullam benivolentiam insignem in rempublicam declarat: qui autem ea relinquit, reipublicae causa, a quibus cum summo dolore divellitur, ei patria cara est, cuius salutem caritati anteponit suorum.
99 Quare disrumpatur licet ista furia, atque audiat haec ex me, quoniam lacessivit: rempublicam bis servavi, ut consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim. Vtriusque temporis fructum tuli maximum: superioris, quod ex senatus auctoritate, et senatum, et omnes bonos, meae salutis causa, mutata veste vidi; posterioris, quod et senatus, et populus romanus, et omnes mortales et

blica funera fieri solebant. Nempe locari ea consuevisse constat, et mercede quadam pactum cum libitinariis, ut in eam pompam omnia necessaria praeberent. Ea merces fuit aestimatio multarum rerum et operarum, quae certis legibus vix comprehendi possent. Socii conductionis fuisse videntur designatores, quos *funerum arbitros* appellat Tertullianus de Spect. c. 10, quoniam eos in operis libitinariorum non numerant Tabulae Heracleenses pag. 415. Accedebant autem ludi funebres cum epulo publico, certe in amplissimis, quae hic respici oportet, funeribus. Quidni illa quoque locata fuerint? Ac fortasse haec varietas mercedum indicatur eo, quod non *arbitrium* scriptum est, sed *arbitria*. Igitur Piso et Gabinius, tanquam funeris reipubl. conductores, iidemque arbitri, amplissimam, quam ipsi fecerant, eius funeris aestimationem a Clodio, morte illa vix obita, postularunt, pretia dico proditi Ciceronis. Ad hunc fere modum rem sollertius ceteris, etiam Gesnero in Thes. L. L., illustravit Garatonius. W.

Bis servavi) Sic Oliv. Oxx. Beck. ex emendatione Lambini. Vulgo abest *rempublicam*. Garatonius malebat: *Quare disrumpatur licet, audiat haec ex me ista furia, quoniam lacessivit. Rempublicam bis servavi.*

Consulibus armatis cesserim) Lambinus primum ita correxerat: *semel consul quum togatus armatos vici, iterum privatus quum consulibus armatis cessi.* Postea sic: *bis servavi et quum consul t. a. vici et quum p. c. a. cessi.*

privatim et publice indicarunt, sine meo reditu rempublicam salvam esse non posse.

XXXVIII. Sed hic meus reditus, Pontifices, vestro 100
iudicio continetur. Nam, si vos me in meis aedibus collocatis, id quod in omni mea causa semper studiis, consiliis, auctoritatibus sententiisque fecistis; video me plane ac sentio restitutum. Sin mea domus non modo mihi non redditur, sed etiam monumentum praebet inimico doloris mei, sceleris sui, publicae calamitatis; quis erit, qui hunc reditum potius, quam poenam sempiternam putet? In conspectu praeterea totius urbis domus est mea, Pontifices: in qua si manet illud, non monumentum urbis, sed sepulcrum, inimico nomine inscriptum, demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua tropaea et de me et de republica videam constituta. An 101
ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut, cuius urbis servatorem me esse senatus omnium assensu toties iudicarit, in ea possim intueri domum meam eversam, non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem exstructam et positam in oculis civitatis, ne unquam conquiescere possit fletus bonorum? Sp. Maelii, regnum appetentis, domus est complanata. Ecquid aliud? aequum

Quod in omni mea causa — fecistis) Quid? ut eam in Palatina domo collocarent? An illud pertinet potius ad sequentia? ut sensus sit: tum plane restitutum me putabo, atque id effectum, quod in omni causa mea semper in senatu egistis. W.

Non monumentum urbis) Recte animadvertit Ernestius, ineptam esse adiectionem *urbis*, quum et alibi et §. 51 absolute ponatur *monumentum*, interdum cum genitivo diversi generis, ut de H. R. §. 33. Conf. Ruhnkenium ad Velleium p. 43. Quare ille uncos apposuit, non videns, istum genitivum de industria ad *sepulcrum* referri, quemadmodum dicitur *sepulcrum hominis*, ut sepultura urbis (reipublicae) intelligenda sit. Sic saepe bonas emendationes ipse diserte respuit Declamator. W.

Exstructam et positam in oculis civitatis) Pantagath. ap. Vrsin. coniecit *exstructam sepulturam in oculis civitatis*. Lamb. edidit: *eodem aedem exstructam et positam i. o. c.*

accidisse Maelio populus romanus iudicavit: nomine ipso Aequimaelii, stultitiae poena comprobata est. Sp. Cassii domus ob eandem causam eversa, atque in eodem loco aedes posita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quae publicata est et eversa, ut illius facinus memoria et nomine loci notaretur. M. Manlius, quum ab adscensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficii sui gloria; regnum appetisse est iudicatus: ergo eius domum eversam duobus lucis convestitam videtis. Quam igitur maiores nostri sceleratis ac nefariis civibus maximam poenam constitui posse arbitrati sunt, eandem ego subibo ac sustinebo, ut apud posteros nostros non exstinctor coniurationis et sceleris, sed auctor et dux fuisse videar?

102 Hanc vero, Pontifices, labem turpitudinis et inconstantiae poterit populi romani dignitas sustinere, vivo senatu, vobis principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci ad memoriam poenae publice constitutae coniuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra salutem reipublicae fecerat, et senatus sententia est interfectus, et eius domus eversa et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis cimbricis fecit. Ista autem fax ac furia patriae, quum

Stultitiae) *Stultitiae* a coniectura Hotomani reposui pro vulg. *stultitia*. Graevius scribi volebat *nomine ipso Aequimelii Melii poena comprobata est*. Beckius, auctore Marklando, interpunctione mutata sic edidit: *aequum accidisse Maelio populus Romanus iudicavit nomine ipso Aequimaelii; stultitia poena comprobata est.* Ceterum iam Marklandus suspicatus est declamatori obversatum videri locum Val. Max. VI, 3, simul absurdam voc. *Aequimaelii* etymologiam notavit.

Eius domus — in qua porticum) Eodem ordine Valerius Max. I. I, 1 «Flacciana area, quum diu Penatibus vacua mansisset, a Q. Catulo cimbricis spoliis adornata est.» Sed inscito errore auctor noster scripsit, *domus eversa est, in qua porticum Q. Catulus fecit*, quum scribendum esset *in cuius area*. Hoccine quoque Ciceronianum? Markl. Conf. primam

urbem, Pisone et Gabinio ducibus, cepisset, occupasset, teneret, uno eodemque tempore et clarissimi viri mortui monumenta delebat, et meam domum cum M. Flacci domo coniungebat: ut, qua poena senatus affecerat eversorem civitatis, eadem iste, oppresso senatu, afficeret eum, quem patres conscripti custodem patriae iudicassent.

XXXIX. Hanc vero in Palatio atque in pulcherrimo 103
urbis loco porticum esse patiemini, furoris tribunicii, sceleris consularis, crudelitatis coniuratorum, calamitatis reipublicae, doloris mei defixum iudicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rempublicam et semper habuistis, non modo sententiis, sed, si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis; nisi quem forte illius castissimi sacerdotis superstitiosa dedicatio deterret. O rem, quam homines soluti ridere non 104
desinant, tristiores autem sine maximo dolore audire non possint! Publiusne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? hunccine vos, qui estis antistites caerimoniarum et sacrorum, auctorem habetis et magistrum publicae religionis? O dii immortales! (vos enim haec audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? Hic non illudit auctoritati horum omnium,

annot. ad §. 101, ubi plura exempla erant huius erroris. W.

Furoris tribunicii — defixum indicium) *Monumentum* vult dicere, quod appellat *indicium*; neque *defixum indicium* est stili Ciceroniani. Id.

Nisi quem forte illius castissimi) Transilio latet ad pollutas cerimonias Bonae Deae: quod probrum scilicet hic quoque necessario inculcandum fuit. Id.

Res omnes humanas — putat) Absurde dictum. Non hoc pertinet ad Clodii facinus. Nimirum coniunguntur, quae faciunt descriptionem religiosi hominis. Mox quod scriptum est *religionis*, Auctor adamavit hanc formam loquendi, quae h. l. satis

qui adsunt, summorum virorum? non vestra, Pontifices, gravitate abutitur? Ex isto ore, religionis verbum excidere aut elabi potest? quam tu eodem ore, accusando senatum, quod severe de religione decerneret, impurissime teterrimeque violasti.

105 XL. Adspicite, adspicite, Pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur (quod est bonorum pontificum), monete eum, modum quendam esse religionis: nimium esse superstitiosum non oportere. Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice, sacrificium quod alienae domi fieret invisere? quae autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? Quem unquam audisti maiorum tuorum, qui et sacra privata coluerunt, et publicis sacerdotiis praefuerunt, quum sacrificium Bonae Deae fieret, interfuisse? neminem, ne illum quidem, qui caecus est factus. Ex quo intel-

tolerabilis est; aliquanto minus infra §. 128, et de H. R. §. 11, ubi vide. W.

Quod severe de religione decerneret) Quum de incestu Clodius est accusatus, qui ipse corrumpendi iudicii, contendit, et obtinuit, adiuvante in primis M. Pupio Pisone consule, ne suam causam senatus iudicaret. Ep. 14, lib. I ad Att. MAN.

Adspicite) Totum hoc caput insulsam ironiam cum fatua quadam severitate conglutinat.

Nimium esse superstitiosum non oportere) Reprehendit hanc loquutionem Marklandus. Sed Wolfius, quis dubitet, inquit, quin quasi gradus quosdam habeat omnis pravitas, omne vitium? Quam ob causam saepe in universum dicitur *nimium male*. At verba *non oportere* plane arguunt, aliquem superstitiosum esse *oportere*, non modo *liceri* vel *concedi*, ut Gesnerus ait. Id bene sensit alius Britannus, illius adversarius, p. 27. Eandemque rem, quod non ita difficile erat, animadverterunt, opinor, ii, qui docere studebant, *superstitionem* Latine dici pro *religione*; quod tamen exemplis nititur falso intellectis. Nobis sic videtur, Rhetorem facile hanc censuram effugere potuisse, si scripsisset *nimium religiosum*: quo etiam plane ducebat bis posita vox *religionis*. Tametsi omnem hanc ironiam vehementer frigere sentiet, quisquis non expers est talium rerum sensu.» T.

Qui caecus est factus) Appius Caecus, cui senectus caecitatem attulerat. Itaque auctor hoc ait, e maioribus Clodii ne illum quidem Appium, qui caecus factus sit, sacris Bonae Deae

ligitur, multa in vita falso homines opinari: quum ille, qui nihil viderat sciens, quod nefas esset, lumina amisit; istius, qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit caerimonias, poena omnis oculorum ad caecitatem mentis est conversa. Hoc auctore tam casto, tam religioso, tam sancto, tam pio, potestis, Pontifices, non commoveri, quum suis dicat se manibus domum civis optimi evertisse, et eam iisdem manibus consecrasse?

XLI. Quae tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, 106
ut mihi liceret. Quid? non exceperas, ut, si quod ius non esset rogare, ne esset rogatum? Ius igitur statuetis esse, uniuscuiusque vestrum sedes, aras, focos, deos penates, subiectos esse libidini tribuniciae? in quem quisque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, huius domum non solum

interfuisse, ne quis forte putet eum poenae causa caecum esse factum.

Quum ille — lumina amisit) Quum h. l. poscebat coniunctivum *amiserit*. Markl. Hic se nimis Grammaticum, aut parum potius, prodit vir doctus. Gesn. Hoc non capio. An forte satis est, aliquid apud Ciceronem legi, ut illico Latinum habeatur? de grammatica ratione anquirere nihil necesse erit? Quae ratio hic ita poscit coniunctivum, ut, quomodo illa scriptura defendi queat, non videam. Quin omnino scribendum erat *siquidem — amisit*. Sed plura hae Orationes afferunt exempla coniunctionum, modorum, temporum, repugnante bono usu, commutatorum: ut supra §. 32; in Sen. §. 7, 14; ad Quir. §. 4, 5, 6, quibus locis et aliis plerumque notavit Ernestius. Ceterum tota sententia mirum in modum fatua est, et ipsa commemoratio Appii Caeci: nam hunc respici, non Caecilium Metellum, ut Graevius putabat, clamant omnia. Hic enim posterior viderat sane sciens, quod videre nefas erat, quum Palladium ex flammis eriperet; illius caecitas fuit naturalis, non ex ira deorum, ut significatur quidem ab Oratore et plerisque: nam diversam famam sequi putandus est Liv. IX, 29. Quod vero Graevium in errorem suum rapuit, effecitque ut putaret, Appii Caeci nunc absurde mentionem fieri, nihil aliud est, quam ipsius Auctoris imperitia scribendi, qua Appium Caecum nominavit in iis, qui interfuissent sacris, quibus interesse non liceret. W.

Non exceperas — rogatum?) Id, quod rogationi ad populum ferendae adscribi solebat: Si qvid ivs non est rogari, eivs ea lege nihilvm rogatvm. Vide Brissonii de Form. II, 19, p. 128.

affligere, quod est praesentis insaniae, quasi tempestatis repentinae, sed etiam in posterum tempus re-
407 ligione sempiterna obligare? Equidem sic accepi, Pontifices, in religionibus suscipiendis caput esse, interpretari, quae voluntas deorum immortalium esse videatur: nec est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis, quod sit iniustum atque inhonestum, arbitrere. Hominem invenire ista labes tum, quum omnia tenebat, neminem potuit, cui meas aedes addiceret, cui traderet, cui donaret: ipse quum loci illius, quum aedium cupiditate flagraret, ob eamque causam unam, una iusta illa rogatione sua vir bonus dominum se in meis bonis esse voluisset; tamen illo ipso in furore suo non est ausus meam domum, cuius cupiditate inflammatus erat, possidere. Deos immortales existimatis, cuius labore et consilio sua ipsi templa tenuerunt, in eius domum afflictam et eversam per unius hominis sceleratissimi nefarium latro-
408 cinium immigrare voluisse? Civis est nemo in tanto populo, extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At, qui aliqua se contagione praedae, societatis, em-

Una iusta illa rogatione sua) Bellas ironias suas Auctor non ita facit, ut facile intelligantur. Hanc quidem Lambinus assequi non potuit, nec Ernestius, non obesae naris viri: alter coniecit *universa illa rogatione;* alter, *iniusta.* Garatonio dumtaxat *una* vitio irrepsisse videbatur. At talia vocabula iterare, pertinet ad πάθος huius hominis. Mox *unius* superlativo additum sine controversia Latinum est, et perquam usitatum Ciceroni. Wolf.

Qui aliqua se contagione — contaminaverunt) Verba *societatis*, *emptionis*, quae male coëunt cum genitivo praecedente, glossemata esse putabat Ernestius. Quam rationem ut refellat Garatonius, ad §. 50 genitivos hos omnes pendere censet a *contagione*, ut primum universe dicatur *praeda*, dein *societas* intelligatur inita a pluribus ad coëmendum ab hasta, item fortasse ad opus ex lege Clodiana redimendum; tum *emptio* ad ipsos mancipes pertineat. — Sic levius fit,

ptionis, contaminaverunt, nullius neque privati neque publici iudicii poenam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium iudicio sceleratissimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? Ista tua pulcra Libertas, deos penates et familiares meos lares expulit, ut a te ipsa, tanquam in captivis sedibus, collocaretur? Quid est sanctius, quid omni religione 109
munitius, quam domus uniuscuiusque civium? hic arae sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra, religiones, caerimoniae continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit. Quo magis est furor istius ab auribus vestris repellendus, qui, quae maiores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactavit, sed etiam ipsius religionis nomine evertit.

XLII. At quae dea est? Bonam esse oportet, quan- 110
doquidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est. Eam tu igitur domi meae collocasti, quam ex urbe tota sustulisti? Tu, quum collegas tuos, summa potestate praeditos, negares liberos esse; quum in templum Castoris aditus esset apertus nemini; quum

ut ait poëta, quidquid corrigere est nefas. W.

Quandoquidem est abs te dedicata) Scilicet ab eo, qui paulo ante dicebatur *vir bonus*, seu, alia Latinitate huius Scriptoris, *vir bonitate praeditus*. Ipsa ironia habet puerile frigus, iunctumque vitium ambigui; nisi id forte ex industria quaesitum est, ut hic quoque de pollutis sacris Bonae Deae cogitetur. W.

Quum collegas tuos — negares liberos esse) Elatoris dictum notant, atque eo spectare, quod Clodius collegis suis ius intercedendi aut obnuntiandi eripere tentaverit. Nos declamatorie dictum putamus inepteque. Et eiusdem notae videtur, quod paulo post narratur Lentulus, seu quemquem intellexit *clarissimum virum*, a pedisequis Clodii conculcatus esse. Memoriae recurrunt *fracti fasces consulis*. Id.

In templum Castoris) In quo legem Cludius, revulsis gradibus, ne quis introire posset, contra Ciceronem tulit. Man.

hunc clarissimum virum, [1] summo genere natum, summis populi beneficiis usum, pontificem et consularem, et singulari bonitate et modestia praeditum (quem satis mirari, quibus oculis adspicere audeas, non queo) audiente populo romano a pedisequis conculcari iuberes; quum indemnatum exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis; quum principem orbis terrae virum, inclusum domi contineres; quum forum armatis catervis perditorum hominum possideres: Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quae domus erat ipsa indicio tui crudelissimi domi-
111 natus, et miserrimae populi romani servitutis? Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset?

XLIII. At unde inventa est ista Libertas? quaesivi enim diligenter. Tanagraea quaedam meretrix fuisse dicitur. Eius non longe a Tanagris simulacrum e marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioso Libertatis sacerdote, ad ornatum aedilitatis suae deportavit. Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore

(1) M. Lucullum.

Quum indemnatum exturbares) De sua eiectione loquitur personatus Cicero. Verus autem in verbo *exturbandi* non omittit ablativum, nisi ubi ex alio membro orationis subaudiri potest. Vide Or. pro Quint. c. 15, 31, pro Murena c. 22, pro Sulla c. 25, pro Sext. cap. 30, ad Att. VIII, 16: « Quaero, qui sint isti optimates, qui me *exturbent*, quum ipsi domi maneant. »

Principem) Cn. Pompeium.

Possideres) Graevius malebat *obsideres*.

Quidam homo nobilis) Insulsa irrisio Appii Claudii praetoris, quasi primo petierit aedilitatem, vel certe eius petendae populo spem fecerit, signis, quod fieri solebat, undique contrahendis, mox vero, nescio qua Pisonis cos. fraude, praeturam adeptus sit. Videtur etiam Auctor nondum satis apud animum constituisse, inimicumne adhuc Appium faceret Ciceroni, an reconciliatum. Cf. ad §. 87. Quare nos in ea re torqueri non oportet, uti accidit Garatonio. Wolf.

Non alienus) locus quidam est: loquitur enim de fratre. *Frugaliter*: Appii rapinas notat. Man.

superare. Itaque omnia signa, tabulas, ornamentorum
quod superfuit in fanis et communibus locis, tota
e Graecia atque insulis omnibus, honoris populi romani causa, sane frugaliter domum suam deportavit.
Is posteaquam intellexit, posse se, interversa aedili- 112
tate, a L. Pisone consule praetorem renuntiari, si
modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem: aedilitatem duobus in locis, partim in arca,
partim in hortis suis collocavit; signum de busto meretricis ablatum isti dedit, quod esset signum magis
istorum, quam publicae libertatis. Hanc deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamen-

Interversa) Mira est locutio. Ern. conj. *intermissa.* Sed genuinum esse videtur *interversa*, sive auctor significare voluerit, eum res ad ornatum aedilitatis comparatas in suos usus convertisse, ut Abramius interpretatur, sive cum Ferratio intelligas, eum populum aedilitate, quam pollicitus erat, fraudasse.

Prima litera competitorem habuisset) Ferratius hoc intelligit de literis in tabellis suffragiorum scriptis, quibus nomina candidatorum designabantur, ut si A. P. Appium Claudium, A. G. Aulum Postumium designaret, facile posset A. G. in A. P. corrumpi.

Signum magis istorum, quam publicae libertatis) Illam ab Appio, fratre suo, Tanagris avectam statuam graecae meretricis P. Clodius, in area Ciceronis collocatam, vertit in signum deae Libertatis. Audimus: sed quaerimus, quo sensu illa appellari possit *signum* potius *istorum* quam *publicae libertatis*. Immo, si verbis bene delectis uti vellet Orator, ita scribere debuisset: *Quod esset signum magis istorum* LICENTIAE *quam publicae* LIBERTATIS. Sic recte §. 131: *Simulacrum non* libertatis *sed* licentiae *collocasti*, ubi tamen legendum forsan *licentiae tuae*, quod pronomen facile haurire potuerunt syllabae praecedentes. Similiter Liv. III, 37: *Licentiam suam malle quam populi libertatem.* XXVII, 31: *Libertatem quum aliis vanam ostendisset, totam verterat in suam licentiam.* Ipse Cic. de Legg. II, 17, hoc aedificium Clodii vocavit *templum Licentiae.* MARKL. Si coniectura tali errorem librariorum emendandum censet; transeat, potest fieri. Sed si ex illa comprehensione *libertatis* colligit, ergo Cicero non scripsit hanc Orationem: leviculum est et facile refellendum, quum nihil sit frequentius, quam verbum unum inaequali velut iure ad duo nomina, aut duo ad unum nomen verba, referri. *Liberum* et *libertatem* etiam ad peccandi impunitatem pertinere, non est inusitatum. GESN. Iam olim fuit, nescio quis, sane prudens vir, qui coniiceret, vocem *sceleris* excidisse post *istorum*. WOLF. — *Istorum*) Quorum sorores meretricescunt. *An.*

tum sepulcri, a fure sublatam, a sacrilego collocatam? Haec me domo mea pellet? haec ultrix afflictae civitatis, reipublicae spoliis ornabitur? haec erit in eo monumento, quod positum est, ut esset indicium oppressi senatus ad memoriam sempiternam turpitu-
113 dinis? O Q. Catule (patremne appellem, an filium? recentior memoria filii est, et cum rebus meis gestis coniunctior), tantumne te fefellit, quum mihi summa et quotidie maiora praemia in republica fore putabas? negabas fas esse, duos consules esse in hac civitate inimicos reipublicae. Duo sunt inventi, qui senatum tribuno furenti constrictum traderent, qui pro me patres conscriptos deprecari, et populo supplices esse, edictis atque imperio vetarent; quibus inspectantibus domus mea disturbaretur, diriperetur; qui denique ambustas fortunarum mearum reliquias, suas in do-
114 mos comportari iuberent. Venio nunc ad patrem. Tu, Q. Catule, M. Fulvii domum, quum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, ut eius, qui perniciosa reipublicae consilia cepisset, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Hoc si quis tibi aedificanti illam porticum diceret, fore tempus, quum is tribunus plebis, qui auctoritatem senatus, iudicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, consulibus non modo inspectantibus, verum adiuvantibus distur-

A fure sublatam) Ciceronem hoc maledicto in Appium Claudium usum fuisse, recte Marklando visum est incredibile. Immo totus de Appio Claudio locus abhorret a Ciceronis ingenio.

Vltrix) Ern. et Garaton. legi malebant *victrix*, Wolfius tamen vulgatam defendit ut intelligatur *ultrix a Cicerone afflictae civitatis*.

O Q. Catule, patremne appellem) Manutius propter formam dicendi comparat Cic. Orat. c. 63, et Philipp. III, 11. Neque tamen haec similitudo hanc vim habet, ut minus frigeat totus locus usque ad finem capitis. De dicto Catuli filii vide animadversionem ad Or. in Sen. §. 9. W.

Inspectantibus) In edd. vett. ante Car. Steph. *spectantibus*.

baret, everteret, idque cum eius civis, qui rempublicam ex senatus auctoritate consul defendisset, domo coniungeret: nonne responderes, id, nisi eversa civitate, accidere non posse?

XLIV. At videte hominis intolerabilem audaciam 115
cum proiecta quadam et effrenata cupiditate. Monumentum iste nunquam aut religionem ullam excogitavit: habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas et nobiles domos coniungere. Eodem puncto temporis, quo meus discessus isti causam caedis eripuit, a Q. Seio contendit, ut sibi domum venderet: quum ille id negaret, primo se luminibus eius esse obstructurum minabatur. Affirmabat Postumus, se vivo illam domum istius nunquam futuram. Acutus adolescens ex ipsius sermone intellexit, quid fieri oporteret: hominem veneno apertissime sustulit: emit domum, licitatoribus defatigatis, prope dimidio carius, quam aestimabatur. Quorsum igitur haec oratio pertinet? domus mea illa prope tota vacua est; vix 116

Monumentum iste — excogitavit) Manifesto latuit Rhetorem, quid differrent *excogitare* et *cogitare*. Nam obiiciens Clodio, quod demolitus sit porticum vel monumentum Q. Catuli, ut in parte areae sibi domum aedificaret, dicere vult, cupidum hominem non *cogitasse de monumento* aut *religione ulla*, *neutrum* horum ab eo *spectatum* esse, sed in unum, ut laxius ipse habitaret. Discrimen verborum discere potuisset ex Cicerone suo. Famil. V, 20: «Quum rem, a me non insipienter *excogitatam*, ne *cogitatam* quidem putes.» Ad Att. IX, 6: «Ad haec *cogita*, mi Attice, vel potius *excogita*. Quemvis eventum fortius feram, quam hunc dolorem.» Nam *cogitare quippiam* est, animo agitare; *excogitare* autem comminisci, investigare, invenire. MARKL. Alii Intpp. indulgentius verbum compositum pro simplici videntur accepisse; certe is, qui tacet, Gesnerus, quem mirere hoc exemplum praetermisisse supra ad Quir. §. 11. W.

Aestimabatur) Sic Garatonius legendum censuit. Vulgo *aestimabat.*

Domus mea illa prope tota vacua est) Contendit Orator, dedicationem illam a Clodio excogitatam fuisse, non religionis causa, sed quia *habitare laxe et magnifice voluit*, *duasque et magnas et nobiles domos coniungere:* explicat autem sigillatim, quo pacto id factum sit. Clodianis aedibus proxima erat Domus Q. Seii, a P. Clodio empta: non enim potuisset ille Seii *luminibus obstruere* (i. e. fenestrarum illius domus lumina impedire

pars aedium mearum decima ad Catuli porticum accessit. Causa fuit ambulatio, et monumentum, et ista Tanagraea, oppressa libertate, Libertas. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum, cetera eiusmodi, facile ut omnium domos et laxitate et dignitate superaret. Et homo religiosus, quum aedes meas idem emeret et venderet, tamen illis tantis tenebris non est ausus suum nomen emptioni illi adscribere. Posuit scilicet Scato-

contra structo pariete), nisi proxime habitasset. Post Q. Seii domum porticus erat Catuli, eandemque porticum ab altera parte attingebat Ciceronis domus. Itaque Clodius disiecit monumentum Catuli, quandam etiam illarum aedium partem, quae Ciceronis fuerant, et aream praeclaram quum haberet, novam ipse porticum extruxit, dedicavitque Libertati: *in Palatio, pulcherrimo prospectu* etc. Videlicet laxe habitare voluit, ut dictum est. Hinc porro nemo ignorat, qua ratione Seianam et Tullianam, magnas et nobiles domos, coniunxerit, quum media inter utramque porticus esset a P. Clodio exstructa. Sed iam ad alterum locum aggredior: *Domus mea illa prope tota vacua est*, non impedita religione, neque per Pontificem dedicata; rationem quoque statim affert: *vix pars aedium mearum decima ad Catuli porticum accessit.* Haec pars tantummodo et religioni poterat esse obnoxia, et an posset restitui, nec ne, cognoscere Pontifices debebant: reliqua enim domus, quam alieno nomine ab hasta emptam Clodius possidebat, et cuius inferiorem partem genti suae Clodiae assignaverat, ab omni religione vacua erat, et sine controversia restituenda; adeoque sic prosequitur Cicero: *Causa fuit ambulatio* etc. Nollam, inquit, religionem P. Clodius excogitavit; meas illas aedes occupare voluit, easque cum Seiana domo coniungere; aliquam tamen partem addidit ad porticum Catuli duas ob causas, tum ut mea etiam domus videretur Libertati dedicata, ne quando per Senatum restitueretur, tum ut porticum ipse haberet magis amplam et splendidam ad deambulandum. Sic decrevisse Pontifices de Ciceronis domo dicuntur ad Att. IV, 2: *Videri posse sine religione partem areae mihi restitui.* Cur non totam aream? Quia decima tantum aedium pars dedicata fuerat, et domus prope tota a religione iam vacua erat. Quid enim de eo decernerent, quod non venerat in controversiam, quod restitutum iam erat a Senatu? W.

Causa fuit — Libertas) *Causa* hoc quoque loco accipitur pro *praetextu*, ut §. 11. Sed ne sic quidem omnia satis intelligimus; id apparet, Ernestium infeliciter coniecturam experiri. Id.

Tenebris) Pantagath. correxit *tantis in tenebris.*

Scatonem — in Marsis) Non habeo dicere, unde sumta sit forma loquen-

nem illum, hominem sua virtute egentem, ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum, quod imbris vitandi causa succederet, nullum haberet, aedes in Palatio nobilissimas emisse se diceret. Inferiorem aedium partem assignavit non suae genti Fonteiae, sed Clodiae, quam reliquit: quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus. Hanc vos, Pontifices, tam variam, tam novam in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem comprobabitis?

XLV. Pontifex, inquit, affuit. Non te pudet, quum 117
apud pontifices res agatur, pontificem dicere, non collegium pontificum affuisse: praesertim quum tribunus plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam co-

di, *homo sua virtute egens*; sed videtur ea mibi Rhetoris ingenium redolere. Viri nomen mutuatus est, ni fallor, ex Philipp. XII, 11: «Cn. Pompeius, Sexti F. Consul, me praesente, quum essem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio *Scatone*, duce *Marsorum*, inter bina castra colloquutus est. MASKL. Vt ironiam faceret, de industria quaesivit ambiguum. Nam, proprio sensu, is bonus et fortis est, qui *eget virtute sua*, h. e. cui virtus sua est causa egestatis. W.

Quod imbris) Ita codd. MSS. complares et edd. vett. ante Lamb. qui edidit *quo*.

Quem in numerum) Puta, in numerum eorum, quibus partem aedium Clodius assignaverat. Quod quid sit, aut qualis assignatio, parum explicat homo balbutiens. Rem ad testamentum referri volebat Hotomanus. W.

Voluntatem, impudentiam) Guilel. coni. *volutatam impudentiam* probante Grutero.

Pontifex, inquit, affuit) Abrupte transit ad aliam rem, Pontificis, qui consecrationi praefuerit, indignitatem. Ob cerimoniam confer, si tanti videtur, Gutherii de Iure Pontif. III, 11.

Praesertim quum tribunus pl. — cogere) Fuit quidem populi, teste Livio et alibi et IX, 46, mandare sacerdoti cerimonias in talibus dedicationibus peragendas: sed dubitari debet, an populo vel tribuno pl. ius fuerit cogendi alium sacerdotem (unus enim sufficiebat), ut adesset invitus, ac, si recusaret, multam exigendi. Quippe huc pertinet verbum *cogendi*. Dionysius Halic. A. R. II, 73, cuius maxima in hoc genere auctoritas est, tradit Pontifices fuisse ἀνυπευθύνους πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, i. e. *immunes a iudiciis et multa*, ut Graevius quoque vertit: certissimum tamen est, Pontificem max. habuisse ius multae sacerdotibus indicendae. Cuius rei exstant duo luculenta exempla apud Liv. XXXVII, 51; XXXX, 42, et aliud in Cic. Philipp. XI, 8. Legimus

gere? Esto: collegium non adhibuisti. Quid? de col-

quidem his locis, multam, a Pontifice max. dictam, remisisse populum: sed accuratius excussi docebunt, in rebus ad sacra pertinentibus omnino Pontifici max. paruisse reliquos sacerdotes omnes: etsi iis ab sententia eius sine dubio provocare licuit ad populum, praesertim in causis civilibus, quales illae sunt apud laudatos scriptores. Nisi igitur tribuno pl. legitima consuetudine licuit cogere et compellere sacerdotem ad functionem muneris sui, haec ignorantia Auctoris erit nobis argumentum novum peregrinitatis. MARKL. Non pugnabo auctoritate, neque dicam, Gutberium, quum de iure pontificio ageret II, 1, damnare Dionysium hic maluisse, quam Orationem pro Domo. Sed peto ab iis, qui sedent harum vindiciarum iudices, ut historiam Rom. et totum velut tenorem antiquitatis considerent. Nemo in Roma libera proprie est ἀνυπεύθυνος, solus populus habet summam rerum omnium potestatem, ad hunc semper provocatio est, quam qui tollit vel laedit, perduellionis reus fit etc. Ergo verum dicit Dionysius in tantum, quatenus ipsi rationem non coguntur ordinarie reddere suarum actionum, sententiarum: non quasi ipsi tyrannico more grassari in suas Vestales, in Pontifices alios, in scribas, nedum in alium quempiam civem Rom. possent. Et provocatum esse ad populum, ac de multa certatum, quam dixerant Pontifices, multamque remissam a populo, exempla sunt apud Livium et ipsum Ciceronem ll. cc. Provocant apud Liv. XXXIII, 42, ipsi, quum quaestor tributa ab illis exigeret, ad tribunos frustra. Vt sciamus, quam ἀνυπεύθυνοι Pontifices fuerint etiam ante haec tempora Clodiana, ubi reges et tyranni erant tribuni, audiamus Asconii ad Milon. cap. 12 narrationem: « Quo tempore Sex. Peduceus tribunus pl criminatus est L. Metellum Pont. max. totumque collegium Pontificum, male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret; isque et utrasque eas et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. » An Asconius etiam Romae peregrinatur? Pontifices cogere non possunt tribuni? At vix adolescente tribunatu ad censorem Appium tribunus pl. Sempronius apud Liv. IX, 34: *Nisi*, inquit, *Aemiliae legi parueris, in vincula duci te iubebo.* Hoc idem facit Marius tribunus pl. adolescens, ut consules in ipso senatu in vincula duci iubeat. V. Plut. in Vita p. 407 D. Flavius tribunus pl. Metellum consulem in carcerem ducit, comitante hunc senatu: qua de re qui Dionem consuluerit XXXVII, 50, p. 142, et quos advocavit ibi Fabricius, ille mirabitur, potuisse dubitare Marklandum, quid potuerit ea tempestate Clodius. Et quid nam dicitur potuisse? *Vel denuntiare Pontificibus, vel etiam illos* cogere. Fac *cogere* hic esse vim adhibere: quid tum non potuit Clodius? Sed ne opus quidem est hac significatione: *cogere* est nomine populi iubere ut conveniant, ut muneris sui parte fungantur, sicut *cogunt senatum* consules etiam sine pignorum captione, solis dimissis viatoribus etc. Ne quidem opus erat longa disputatione. Populus Romae potest omnia. Sic olim, Livio teste IX, 46, *coactus consensu populi Cornelius Bar-*

legio quis tandem affuit? posuerat enim auctoritatem
in uno, quae est in his omnibus: sed tamen auget et
aetas et honos dignitatem. Opus erat etiam scientia:
quam etsi omnes consequuti sunt, tamen certe peri-
tiores vetustas facit. Quis ergo affuit? Frater, inquit, 118
uxoris meae. Si auctoritatem quaerimus, etsi id est
aetatis, ut nondum consequutus sit, tamen quanta
est in adolescente auctoritas, ea, propter tantam
coniunctionem affinitatis, minor est putanda. Sin
autem scientia est quaesita; quis erat minus peritus,
quam is, qui paucis illis diebus in collegium venerat?
qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti,
quum se, fratrem uxoris tuae, fratri tuo germano
antelatum videbat. Etsi in eo providisti, ne frater
te accusare posset. Hanc tu igitur dedicationem ap-

batus Pontifex mox. verba procire, aedem concordiae dedicante aedile Flavio. Porro anima, vox, instrumentum populi erant tribuni, tribunorum importunissimus Clodius. Gesn. Potuit omnia populus: quis dubitet? at Marklandus loquebatur de iuris consuetudine tempore Ciceronis. Nisi subtilius disputare didicisset, ista omnia et ipse afferre poterat. Wolf.

Posuerat enim auctoritatem in uno) Rectius scripsisset, *opus enim erat auctoritate*; uti paulo post, *opus erat scientia*. Quamquam prius nondum sic ad exactam regulam redigitur. Markl. Haud dubie vult dicere. Putavit, vel in uno Pontifice eandem auctoritatem esse, quae est in universo collegio. W.

Auget et aetas et honos dignitatem) Vel scripsit auctor *sed tamen auget aetas honoris dignitatem*, vel, ut Wolfius monet, supervacuum est *et honos*.

Frater uxoris meae) Fratrem uxoris Clodii intelligunt L. Pinarium Nattam, comparatis locis or. pro Murena c. 35, et Att. IV, 8. Bene tamen monuit Wolfius post Garatonium a Perizonio animadv. hist. p. 200, plus positum quam esset in testimoniis auctorum, ut liquido non constet an unquam Pinaria Clodii uxor fuerit, praesertim quum anceps sit significatio fratris.

Quanta est — minor est putanda) Prava haec Latinitas utrum Scriptoris sit, an librariorum, diiudicare non audeo. Nemo enim est, qui non exspectet *quantacumque* vel *quanta quanta*. W.

Antelatum) In petitione Pontificatus adiuvit Clodius Nattam potius, quam Ap. Claudium, cui tamen aliqua alia ratione satisfecit. Fern.

Ne frater te accusare posset) Hotomanus hoc de Caio, P. Clodii fratre, accepit, qui veneno sit sublatus. Manutius et Ferratius de Appio, cui Clodius praeterea et concilianda vel

pellas, ad quam non collegium, non honoribus po-
puli romani ornatum pontificem, non denique ado-
lescentem quemquam, quum haberes in collegio fa-
miliarissimos, adhibere potuisti? Affuit is, si modo
affuit, quem tu impulisti, soror rogavit, mater coëgit.
119 XLVI. Videte igitur, Pontifices, quid statuatis in
mea causa de omnium fortunis. Verbone pontificis
putatis, si is postem tenuerit et aliquid dixerit,
domum uniuscuiusque consecrari posse? An istae
dedicationes, et templorum et delubrorum religiones,
ad honorem deorum immortalium, sine ulla civium
calamitate, a maioribus nostris constitutae sunt? Est
inventus tribunus plebis, qui consularibus copiis
instructus, omni impetu furoris in eum civem irruerit,
quem perculsum ipsa respublica suis manibus extol-
120 leret. Quid, si quis similis istius (neque enim iam
deerunt, qui imitari velint) aliquem mei dissimilem,
cui respublica non tantum debeat, per vim afflixerit,
domum eius per pontificem dedicarit: id vos ista
auctoritate constituetis ratum esse oportere? Dicetis,
quem reperiet pontificem? Quid? et tribunus plebis
idem esse non potest et pontifex? M. Drusus ille, cla-
121 rissimus tribunus plebis, pontifex fuit. Ergo, si is Q.
Caepionis, inimici sui, postem aedium tenuisset, et
pauca verba fecisset, aedes Caepionis essent dedicatae?

similibus beneficiis satisfecerit. Holomanni suspicionem confirmari posse e c. 10, ubi P. Clodius fratricida vocatur, et e c. 16 orat. de Harusp. resp. ubi dicuntur Clodii arbitrato omnia venena tractari Wolfius monuit.

Adolescentem quemquam) H. e. qui tibi non esset assiduis, ut bene Ferratius. W.

Verbone pontificis — consecrari posse?) Sic e duobus codd. edidit Lall. quem cum Beckio sequor, eandemque lectionem probaverunt I. F. Gron. Garat. Wolf. Lambinus ediderat *verbone pontificum putatis, pontifices, si is — consecrare posse.* Graevius *Ergone pontifices putatis, si is* (scil. frater uxoris) *postem — consecrari posse.* Ernestius: *Ergone pontificem putatis — consecrare posse.*

An istae) Graev. Ern. *at istae.*

Nihil loquor de pontificio iure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, caerimoniis: non dissimulo me nescire ea, quae, etiamsi scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer: etsi effluunt multa ex vestra disciplina, quae etiam ad nostras aures saepe permanant. Postem teneri in de-

Postem teneri — templi) Non dubitabat modo prae se ferre iguorantiam iuris pontificii; etsi multa in illa disciplina esse, quae ad aliorum aures permanarent. Ex quibus multis, ecce, nunc specimen profert: *postem teneri oportere in dedicatione templi.* Mirifica, hercle, res, quam hic *videtur audisse!* Ciceronem, hominem institutorum patriae peritissimum, ita futiliter hoc, velut arcanum, susurrare, quod nemini puero in Vrbe obscurum esse potuit! Nam dedicationis templorum publicam fuisse cerimoniam, coram populo fieri solitam, arguit Plutarchus in Vit. Poplic. pag. 104 referens de templo Iovis Capitolini per Horatium Pulvillum dedicato: Ἠθροισμένων ἁπάντων εἰς τὸ Καπιτώλιον ὁ μὲν Ὡράτιος κ. τ. λ. «Congregata concione, silentio indicto peractisque rebus reliquis, *postem de more tenens*, effatur solemnem dedicationis formulam.» Publice etiam et a populo, ut praediximus, constitui solebat huic rei sacerdos, itemque magistratus. Igitur aut ego nescio, quid sit peregrinari in civitate sua, aut hic facit Auctor profecto. MARKL. Dissimulat Cicero suam pontificii iuris scientiam. At mihi hoc ipsum vel maxime Ciceronianum videtur, h. e. eius civis, qui suos cives optime nosset, qui in omnibus rebus, quid opus esset, videret. Qua ex causa dissimulavit Tullius in oratione de signis Verr. IV, 3, suam Graecorum artificum notitiam et intelligentiam artificiorum; qua causa excusavit philosophiae in Murena defendendo c. 30 cognitionem; qua interiores literas apud populum semper occultat: eadem causa Pontificum se disciplinae non satis consultum fingit, arcanae nimirum, religionum aliarum modo, quae ut oracula quaedam non minus quam fasti olim, quam iuris actiones et formulae, a Pontificibus petebantur. Vnde Liv. VI, 1: «Quae ad sacra pertinebant, a Pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa.» Decori ergo seu decentiae rationem, ut solet, hic etiam habet Tullius: dissimulat notitiam earum rerum, quas forte melius plerisque Pontificum ipse tenebat. Formularia fuit, uti omnia tum Romae, disciplina Pontificum, libris comprehensa pontificalibus, quos habere forte nec licebat sine curiositatis crimine; certe non curabant habere vulgo homines, ut ne quidem officiorum suorum commentarios: unde fiebat, ut omnia a scribis repeterent, qua de re querelam Ciceronis, ex fine operis de Legibus, ad c. 28 memorabam. Ergo decens valde hic locus est et dignus illa Tullii prudentia, si quis alius. Conf. c. 54. GESN. Semel professus sum, contrarias animadversiones me allaturum omnes: sed non ubique necesse habeo aliquid subnotare. Pro suo quisque captu interpretetur silentium nostrum. W.

dicatione oportere videor audisse templi. Ibi enim postis est, ubi templi aditus est et valvae. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando: simulacrum autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed iam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem postem tenuisse dixisti.

122 XLVII. Quamquam quid ego de dedicatione loquor? aut quid de vestro iure et religione contra quam proposueram disputo? Ego vero, si omnia solemnibus verbis, veteribus et priscis institutis acta esse dicerem, tamen me reipublicae iure defenderem. An, quum tu eius civis discessu, cuius unius opera senatus atque omnes boni civitatem esse incolumem toties

Ibi enim postis est — valvae) In hac misera sententia, scire velim, quorsum spectet *enim*. Mihi id non alium usum habere videtur, quam supra §. 84 in verbis, *nihil* enim *poterat dicere*, id est, nullum usum; et utroque loco omnes Dialecticos advocandos censeo, ut interiore sapientia succurrant. Dum id fiat, vix dubitem, quin *autem* melius scriptum fuerit. Markl. Non ego opus hic esse Logicorum arcanis quibusdam praeceptionibus; sano tantum et communi sensu opus esse arbitror. Rationalis particula causam affert, cur postem in dedicando teneat Pontifex. Dedicatione per certa symbola traditur deo sua domus: quod autem significantius est symbolum, quam postem et valvas ianuae velut tradere, aperiendi et claudendi ius illi dare. Traditio, inquam, quaedam est dedicatio. Itaque nunc magistratus postem tenere dicitur, ut ille Horatius Pulvillus in Capitolio ap. Liv. II, 8, qui tradit Iovi suam aedem; nunc Pontifex, ut hic, qui nomine dei, cuius personam gerit, eam accipiat. Cur ergo postem tenet in dedicando templo Pontifex? Quia ibi est aditus templi. Hoc non convenit in ambulatione seu porticu, quae ubique patet, tota porta est etc. Eadem, et apertior etiam, ratio est alterius loci c. 32, ubi mihi, et puto quicumque recte intelligunt, rationalis particula unice convenire videtur: « L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu: *recte fecit*: nihil *enim* poterat dicere, quare rata non essent, quae erant acta in ea republica, in qua se censorem esse voluisset. » Eo ipso, quod censor fieri voluit, probare statum reipubl. qui tum erat, probare res iudicatas et acta magistratuum, etiam quantum ad iniuriam suo avunculo factam, debuit. Gesn.

Ubi templi aditus) Lambin. malebat *ubi enim postis est, ibi templi aditus est.*

Loquor? — disputo?) Sic Ern. qui *disputo* invenit in MS. Guelf. Vulgo *loquar — disputabo.*

Priscis) Cod. Franc. Iannoct. Barb. *publicis* probante Graevio. Vulg. *priscis* defendit Ruhnken ad Vell. I, 16.

iudicassent, oppressam teterrimo latrocinio cum duobus sceleratissimis consulibus rempublicam teneres; domum eius, qui patriam a se servatam perire suo nomine noluisset, per pontificem aliquem dedicasses:
posset recreata respublica sustinere? Date huic reli- 123
gioni aditum, Pontifices: iam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An, si postem tenuerit pontifex, et verba, ad religionem deorum immortalium composita, ad perniciem civium transtulerit, valebit ad iniuriam nomen sanctissimum religionis: si tribunus plebis verbis non minus priscis, et paene solemnibus, bona civis cuiuspiam consecrarit, non valebit? Atqui C. Atinius, patrum memoria, bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor eiecerat, avi tui, Q. Metelle, et tui, P. Servili, et proavi tui, P. Scipio, consecravit, foculo posito in rostris, adhibitoque tibicine. Quid tum? num ille furor tribuni plebis, ductus ex nonnullis perveterum temporum exemplis, fraudi Metello fuit, summo illi et clarissimo viro? Certe non fuit. Vidimus, hoc idem Cn. 124
Lentulo censori tribunum plebis facere. Numquid igitur is bona Lentuli religionibus obligavit? Sed quid ego ceteros? Tu, tu, inquam, capite velato, concione advocata, foculo posito, bona tui Gabinii, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumque donaras, consecrasti. Quod si tum nihil est actum,

Domum eius — respublica sustinere) I. e. *domumque eius*: nam etiam huc pertinet particula *quum*. Quamquam omnis constructio vitiosa est: *quum domum dedicasses, possetne id resp. sustinere?* Et quid deinde est *fortunis exitum reperire?* Divinare hoc satis commode possumus, non interpretari: nisi forte *exitus* concione relatus est ad *aditum*.

Date huic religioni aditum) Sic Grut. e Pal. 9, Erf. Gembl. Olim edebatur *date de hac religione aditum*.

C. Atinius) C. Atinius Labeo trib. pl. A. V. C. 623.

Q. Metelli) Macedonici.

Q. Metelle) Q. Metellum Creticum alloquitur, et P. Servilium Isauricum, et P. Scipionem socerum Pompeii M.

Tu, — bona tua Gabinii — conse-

quid in meis bonis agi potuit? sin est ratum, cur ille gurges, heluatus tecum simul reipublicae sanguinem, ad caelum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus aerarii; mihi meas ruinas, quarum ego similem totam urbem esse passus non sum, adipiscere non licuit?

125 XLVIII. Omitto Gabinium. Quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Ninnius, vir omnium fortissimus atque optimus, consecravit? Quod si, quia ad te pertinet, ratum esse negas oportere, ea iura constituisti in praeclaro tribunatu tuo, quibus in te conversis recusares, alios everteres? sin ista consecratio legitima est: quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit? An consecratio nullum habet ius, dedi-

crasti) Intell. eo tempore, postquam Gabinius a Clodianis partibus discessisset, de quo notavimus §. 67. De villa hominis Tusculana vide in Pis. §. 48, et pro Sext. §. 93. Wolf.

Exstruit) Hoc e codd. Franc. Barb. aliis reposuit Beck., probantibus Wolfio et Garatono pro vulg. *exstruxit*; ut significetur eum etiam tum in exstruenda ista villa fuisse occupatum.

Totam urbem esse passus non sum) Hoc est, ego in consulatu meo obstiti, et impedii ne tota urbs in tales ruinas converteretur, quales nunc sunt rudera meae domus. *Anon.*

L. Ninnius) Sic Beckius auctoribus Garatono et Wolfio rescripsit. Est L. Ninnius Quadratus. Vulg. *L. Mummius.*

Ea iura — recusares — everteres?) Hotomano scribendum videbatur *uti recusares*. Bene quidem; sed non suspicabatur vir doctus tantam egestatem et misera effugia, ad quae hunc Auctorem saepe detrudit imperitia scribendi. Markl. An forte *recusare* ita dativo iungere voluit, ut *excusare* construitur posteriore aetate Latinorum? Wolf.

An consecratio nullum habet ius dedicatio est religiosa?) Ad hunc locum disputat Graevius de discrimine inter *consecrationem*, et *dedicationem*. Quae tota disputatio hanc summam habet, ut *consecrationem locorum, arearum, agrorum* dicat; *dedicationem* autem *templorum, ararum, simulacrorum*. Sic a Clodio dicit *consecratam esse aream Ciceronianae domus*; at *simulacrum Libertatis in area dedicatum*. Tamen in hac ipsa oratione potuerat videre Graevius *consecrare*, et *dedicare*, iisdem in rebus dici nullo discrimine. *In dedicatione*, inquit, *postis tenebatur*. Etiamne quum ara, simulacrum dedicaretur? *Dedicatio*, inquit, fiebat populi iussu. An non et *consecratio*? Infra c. 49: *Video esse legem veterum tribunitiam, quae vetet, iniussu plebis, aedes, terram, aram consecrare*. Graevium decepit locus initio propositus, in quo *consecratio* et *dedicatio* distingui vi-

catio est religiosa? Quid ergo illa tua tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem voluisti? Nam si est illud ratum; mitto Gabinium; tua domus certe, et, quidquid habes aliud, est Cereri consecratum: sin ille tibi ludus fuit, quid te impurius, qui religiones omnes pollueris aut ementiendo, aut stuprando? « Iam fateor, inquit, in Gabino me nefarium 126
fuisse. » Quippe vides, poenam illam a te in alium institutam, in te ipsum esse conversam. Sed, homo omnium scelerum flagitiorumque documentum, quod in Gabinio fateris, cuius impudicitiam pueritiae, libidines adolescentiae, dedecus et egestatem reliquae vitae, latrocinium consulatus vidimus; cui ne ista quidem ipsa calamitas iniuria potuit accidere: id in me infirmas? et gravius esse dicis, quod uno adolescente, quam quod concione tota teste, fecisti?

XLIX. Dedicatio magnam, inquit, habet religionem. 127
Nonne vobis Numa Pompilius videtur loqui? discite orationem, Pontifices, et vos flamines; etiam tu, rex,

dentur. Atqui sensus eius hic est: An *consecratio* aedium, bonorum nullum habet ius, si iniussu populi facta est: *dedicatio* autem, sive consecratio simulacri Libertatis tantam religionem affert, tantaque religione obligat aream? Scilicet Cicero non distinguit consecrationem a dedicatione in genere; sed absurdum esse dicit eiusdem rei, hoc est, consecrationis, sive dedicationis, diversam vim statui pro diversis obiectis; quum in hac ceremonia, non res in qua adhibeatur, sed ipsa consecrandi dedicandique ceremonia et sanctitas spectetur. Ern.

Voluisti) Plurimi codd. MSS. *quid voluisti.* Pronomen recte deleverunt P. Manut. aliique editores, nuper etiam Wolf.

Quod in Gabinio fateris — id in me infirmas) Quod concedis, nefarie te egisse in Gabinii bonis consecrandis, id de mearum aedium consecratione valere negas? Nihil, opinor, insulsius esse potest ipsa illa fictione concessionis. Wolf.

Id in me infirmas) Non idem ais de mearum aedium consecratione. Man.

Etiam tu, rex) Scil. rex sacrorum L. Claudius. Har. Resp. cap. 6, gentilis Clodii.

disce a gentili tuo: quamquam ille gentem istam reliquit: sed tamen disce ab homine religionibus dedito, iusto, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione, nonne, et quis dicit, et quid, et quomodo, quaeritur? An tu haec ita confundis et perturbas, ut, quicumque velit, quod velit, quomodo velit, possit dedicare? Quis eras tu, qui dedicabas? quo iure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? ubi te isti rei populus romanus praefecerat? Video enim esse legem veterem tribuniciam, quae vetet, iniussu plebis aedes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia aut possessiones indemnatorum civium consecrarentur. Neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam
428 deterrere videretur, quam admonere. Sed quia consecrabantur aedes, non privatorum domicilia, sed quae sacrae nominantur; consecrabantur agri, non ita ut nostra praedia, si quis vellet, sed ut imperator agros de hostibus captos consecraret; statuebantur arae, quae religionem afferrent, ipso si loco essent

Gentem istam reliquit) Adoptione scil. in familiam plebeiam.

Legem veterem tribuniciam) Ergo Q. Papirius tribunus pl. legem tulerat de consecratione rerum, qua lege erat cautum, ne quis quid iniussu populi consecraret; id omissum erat, ne quis indemnati civis bona consecraret. Nos neque hunc Q. Papirium, nec legem eius aliunde novimus, verum ea h. l. ita describitur, vix ut operae pretium videatur eam ferri. Wolf.

Non ita ut) Hic non satis est, singula vocabula reprehendere, ut Graevius fecit et Ernestius: universus locus et sententia et constructione misere laborat. Sed nihil ad vivum reseco, nausea victus. Id.

(1) MSS. nonnulli ut Franc. Dresd. Guelf. addunt *ipsi*. Alii *ipso*. Graevius et Ernestius utrumque delendum censuerunt.

Si loco) Hoc est statuebantur arae, quae religiosum reddebant id, ubi erant constitutae, si loco, hoc est suo seu commodo loco, iure et legitime essent consecratae. Hanc enim vim *loco consecrare* habet. Terent. Adelph. II, 2: *Pecuniam loco negligere, maximum interdum est lucrum.* Cicero pro Milone: *Quem iure, quem*

consecratae: haec, nisi plebs iussisset, fieri vetuit. Qnae si tu interpretaris de nostris aedibus atque agris scripta esse, non repugno: sed quaêro, quae lex lata sit, ut tu aedes meas consecrares; ubi tibi haec potestas data sit; quo iure feceris. Neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrum, nec de pontificio, sed de iure publico disputo.

L. Lex Papiria vetat, aedes iniussu plebis consecrari. Sit sane hoc de nostris aedibus, ac non de publicis templis. Vnum ostende verbum consecrationis in ipsa tua lege: si illa lex est, ac non vox sceleris et crudelitatis tuae. Quod si tibi tum in illo reipu- 129
blicae naufragio omnia in mentem venire potuissent, aut si tuus scriptor in illo incendio civitatis non syngraphas cum Byzantiis exsulibus et cum legatis regiis faceret, sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet: esses omnia, si minus re, at verbis legitimis consequutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum, foedera feriebantur provincia-

loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere. GRAEV.

Quod si — naufragio) Ioculares sunt hi terrores, modo *naufragium*, iam *incendium*. Scilicet in vita hominum nulla sola est calamitas. Mox de scriptore scitorum vel legum, Sex. Clodio, vide §. 47. Ei tribuuntur factae cum Byzantiis exsulibus, cum legatis regum, syngraphae eiusmodi, ut paeisceretur pecuniam, pro qua P. Clodius illis reditum in patriam, his regale nomen per tribunitias rogationes conficeret. Sic bene Ferratius, item Ernestius, qui et seqq. verborum *si minus* etc. sensum sic aperit: Non tu quidem vere ius accepisses istorum faciendorum, quia tota lex est vitiosa, at verbis tamen; quia in lege scriptum esset, ut tu consecrare mea bona posses. Ad syngraphas conf. de H. R. §. 29 et 34. WOLF.

Foedera feriebantur provinciarum) Vidit Graevius, Clodii transacta cum Pisone et Gabinio de provinciis priora fuisse ceteris rebus, quae hic commemorentur; simul miratur, quid sit *foedera provinciarum ferire*; itaque, mutata interpunctione, sic legendum putat: *foedera feriebantur, provinciarum regum app. venales erant.* At nos vicissim miramur, quid nunc sint *appellationes provinciarum*, et qui illae *venales* esse potuerint eo sensu, quo *regum*: neque adeo in vulgata distinctione ullam difficultatem reperimus. Vt enim notissima loquutio est *foedus ferire*, sic *foedus*

rum, regum appellationes venales erant, servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio, inimici in gratiam reconciliabantur, imperia adscribebantur nova iuventuti, Q. Seio venenum misero parabatur, de Cn. Pompeio, propugnatore et custode imperii, interficiendo consilia inibantur, senatus ne quid esset, ut lugerent boni semper, ut capta respublica consulum proditione, vi tribunicia teneretur. Haec quum tot tantaque agerentur, non mirum est, praesertim in furore animi et caecitate, multa illum et te fefellisse.

130 LI. At videte, quanta vis sit huius Papiriae legis, in re tali; non qualem tu affers, sceleris plenam et furoris. Q. Marcius, censor, signum Concordiae fecerat, idque in publico collocarat. Hoc signum C. Cassius censor quum in curiam translulisset, collegium vestrum consuluit, numquid esse causae videretur, quin id signum curiamque Concordiae dedicaret. Quaeso, Pontifices, et hominem cum homine, et tempus cum tempore, et rem cum re comparate. Ille erat summa modestia et gravitate censor: hic tribunus plebis, scelere et audacia singulari. Tempus illud erat tranquillum, et in libertate populi et gu-

provinciarum saepe legitur in hisce libris et apud ipsum Ciceronem de Clodiana ista cum consulibus pactione Macedoniae et Syriae, ad Ciceronis exitium facta: tanquam pro Sext. cap. 10, 14, 15, in Pis. cap. 12, in Sen. cap. 7, ad Quir. cap. 5. Quod autem parum in tempore iniecta notatur mentio eius foederis, id verissimum est, et addendum tot similibus erroribus, quos in his Oratt. deprehendimus. Markl.

Imperia describebantur nova iuventuti) In plerisque MSS. legitur *imperia adscribebantur novae iuventuti* Lambinus in MSS. Memm. *imperia adscribebantur nova iuventusque se iuvenum*; unde hanc lectionem constituit: *imperia scribebantur nova: Q. Seio* etc. Panthagathus malebat *imperia adscribebantur, inveniebantur;* Gulielm. *imperia adscribebantur nova e iuventute;* Garaton. *imperia adscribebantur nova iuventuti.* Optimum fuerit cum Beckio scribere *imperia adscribebantur nova iuventuti.*

Tempus — in libertate) Minime ferenda Latinitas. Mox probabilis

bernatione positum senatus: tuum porro tempus, li-
bertate populi romani oppressa, senatus auctoritate
deleta. Res illa plena iustitiae, sapientiae, dignitatis.
Censor enim, penes quem maiores nostri (id quod tu
sustulisti) iudicium senatus de dignitate esse volue-
runt, Concordiae signum volebat in curia, curiam-
que ei deae dedicare. Praeclara voluntas, atque omni 131
laude digna. Praescribere enim se arbitrabatur, ut
sine studiis dissensionis sententiae dicerentur, si se-
dem ipsam ac templum publici consilii religione Con-
cordiae devinxisset. Tu quum ferro, quum metu,
quum edictis, quum privilegiis, quum praesentibus
copiis perditorum, absentis exercitus terrore et minis,
consulum societate et nefario foedere, servitute op-
pressam civitatem teneres, Libertatis signum posuisti
magis ad ludibrium impudentiae quam ad simulatio-
nem religionis. Ille in curia, quae poterat, sine cuius-
quam incommodo, dedicabat: tu in civis optime de
republica meriti cruore ac paene ossibus simulacrum
non libertatis publicae, sed licentiae, collocasti. Atque 132
ille tamen ad collegium retulit: tu ad quem retulisti?
Si quid deliberares, si quid tibi aut piandum, aut

coniectura est Lambini, *de senatus dignitate*; nisi Auctor dicere voluit *de dignitate cuiusque*, ut Censor potestatem suam nomine senatus exercere significetur. WOLF.

Positum senatus — sustulisti) Censores in recitando senatu, praeteritis indignis, cum cuique locum dabant, quem cuiusque dignitas postularet. Hoc etiam Clodius lata lege sustulerat. FERR.

Curiamque) Car. Steph. et Lamb. *aramque*.

Praescribere enim se — concordiae devinxisset) Planioribus verbis: Sperabat in senatu prolinus nullas dissensiones futuras esse, si curiam deae Concordiae dedicasset. Vah, callidum consilium! praeclaram voluntatem! WOLF.

Absentis) C. Caesaris.

Licentiae) Marklandus addendum putabat *tuae*.

Si quid deliberares — detulisses) Subaudi *iure*, *recte*: ita *detulisses* est pro *deferre debuisses*. Vt §. 70, *indicarent*, omnium MSS. lectio, est pro *iudicare deberent*. Neutrum per se satis Latine. WOLF.

instituendum fuisset religione domestica; tamen, instituto ceterorum vetere, ad pontificem detulisses: novum delubrum quum in urbis clarissimo loco, nefando quodam atque inaudito instituto, inchoares; referendum ad sacerdotes publicos non putasti? At, si collegium pontificum adhibendum non videbatur; nemone horum tibi idoneus visus est, qui aetate, honore, auctoritate antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares? quorum quidem tu non contempsisti, sed pertimuisti dignitatem. An tu auderes quaerere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo (quorum ego consilio atque auctoritate rempublicam consul ex vestris manibus ac faucibus eripui) quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, civis domum consecrares; deinde civis eius, cui princeps senatus, cui etiam ordines omnes, deinde Italia tota, post cunctae gentes, testimonium huius urbis atque imperii conservati dedissent? Quid diceres, o nefanda et perniciosa
132 labes civitatis? « Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praeeatis, postemque teneatis. » Es tu quidem quum audacia, tum impudentia singulari: sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, quum te viri, qui sua dignitate personam populi romani atque auctoritatem imperii sustinerent,

Faucibus) Codd. Lamb. it. Franc. Dresd. *facibus*.

Princeps senatus) Ambigne et parum usitate scripsit Auctor, si intelligi voluit *primo* s. primum *senatus*; importune vero, si, quod verisimilius est, de aliquo *senatus principe* loqui voluit, ut Q. Catulo, quo censente Cicero primus Romanorum parens patriae appellatus est. Conf. Or. in Pis. cap. 3. WOLF.

Ordines) *Tum etiam ordines* cod. S. Victor. et Car. Steph. probante Garatonio.

Ades, ades — dum dedico — teneatis) Ex h. l. Brissonius de Form. I, p. 126 (103), excerpsit verba sollemnia, quibus Pontifex magistratum vocare consuevisset ad illam caerimoniam. Qua de re nihil esset dubitandum, si alibi simile exemplum exstaret: nunc nihil aliud quam sententiolam ipsius scriptoris legere nobis videmur. De totius loci eloquentia diximus in Praefatione. MARKL.

verbis gravissimis perterruissent; neque sibi fas esse
dixissent, furori interesse tuo, atque in patriae par-
ricidio et scelere. Quae quum videres, tum te ad tuum 134
affinem, non delectum a te, sed relictum a ceteris
contulisti. Quem ego tamen credo, si est ortus ab illis,
quos memoriae proditum est ab ipso Hercule, per-
functo iam laboribus, sacra didicisse, in viri fortis
aerumnis non ita crudelem fuisse, ut in vivi et iam
spirantis caput bustum suis manibus imponeret: qui
aut nihil dixit, aut fecit omnino, poenamque hanc
maternae temeritatis tulit, ut mutam in delicto per-
sonam, nomenque praeberet: aut, si dixit aliquid
verbis haesitantibus, postemque tremebunda manu
tetigit, certe nihil rite, nihil caste, nihil more insti-
tutoque perfecit. Viderat ille Muraenam, vitricum
suum, consulem designatum, ad me consulem cum
Allobrogibus communis exitii indicia afferre: audie-
rat ex illo, se a me bis salutem accepisse, separatim
semel, iterum cum universis. Quare quis est, qui exi- 135
stimare possit, huic novo pontifici, primam hanc post
sacerdotium initum religionem instituenti vocemque
mittenti, non et linguam obmutuisse, et manum ob-
torpuisse, et mentem debilitatam metu concidisse:
praesertim quum ex collegio tanto, non regem, non

Parricidio et scelere) Garatonius coni. *furori interesse tuo in patriae parricidio exsultanti*, nisi potius quaedam interciderint.

Quem ego tamen —didicisse) Haec verba laudantur a Servio ad Virgil. Aen. VIII, 269.

Ab ipso Hercule) Pinarii, et Potitii sacra quaedam ab Hercule didicerant. Livius, lib. I.

Ut in vivi et iam spirantis) Lamb. coni. *ut in vivi etiam tum sperantis*.

Caput bustum suis manibus imponeret) Ineptissime dictum esse recte Wolfius adnotavit.

Bustum) Signum de busto meretricis ablatum. MAN.

Separatim) Quum de ambitu, Cicerone defendente, est absolutus. ID.

Quare quis est — metu concidisse) Nemo profecto est, qui sic existimare possit; ac multo melius fuisset, si nugacissimo scriptori iamdudum manus obtorpuisset: mentem debilitatam eius ubique videmus. WOLF.

flaminem, non pontificem videret; fierique particeps alieni sceleris invitus cogeretur, et gravissimas poenas affinitatis impurissimae sustineret?

136 LIII. Sed, ut revertar ad ius publicum dedicandi, quod ipsi pontifices semper non solum ad suas caerimonias, sed etiam ad populi iussa accommodaverunt: habetis in commentariis vestris, C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium retulisse, eique M. Aemilium, pontificem maximum, pro collegio respondisse, nisi eum populus romanus nominatim praefecisset, atque eius iussu faceret; non videri ea recte posse dedicari. Quid? quum Licinia, virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino Q. Metello consulibus, aram et aediculam et pulvinar sub saxo sacro dedicasset, non eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Iulius praetor retulit? quum P. Scaevola, pontifex maximus, pro collegio respondit, *quod in loco publico Licinia, Caii filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non viderier.* Quam quidem rem quanta severitate, quantaque diligentia senatus sustulerit, ex ipso senatusconsulto facile cognoscetis.

137 Recita senatusconsultum. SENATVSCONSVLTVM. Videtisne, praetori urbano negotium datum, ut curaret, ne

Dedicandi) Sic Wolfius, auctore Manutio. Argumento sint verba cap. 54: « Quae sunt adhuc a me de *iure dedicandi* disputata. » Schütz. vulgatum *vindicandum* retinuit. TVP.

Non videri ea recte posse dedicari) *Ea* Beckius uncinis inclusit ut spurium. Ernestius aut *id* legendum aut *ea* delendum esse censuerat.

Aram — sub saxo sacro) Parte montis Aventini, in qua templum fuit Bonae Deae, nomine subsaxanae. Vide Ovid. Fast. V, 150, et ibi VV. DD. WOLF.

Quam quidem rem — senatus sustulerit) In postremo verbo plures bonum sensum desiderant, optantque *curarit*, vel *persequutus sit*, vel aliquid simile. Vni Garatonio contigit videre sententiam huiusmodi: Rem omnem ab Licinia actam, ad senatum et Pontifices a magistratu delatam, ita delevit senatus, ut nullum eius vestigium exstare voluerit. W.

id sacrum esset? et ut, si quae essent incisae aut inscriptae literae, tollerentur? O tempora! o mores! Tum censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiae dedicare pontifices in templo inaugurato prohibuerunt; post autem senatus in loco augusto consecratam eam aram, tollendam ex auctoritate pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum: tu, procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio, reipublicae tenebris offusis, demerso populo romano, everso atque eiecto senatu, dirueris, aedificaris, religione omni violata, religionis tamen nomine contaminaris; in civis huiusce aedibus, et in urbe, quam suis laboribus ac periculis conservasset, monumentum deletae reipublicae collocaris, ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine tuum incideris: id sperasti rempublicam diutius, quam, quoad mecum simul expulsa careret his moenibus, esse laturam?

In templo inaugurato) Recte indicat Ernestius, epitheton hic male abundare: nullum templum non esse inauguratum. Igitur hoc simile *publicis templis* §. 128, siquidem in utroque loco concinnitatis studio importanda sunt molesta epitheta. Id.

Religionis tamen nomine) Vulgo *reipublicae tantum nomine*. Graevius e coniectura Manutii et MSS. nonnullis *reipublicae tamen nomine*. Marklandus autem vidit legendum esse *religionis tamen nomine*, quod cum Beckio recepi.

Ad equitum notam) Iam Lambinum offendit inepta haec equitum commemoratio. Difficile autem est dicere, utrum ipse declamator sic scripserit an librarii aliquid vel omiserint, vel depravarint.

Ad equitum notam — esse laturam) Nihil proficiunt emendationes doctorum, in primis verbis tentatae, recteque Garatonius divinavit, equitum mentionem fieri propter praesidium, quo is ordo Ciceronem nuper consulem et rempubl. defenderit; ut et alias in scriptis Ciceronianis respectu horum temporum iunguntur *senatus*, *equites*, *boni omnes*, v. c. pro Sext. §. 29, pro Mil. §. 94. Idque forsan suffecit auctori, qui ultro scripsit *notam* pro *ignominia*, significatione minime apta h. l. Wolf.

Tuum incideris) *Tuum* quod vulgo abest de Manutii et Graevii sententia inserui.

138 LIV. At si, Pontifices, neque is, cui licuit, neque id, quod fas fuit, dedicavit: quid me attinet iam illud tertium, quod proposueram, docere, non his institutis ac verbis, quibus caerimoniae postulant, dedicasse? Dixi a principio, nihil me de scientia vestra, nihil de sacris, nihil de abscondito iure pontificum dicturum. Quae sunt adhuc a me de iure dedicandi disputata, non sunt quaesita ex occulto aliquo genere literarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam per magistratus actis, ad collegiumque delatis, ex senatusconsulto, ex lege. Illa interiora iam vestra sunt, quid dici, quid praecipi, quid tangi, quid teneri
139 ius fuerit. Quae si omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constarent; aut si M. Horatius ille Pulvillus, qui, quum eius dedicationem multi, propter invidiam, fictis religionibus impedirent, restitit, et constantissima mente Capitolium dedicavit, huiusmodi alicui dedicationi praefuisset: tamen in scelere religio non valeret; nedum valeat id, quod imperitus adolescens, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, sine collegis, sine libris, sine auctore, sine fictore, furtim, mente ac lingua titubante fecisse dicatur: praesertim quum iste impurus atque impius hostis omnium religionum, qui contra fas inter viros saepe mulier, et inter mulieres vir fuisset, ageret illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret.

At si neque his — dedicasse?) Interpretatur haec Manutius: Non licuit Clodio dedicare, nec fas fuit dedicare domum meam; quum praesertim Pontifex ille, quem adhibuit, postem porticus tenuerit in dedicando; quod antea factum erat nunquam. Wolf.

Sine fictore) Sic Grut. et Graev. et MSS. Olim *scriptore*. Sed *fictores* erant pontificum ministri qui liba, aut animalia e farina, aut pane aut cera fingebant, quorum usus erat in dedicationibus.

LV. Delatum tum est ad vos, Pontifices, et post omnium sermone celebratum, quemadmodum iste praeposteris verbis, ominibus obscoenis, identidem se ipse revocando, dubitans, timens, haesitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, et pronuntiarit, et fecerit. Quod quidem minime mirum est, in tanto scelere, tantaque dementia, ne audaciae quidem locum ad timorem comprimendum fuisse. Etenim, si nemo unquam praedo tam barbarus atque immanis fuit, qui quum fana spoliasset, deinde aram aliquam in litore deserto, somniis stimulatus, aut religione aliqua, consecraret, non horreret animo, quum divinum numen sclere violatum, placare precibus cogeretur: qua tandem istum perturbatione mentis, omnium templorum atque tectorum totiusque urbis praedonem, fuisse censetis, quum pro detestatione tot scelerum unam aram nefarie consecraret? Non 140
poterat ullo modo (quamquam et insolentia dominatus extulerat animos, et erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac saepe peccare, praesertim illo pontifice et magistro, qui cogeretur docere, antequam ipse didicisset. Magna vis est quum in deorum immortalium numine, tum vero in ipsa republica. Dii immortales suorum templorum custodem ac pracsidem sceleratissime pulsum quum vide- 141

Delatum tum est — et fecerit) Supra §. 134 in dubio ponebatur, an omnino aliquid dixerit aut fecerit Pontifex: nunc etiam omnium sermone celebratum dicitur, quo quidque modo factum sit et pronuntiatum. Quamquam ex seqq. intelligitur, Oratorem uuno non de Pinario loqui, sed de Clodio. Quibus tandem cachinnis talia aegri capitis somnia excepturi fuissent eruditi, si Ciceronem ridere fas esset! Iam haec et multa alia, spero, tirunculis risum exprimere. Wolf.

Somniis) Alii *somnis*.

Qui cogeretur docere) Verba praeire, ritu sacro. Itaque h. l. certe arguitur, verba praeivisse Pontificem. In seqq. *Magna vis est* etc. intellige, si placet, ad metum hominibus incutiendum. Wolf.

rent, ex suis templis in eius aedes immigrare nolebant: itaque istius vecordissimi mentem cura metuque terrebant. Res vero publica, quamquam erat exterminata mecum, tamen obversabatur ante oculos exstinctoris sui, et ab istius inflammato atque ignito furore iam tum me seque repetebat. Quare quid est mirum, si iste metus furore instinctus, scelere praeceps, neque institutas caerimonias persequi, neque verbum ullum solemne potuit effari?

142 LVI. Quae quum ita sint, Pontifices, revocate iam animos vestros ab hac subtili nostra disputatione ad universam rempublicam, quam antea cum viris fortibus multis, in hac vero causa solis vestris cervicibus sustinetis. Vobis universi senatus perpetua auctoritas, cui vosmet ipsi praestantissimi semper in mea causa praefuistis; vobis Italiae magnificentissimus ille motus, municipiorumque concursus; vobis campus, centuriarumque una vox omnium, quarum vos principes atque auctores fuistis; vobis omnes societates, omnes ordines, omnes, qui aut re aut spe denique sunt bona, omne suum erga meam dignitatem stu-

Exstinctoris) *Exterminatoris* cod. Franc. edd. Herv., Steph., Lambin. quod bene convenit verbo praegresso.

Si iste metus furore) Lamb. e coniectura edidit *metu perturbatus, si furore instinctus*. Manutius iam ante ediderat *si iste metu, si furore instinctus*. Beckius malebat *metu agitatus*. Fortasse autem legendum *si iste metu instinctus*, ut *furore* ex versu antecedente temere repetitum sit.

Ab hac subtili nostra disputatione) Immo *futili*. Quam mutationem si quis pro emendatione accipere volet, non minus deerit Ciceronis auctoritas, quam in tot aliis correctionibus. Quippe et hoc est vocabulum Ciceronianum. Mox Lambinus corrigit *soli vestris cervicibus* pro *solis*, recta Latinitate, etsi idem significare voluit auctor, non *cervices* opponere *pedibus* aut aliis partibus corporis. Wolf.

Praestantissimi) Pantagath. ap. Vrsin. correxit *praestantissime* probante Graevio. Ern. malebat *praesentissime*.

Omne suum) Vulgo *omne vobis*. Sed in plerisque codd. est *omnes tum*, in cod. Franc. *omnes hi tum*. Graev. edidit *omnes hi sum*. Wolf. et Beck. auctore Garatonio *omne suum*.

dium et iudicium non modo commissum, verum etiam commendatum esse arbitrantur. Denique ipsi dii immortales, qui hanc urbem atque hoc imperium tuentur, ut esset omnibus gentibus posteritatique perspicuum, divino me numine esse reipublicae redditum, idcirco mihi videntur fructum ipsum reditus et gratulationis meae ad suorum sacerdotum potestatem iudiciumque revocasse. Hic est enim reditus, 143
Pontifices, haec restitutio, in domo, in sedibus, in aris, in focis, in diis penatibus recuperandis: quorum si iste suis sceleratissimis manibus tecta sedesque convellit, ducibusque consulibus, tanquam urbe capta, hanc unam domum, quasi acerrimi propugnatoris, sibi delendam putavit; tamen illi dii penates ac familiares mei, per vos in meam domum mecum erunt restituti.

LVII. Quocirca te, Capitoline, quem propter be- 144
neficia populus romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit, teque, Iuno regina, et te, custos urbis, Minerva, quae semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborum exstitisti, precor ac quaeso; vosque, qui maxime me repetistis, atque revocastis, quorum de sedibus haec mihi proposita est contentio, patrii penates familiaresque, qui huic urbi et reipublicae praesidetis, vos obtestor, quorum ego a templis ac delubris pestiferam illam et nefariam flammam depuli; teque, Vesta mater, cuius castissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore et scelere defendi, cuiusque ignem illum sempiternum non sum passus aut sanguine civium restingui, aut cum totius

Arbitrantur) Plerique codd. *arbitrabantur*. Inde vulgo editum *arbitrabuntur*. At Lamb. Ern. Beck. alii *arbitrabantur*.

Hic — et restitutio, in domo) H. e. simplicius: Tum mihi vere redisse ac restitutus esse videbor, quum domum meam, sedes etc. recuperavero. W.

145 urbis incendio commisceri: ut, si in illo paene fato reipublicae obieci meum caput, pro vestris caerimoniis atque templis, perditissimorum civium furori atque ferro; et, si iterum, quum ex mea contentione interitus bonorum omnium quaereretur, vos sum testatus, vobis me ac meos commendavi, meque ac meum caput ea conditione devovi, ut, si et eo ipso tempore, et ante, et in consulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, praemiis praetermissis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, nisi de salute meorum civium, laborassem, tum mihi republica aliquando restituta liceret frui; sin autem mea consilia patriae non profuissent, ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem: hanc ego devotionem capitis mei, quum ero in sedes meas restitutus, tum denique
146 convictam esse et commissam putabo. Nam nunc qui-

Vt, si in illo — convictam esse et commissam putabo) Iam olim fuerunt, qui haererent in particula *ut*, eamque vel delere vellent, vel in *et* mutare. Sed neutra harum rationum medetur vitio graviori, quod in hac periodo supra tribus verbis notavit Marklandus; neque perspicuum fit, quid sit illud, quod Orator nunc quum maximo precetur a Capitolino suo, a Iunone, a reliquis diis. Nam si tantum narrare voluisset, quid olim *in illo paene fato reipublicae*, quid deinde *iterum* precatus esset, eam narrationem aliquanto minore offensione facere poterat, ad eundem modum, quo id fecit in exordio Orat. ad Quirites; certe nunc nulla nova precatio erat ordienda. Verum pietas haec rhetorica quaedam est, satis infelix. Maiore enim spiritu in longissimae Orationis clausula sibi utendum ratus, bono Eventui se imprudenter commisit; qui quo perduxerit hominem, docebit perpensa compages totius periodi: *Precor ac quaeso Iovem* etc. VT, *si obieci caput meum, et, si iterum — deos sum testatus, meque ita devovi, ut, si — laborassem, tum mihi rep. liceret frui; sin autem mea consilia patriae non profuissent, ut perpetuum dolorem sustinerem: — hanc ego devotionem capitis mei — convictam et commissam* PVTABO. Durum in his ἀνακόλουθον inesse, Intpp. ii, qui plurimum sapiunt, videntur concedere, et nimium facetus est Rossius Anglus in colligendis similibus, ut putat, constructionibus, propter quas ex Marklandi scilicet ratione toti libri confodiendi sint. At aliter, o bone, catuli olent, aliter sues: nullum *tale* ἀνακόλουθου exemplum usquam invenietur, ne in libris quidem de philosophia, in quibus scriptorem frequentius et facilius in hoc genus induci sermonis familiaris imitatio et negligentia: in Orationibus

dem, Pontifices, non solum domo, de qua cognoscitis, sed tota urbe careo, in quam videor esse restitutus.

omnino id multo rarius est, etiam in longissimis periodis. Tironi non peius, opinor, hodie res cederet, si ei amplificanda et ornanda daretur sententia, quam Livius Camillo tribuit in exsilium abeunti V, 32: *Si innoxio sibi ea iniuria fieret, dii primo quoque tempore sui desiderium civitati facerent*: nam ex tali fonte has ampullas derivatas esse apparet. Iam alia quoque res est, in qua nobis non minus haerendum sit, si usum loquendi et Latinum et Ciceronianum quaerimus. Cur enim, quum supra dixerit se ipsum *devotionis convictum*, nunc *devotionem* ipsam *convictam et commissam* dicit? Sed hanc formulam, cuius non melior quam alterius, i. e. nulla auctoritas reperietur, cum ex iure civili explicare conentur tum alii, tum Schwarzius ad Mamertini Paneg. Maximian. cap. 6. Nempe, sicut *convicti* dicantur *votorum*, qui *debitores votorum*, *votis obligati* seu *damnati*; sicut *commissa* dicatur *stipulatio*, quae sit facto et commisso promissoris impleta: item *convictam* et *commissam devotionem* esse narrant eam, quae adimpleta sit et ipso exitu comprobata. Laudant etiam Salmasium de modo usurr. cap. 14. Ego vero puto, si *damnatam devotionem* scripsisset Rhetor, eadem certe illos id explicare et defendere ausuros fuisse. Adderem praeterea aliquid, nisi istos metuerem, qui mera mendacia ad oratoriam fidem pertinere putant. Mentiri dicerem Ciceronem nostrum in alterutro horum locorum, quoniam in hoc vota a se diis facta refert ad restitutionem domus, in illo ad ipsum reditum in patriam: ex quo illic profitetur se *iam votorum compotem factum esse*, atque de ea re *laetatur*, hic autem *factum se iri* postero tempore *putat*, immo *putabit*. Sed haec variatio, si ingeniose instituta esset, promptiorem ex consilio Oratoris excusationem haberet. Id.

Nam nunc quidem — tota urbe careo) Tota *Vrbe*? Additur ratio: *Vrbis enim celeberrimae et maximae* partes *adversum—contuentur*. Numne *quaedam* partes Vrbis constituunt totam *Vrbem*? Et qui fit, ut, quod in celeberrimis partibvs aedificavit Clodius, tota Vrbe careat Cicero? Annon exspectabit quisque, quum dictum sit tota *Vrbe careo*, ut postea inferatur, Tota *enim Vrbs adversum illud monumentum contuetur*? Etsi haec ipsa argumentatio admodum puerilis fuisset, et vix scholastico declamatore digna. Videamus tamen sequentia. *Quem quum mihi — Vrbis* partibvs *velle esse privatum*. An nunc quoque partibvs? Aut stupidus fuit hic Rhetor, aut ebrius erat, quum haec scriberet. Scribit enim perinde, ut si quis quereretur Londini, *carere se* tota *urbe*, quod ferre adspectum *Curiae mercatorum* non posset. Fuge istum locum, clamaremus: satis magnum spatium tibi relictum est in tota urbe *Londini* reliqua; atque etiam plus spatii praebebat tota antiqua *Roma*. Markl. Locus mihi videtur inter vehementiae oratoriae specimina referendus. Verba, *nam nunc — restitutus*, non ad verbum, sed figura quadam dicta esse, res ipsa clamat: loquitur enim in Vrbe Tullius. Sed nempe *caret* re aliqua, qui illa non fruitur; caret urbe, qui ea non fruitur, qui discedere malit, quam adesse etc. Satis

Vrbis enim celeberrimae et maximae partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriae contuentur, quem quum mihi conspectum morte magis vitandum fugiendumque esse videatis: nolite, quaeso, eum, cuius reditu restitutam rempublicam fore putastis, non solum dignitatis ornamentis, sed etiam urbis partibus velle esse privatum.

LVIII. Non me bonorum direptio, non tectorum excisio, non depopulatio praediorum, non praeda consulum ex meis fortunis crudelissime capta permovet: caduca semper et mobilia haec esse duxi; non virtutis atque ingenii, sed fortunae et temporum munera: quorum ego non tam facultatem unquam et copiam expetendam putavi, quam et in utendo rationem, et in carendo patientiam. Etenim ad nostrum

hoc declarant, quae sequuntur: *Vrbis enim celeberrimae et maximae partes* (quibus qui caret, h. e. abstinet, ne adspectus dolorem moveat, tota Vrbe videtur carere) *adversum illud — esse videatis* etc. Sermo est de summo cive, qui in loco, in foro versari vult, si in Vrbe sit, qui se non potet in Vrbe esse, Vrbem videre, si in foro esse sine summo dolore et ignominia non liceat. Gesn.

Non me — tectorum excisio — permovet — non possum) Haec verba, quae coniunxi, tametsi diducta sunt interpositu plurium, faciunt tamen quasi unam periodum, cuius longitudo Scriptorem obliviosum facile in fraudem impellere potuit. Nam in priore parte dicit, *tectorum excisione se non moveri*: in posteriore, *domum ereptam se sine dolore suo ferre non posse*. Hic primum, quo discrimine sunt *tecta* et *domus*, ut huius iactura tantopere gravari potuerit, quum illorum excisione non moveatur? *Tecta* si *villas* significarent, *domus* autem *aedes in Vrbe* (quae Auctoris haud dubie mens fuit), satis probabilis ratio sermonis afferri posset. Sed hoc discrimen verborum ignorat lingua Latina: immo *tectorum excisio*, quae eum *non permovet*, complectitur *destructionem omnium aedificiorum eius*, in iisque *domus* istius, quae tanto eum dolore affecit. Palatina enim domus non minus erat *excisa*, quam cetera *tecta* eius omnia, ut *Formianum*, ut *Tusculanum*, sive *Suburbanum*; atque adeo illa *tecta* seu praedia non minus quam *domus urbana* erant *per scelus erepta*, *per latrocinium occupata*. Nimirum hoc dicere voluit: *Non ceterorum tectorum excisio me permovet; urbana autem domo etc.* Markl.

Expetendam) In codd. Pall. Fr. Dresd. alii *extendendam*.

Etenim ad nostrum — rei familiaris) Ciceronianum fuisset, opinor, *definitus modus rei familiaris*. Vide-

usum propemodum iam est definita moderatio rei familiaris; liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae, relinquemus: domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam aedificata, quam eversa, carere sine maxima ignominia reipublicae, meo dedecore ac dolore non possum. Quapropter, si diis immortalibus, si senatui, si populo romano, si cunctae Italiae, si provinciis, si exteris nationibus, si vobismet ipsis, qui in mea salute principem semper locum auctoritatemque tenuistis, gratum et iucundum meum reditum intelligitis esse: quaeso obtestorque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc, quoniam senatus ita vult, manibus quoque vestris in sedibus meis collocetis.

tur diversa res esse *moderatio rei familiaris*, scil. *domesticarum rerum administratio*. Sed, ut verbum tolerabile sit, rem falsam esse ostendi in Or. ad Quir. §. 3. Markl. Non quod valde opus sit, sed ne quid praetermisisse videar, illud addo, *moderationem r. f.* non simpliciter pro modo et mediocritate poni, sed pro ipso actu fortunae, quo illa moderata est, et ad mediocritatem quandam reduxit rem familiarem Ciceronis. Gesn.

Domo per religionis vim eversa) Bene cap. 42 *nomine religionis* dixit pro eo, quod h. l. est *per vim religionis*. Notissimum est, tanquam contraria poni *vim* et *nomen* seu *speciem*. Liv. XXVIII, 24: « Vt *vim* imperii abstulerant, ita *speciem* dicto parentium ultro sibi imperantes servabant. » Igitur plane aliud dixit Auctor, aliud voluit dicere. Markl. Quod *vim relig.* male hic positum ait pro *specie et obtentu* religionis, in eo vim et δεινότητα orationis non videtur mihi assequutus. Vt in prima ad Lentulum epistola *calumniae religionis* posset aliquis forte substituere speciem et obtentum religionis; sed non illud diceret, quod significat simul Cicero, illam speciem niti perversa interpretatione et applicatione carminis Sibyllini: ita hic possis pro *vi religionis* ponere *speciem* s. *simulationem*. At non hoc tantum vult Auctor, sed *vim* hic grassatam esse, quam religionis armaret simulatio. Gesn. Polypus Hagnae. Wulf.



ORATIO

DE

HARVSPICVM RESPONSIS

IN SENATV

DE ORATIONE

DE

HARVSPICVM RESPONSIS

(SCHVTZII Prolegomenon Cap. IV.)

A. V. C. 697 Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo coss. mense circiter Maio, ut Dio Cassius narrat, L, 38, varia prodigia facta sunt. In monte Albano parvum sacellum Iunonis, quod in mensa quadam dedicatum orientem solem spectabat, ad septentriones conversum est; fax a meridie ad Aquilonem porrigi visa; lupus urbem intravit; terrae motus factus est; cives quidam fulmine icti sunt, et in agro Latiniensi auditus fuit strepitus sub terra cum fremitu. Quumque haruspices ea expiari vellent, numen quoddam ipsis irasci, quod in locis sacris et religiosis inaedificaretur. (ὀργίζεσθαί σφισι δαιμόνιόν τι, ὡς καὶ ἱερῶν τινῶν, ἢ χωρίων οὐχ ὁσίων ἐποικεουμένων). Tum Clodius Ciceronem aggressus verbis in eum vehementer invectus est, quod in area domus Libertati consecrata aedificasset, atque, ut ipsam domum funditus everteret, aliquando eo venit. Hactenus Dio, qui tamen nec Haruspicom responsa sigillatim refert, nec habitam a Cicerone orationem commemorat. Haruspices vero a senatu de istis prodigiis consulti (si huic oratori credimus) responderant: *Postulationes esse Iovi, Saturno, Neptuno, Telluri Diis caelestibus; ludos minus diligenter factos pollutosque; loca sacra et religiosa profana haberi; oratores contra ius fasque interfectos, fidem et iusiurandum neglectum, sacrificia vetusta, occultaque minus diligenter facta pollutaque; monere igitur deos immortales, ne per optimatum discordiam dissensionemque patribus principibusque caedes periculaque creentur,*

auxilioque deminuti deficiantur; quare ad unum imperium provinciae redeant, exercitusque pulsus, deminutioque accedat, ne deterioribus repulsisque honos augeatur. In his responsis ea quae verbis *monere igitur - honos augeatur* continentur partim ob latinitatem, partim ideo suspecta sunt, quod scripta esse videntur, postquam Augustus principis nomine rempublicam, civilibus discordiis, fessam sub imperium dominationemque receperat. Iam Cicero ipse nusquam commemorat se in hac causa orationem habuisse. Asconius ex ea locum excitat ad Orat. pro Cornelio I, qui locus paulum immutatus legitur in hac oratione c. 12, ubi videnda est annotatio. Quintilianus vero sive veram sive suppositam orationem legerit, de Inst. Or. V, II, eius exemplo utitur: « *Ponitur*, inquit, *a quibusdam, et quidem in parte prima* Deorum auctoritas, *quae est ex responsis, ut* Socratem esse sapientissimum. *Id rarum est; tamen utitur eo Cicero in libro* de haruspicum responsis. » - Neque vero dubito, Ciceronem in senatu contra Clodium dixisse, qui haruspicum responsum *loca sacra et religiosa profana haberi* ad aream Libertati consecratam, nuper Ciceroni restitutam traxerat. Idem facile Garatonio assentior, qui eam orationem post illas pro Sextio, in Vatinium, pro Caelio et ante eas quae sunt de provinciis consularibus et pro Balbo habitam esse docuit. Sed hanc quae Ciceronis esse fertur de Haruspicum responsis orationem, veram et genuinam Ciceronis esse, qui ea quae a Marklando et Wolfio disputata sunt, recte perpenderit, nullo modo sibi persuadebit. Etsi enim in dispositione minus quam illa pro domo laborat, multa tamen in ea occurrunt inepte dicta, parum latina, partim etiam a veritate historica aliena omninoque Cicerone indigna.

In exordio auctor Ciceronem inducit narrantem, quae hesterno die in senatu egerit ad Clodium, qui publicanorum causam impediverat, confutandum; c. 1-4. Tum dicitur Clodius paulo ante concionem de religionibus sacris et caerimoniis habuisse; et responsum haruspicum recens de fremitu recitasse. In quo tempora non satis videntur concordare. Nam si paulo ante hesternum diem Clodius illam concionem habuerat, cur de ea Ci-

cern in senatu postridie pntiusquam heri dixisset? Iam primum c. 5 Clndius exagitatur quod is potissimum, qui Bonae deae sacra vinlarit, ausus sit in concione de religinnibus neglectis conqueri. Deinde nullam domum tam vacuam atqne puram ab ista religinnis suspicione esse, quam Ciceronis dnmnm dncetur. Nam de eius aedinm religinne ex SCto ad Pontificum cnllegium esse relatum, eosque omnes causa cognita eas nmni religinne liberasse; c. 6-8. Qun locn qnum Pnntificum nnmina recitentur, in iisque nnminetur L. Claudius rex sacrorum, Marklandus specioso quodam argumento usus est, ad errorem declamatoris demnnstrandum. « Duae enim, inquit, fuerunt familiae gentis *Claudiae* s. Clodiae, altera *Pulchrorum* vel Nernnum, altera *Marcellorum*, illa patricia, haec plebeia. Sed Claudii patricii iam aliqunt ante annos communi cnnsensu praenomen *Lucii* repudiarant, quod dno homines eo praediti (L. Claudii Pulchri) npprnbria fuerant gentilibus suis teste Suetonin Tib. c. 1. Cui rei simile quiddam de praenomine Marci in gente Manliorum traditur ap. Liv. VI 20, et Cic. Philipp. I 13. Quare ubicumque illa aetate Lucium reperimus in Claudia gente, opnrtet eum e Marcellis existimari atque plebeium: v. n. illnm L. Clndinm, in Epp. ad Fam. III, 4, 5, 6, 8. Indeque etiam intelligi licet istum L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, cuius meminit Or. pr. Cluent. libertinum vel ex posteris libertini fuisse, manumissore qundam ex plebeia stirpe Clndiorum. Nam de Sex. Clodio Phormione, qui nominatur pro A. Caecina c. 18, etsi ipse quoque libertinan cnnditinnis fuit, non constat utri illarum familiarum debuerit libertatem snam. Iam si haec pauca cognnvisset Declamatnr, nnn venditasset nobis L. Clodium aliquem pro rege sacrorum (qui scil. nnn poterat esse nisi ex patriciis) qund ut Ciceroni ne imputari quidem potest, ita error facilis erat hnmini schnlastico, Rnmanarnm rerum non tam gnaro, quam in urbe natum decebat. » Quae quamquam vere et subtiliter a Marklando disputata snnt, facile tamen fieri pntuit, ut quum scriptum esset *C. Claudius*, illa litera C. a librariis in L. corrumperetur, quod iam a Gesnero mnnitum est. Neque vern declamatnrem illa pnntificum nomina

finxisse credibile est, sed potius ea ex genuina Ciceronis oratione in suam transtulisse existimandum. Sequitur explicatio eorum, quae haruspices dixerant. In qua primum, c. 9, negat se iis literis delectari aut uti, quae animos avocent a religione; quod quidem, si Cicero ad populum dixisset, aliquo modo ferri posset; in senatu vero ridiculum fuisset sperare, ut Patribus conscriptis persuaderet, se ne uti quidem scriptis eorum philosophorum, qui totam istam de divinatione, de auguriis et portentis opinionem abiiciant. Deinde quod haruspices dixerant *ludos minus diligenter factos, pollutosque*, id totum in Clodium confert, qui cum Megalensia celebrarentur, magnam vim servorum in scenam signo dato immiserit; Pessinuntem etiam sedem domiciliumque Matris deorum vastarit, et Brogitaro vendiderit; c. 10–13. Deinde exempla afferuntur locorum sacrorum et religiosorum a Clodio eiusque sociis violatorum, c. 14, 15. Et quod haruspices dixerint *oratores contra ius fasque interfectos*, id etsi vulgo ad legatos Alexandrinos pertinere videbatur, quos scilicet Romam missos Ptolemaeus rex insidiis plerosque sustulerat; alia tamen Clodii eiusmodi facinora intelligi posse demonstratur c. 16. Quod haruspices dixeriut *fidem et iusiurandum neglectum*, hoc declamator suspicatur de illorum Clodii iudicum manifesto periurio dici, qui eum incestus reum pecunia accepta absolverint; c. 17. Et quod in haruspicum responsis subiungatur: *sacrificia vetusta, occultaque minus diligenter facta pollutaque esse*, in eo sacra Bonae deae a Clodio violata notari ostenditur; c. 17, 18. Postremo accedit declamator ad monita haruspicum explicanda. Quod enim monuerant, ne per optimatium discordiam dissensionemque patribus principibusque caedes periculaque creentur auxilioque deminuti deficiantur, qua re ad unum imperium provinciae redeant, exercitusque pulsus deminutioque accedat; hoc partim ad Clodium, partim ad optimates inter se dissidentes pertinere; c. 19–25. Quod autem monuerant ne occultis consiliis respublica laedatur, id de Clodii audacia intelligendum esse, qui nocturnis vigiliis et coitione hominum hoc excogitaverit, ut in concione auderet dicere, iustitium edici oportere, iurisdictionem intermitti, clau-

di aerarium, iudicia tolli; c. 26. Quod autem praeceperint ne deterioribus repulsisque honos augeatur, id ad Vatinium qui in petitione aedilitatis repulsam tulerat, et ad Clodium omnium mortalium deterrimum transfertur; c. 26, 27. Denique quod haruspices monuerant providendum esse ne reipublicae status mutetur, id his temporibus apprime convenire, quibus ut respublica meliore loco sit, ne optandum quidem esse Clodio impunito, unum autem inferiorem locum vel interitus vel servitutis maximopere cavendum esse; c. 28. In peroratione tristitiam huius orationis et severitatem excusat, iterumque ad religiones diligeuter procurandas discordiasque civium placandas hortatur.

Ceterum totum orationis filum multum a Ciceronis elegautia abhorret, adeo multa suut inepte ac putide dicta, nonuulla quoque vix Latina.

ORATIO

DE

HARVSPICVM RESPONSIS

IN SENATV

I.

Hesterno die, Patres conscripti, quum me et vestra dignitas et frequentia equitum romanorum, quibus senatus dabatur, magnopere commosset: putavi mihi reprimendam esse P. Clodii *impudicam impudentiam*, quum is publicanorum causam stultissimis interrogationibus impediret, et P. Tullioni Syro navaret operam, atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus venditaret. Itaque hominem furentem exsultantemque continui, simulac periculum iudicii intendi: duobus inceptis verbis omnem impetum gla-

Quibus senatus dabatur) Vt audirentur controversiae, quae erant inter Syros, et eam publicanorum societatem, quae Syriaca vectigalia de censoribus redemerat. Dissensiones autem inter provinciales, et publicanos nunquam fere non fuisse, notius est, quam ut exemplis indicandum esse videatur. MAN.

Impudicam impudentiam) Ern. cuui. *impunitam* probante Garatonio. — *Impudicam impudentiam* Cicero non coniunxisset, ut arbitror. MARKL.

Stultissimis interrogationibus) Melius fuisset *improbis* vel *malitiosis*, etiam aptius *furenti exsultantique*. Neque enim *stultitia* scelus est ac dignum, in quod tanti terrores et iudicii periculum intentetur: humanum erat, eam corrigi monendo docendoque. WOLF.

Duobus inceptis verbis) Accusare Clodium de vi poterat Cicero, quia saxis, ignibus, ferro vastitatem suis aedibus intulisset. Quod qui fecissent, eos decrevit senatus lege de vi, quae esset in eos, qui universam rempublicam oppugnassent, teneri. Infra. MAN.

Duobus inceptis verbis) Nullum ex

diatoris ferociamque compressi. Attamen ignarus ille, 2 qui consules essent, exsanguis atque aestuans, se ex curia repente proripuit, cum quibusdam fractis iam atque inanibus minis, et cum illius Pisoniani temporis Gabinianique terroribus. Quem quum egredientem insequi coepissem, cepi equidem fructum maximum, et ex consurrectione omnium vestrum, et ex comitatu publicanorum. Sed vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit; deinde respe-

probatis scriptoribus sic loquutum puto, Ciceronemque potius dicturum fuisse *duobus primis verbis*, quemadmodum loquitur ad Famil. IX, 19: « Ego *primis tribus verbis*: Quid noster Paetus? » MARKL. Quidni sic dicere potuit Tullius eadem sententia, qua deinde §. 7: « Voce tantum *attigi legum initium* et iudicii. » Si neutra forma alius usus est in his, qui nobis supersunt, libris; quod nu ipsum quidem simpliciter negare ausim: an ideo plane indignas Cicerone pronuntiabimus? Nunquam deerit scilicet accusatori, qui status controversiam movere scripto cuicumque voluerit, si licebit hanc damnare formulam, quod sit imitatione expressa, vel surrepta adeo plagio; hanc rursus, quod alias apud scriptorem, cuius nomen prae se fert, non inveniatur. GESN. Notis suis discernuntur propria et communia ab iis, quae quis aliunde imperite sumpsit vel plagio surripuit: sicut alia rursus leguntur *semel dicta*; alia, quae omnino dici vetat analogia sermonis. Qualia si quis indigna iudicat probato scriptore, is rectissime et ex arte indicat; secus, qui, quidquid in scripto Latino antiqui temporis legitur, continuo bene et ex usu optimae Latinitatis dictum putat. Nempe hac ratione nihil potest perversius esse, nihil efficacius ad tollendum omne iudicium de rectis et pravis, de sanis et corruptis, de genuinis et adulterinis. Adde, quod, si quis negat, hoc vel illo genere loquendi usum esse aliquem scriptorem in reliquis, qui eius exstant, libris, hoc refutaturo tibi necessario imponitur negotium talis exempli demonstrandi, nec dicere sufficit, te id negare non audere. Quippe alter negavit; nunc demonstrandum est tibi. Atque hoc quidem saepe non admodum difficile est, et merus labor digitorum: at subtilior res est, ipsam linguae analogiam exquirere, et quid ea ferat, quid respuat, iudicare. Ita aio recte scribi, *attingere initium legis*, etsi nunquam me [illegible] legere memini: contra Latine dici *incipere verba*, ausim negare, nullo libro inspecto; eamque ob causam damnamus hanc formulam, *duobus inceptis verbis*, ubi satis usitate scribi potuerat *vix duobus verbis prolatis*. Iam tu, qui ista defendere audes, vel eorundem vel certe similium usum debes ostendare comparandis locis scriptorum, non autem respondere, *Quidni potuit?* Neque hoc ita Latine dicitur: nam et analogia et constans usus poscit ut dicatur, *Quidni potuerit?* WOLF.

Attamen) Totam quae sequitur narrationem ut inepte confictam marito exagitat Wulfius.

xit; et simulac Cn. Lentulum consulem adspexit, concidit in curiae paene limine, recordatione, credo, Gabinii sui, desiderioque Pisonis. Cuius ego de effrenato et praecipiti furore quid dicam? Haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est statim, in facto ipso, a gravissimo viro P. Servilio confectus ac trucidatus: cuius si etiam vim et gravitatem illam singularem ac paene divinam assequi possem, tamen non dubito, quin ea tela, quae coniecerit inimicus, quam ea, quae collega patris emisit, leviora atque hebetiora esse videantur.

3 II. Sed tamen mei facti rationem exponere illis volo, qui hesterno die dolore me elatum, et iracundia longius progressum arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum ac multo

Simulac Cn. Lentulum) *Ad Cn. Lentulum* praebent Franc. Barb. sex Oxonn. et pleraeque vett. editt. nullo, quod videam, discrimine. Sed apud animum reputemus totam hanc temerariam et turbulentam speciem rerum. Furebat primum suo more Clodius, publicanos in gratiam Syrorum oppugnans; Cicero eius furorem mox confutat duobus verbis: ille repente se exsanguis e curia proripit, minas iactans; ad limen paene progressum insequitur Cicero, comitatus equitibus. Gravem conflictum metuis. Nihil minus. Repente vecors consistit quasi attonitus, nec tamen deinde non audet respicere; tandem concidit (animo) in ipso paene limine vir alias intrepidus, sive quod Lentuli vultum ferre non potest, seu Gabinii sui et Pisonis desiderio percussus. — Admirabilis pictura, in qua nihil quaeras amplius, nisi quid misero homine postea factum sit, ad Laremne suum an in senatum reverterit. Wolf.

Inimicus) ipse Cicero. M.

Collega patris) Cum patre P. Clodii consulatum gesserat P. Servilius Isauricus. Id.

Qui hesterno die dolore — postularet) Ita sensisse aliquos, vix credibile est in consurrectione senatorum et comitatu equitum. Ergo resipuerunt illi fortasse, senatu dimisso, more Phrygum; et qui eum antea adiuverant, nunc in eo moderationem (*cogitatam rationem*) requirebant. Tametsi me imperfecti temporis usus offendit. Nimirum levis Declamator, ut sensit, illa narratione exordii se nihil progredi, subito novam comminiscitur viam, qua ad liberioris orationis cursum deferatur. Wolf.

Nihil feci iratus) Quid fecit? Post verba illa, quibus Clodio ius et iudicium minatus erat, eum insequi coepit. Id scilicet multo ante erat meditatus. Id.

ante meditatum. Ego enim, Patres conscripti, inimi-
cum me semper esse professus sum duobus, qui me,
qui rempublicam, quum defendere deberent, servare
possent; quumque ad consulare officium ipsis insi-
gnibus illius imperii, ad meam salutem non solum
auctoritate, sed etiam precibus vestris vocarentur:
primo reliquerunt, deinde prodiderunt, postremo op-
pugnaverunt, praemiisque nefariae pactionis funditus
una cum republica oppressum exstinctumque volue-
runt; quique suo ductu et imperio, cruento illo at-
que funesto, supplicia neque a sociorum moenibus
prohibere, neque hostium urbibus inferre potuerunt;
excisionem, inflammationem, eversionem, depopu-
lationem, vastitatem, sua cum praeda, meis omnibus
tectis atque agris intulerunt. Cum his furiis et faci- 4
bus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis, ac paene
huius imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico
esse susceptum: neque id tamen ipsum tantum, quan-
tum meus ac meorum, sed tantum, quantum vester
atque omnium bonorum dolor postulavit.

III. In Clodium vero non est hodie meum maius odium, quam illo die fuit, quum illum, ambustum

Duobus) Coosolibus, Pisoni et Gabinio. Man.

Qui me, qui rempublicam) Ad hoc refereoda suol verba, *reliquerunt*, *prodiderunt*, *oppugnarunt*, ut grammatica certe ratio iubet; contra ac voluit Auctor, qui sui oblitus mox subiungit *una cum republ.* Wolf.

Rempublicam) Sic Gruter. e cod. Pal. 9. Erf. quem Ern. alii sequuti suol. Veterem scripturam *rem meam* plerisque MSS. coufirmatam revocavit Beck.

Nefariae pactionis) Acceptis a Clodio provinciis, prodita salute mea. Id. Al. *factionis*.

Supplicia neque a sociorum moenibus prohibere) Haec in Pisonem dicta suol, qui et cum hostibus parum prospere pugoavit, et cum sociis crudeliter se gesserat. Fern. — *Supplicia proh. moenibus*, inepta loquutio. W.

Vastitatem) Vulgo addebatur *eam*, recte a Beckio uncis inclusum. Lambiuns e coniectura edidit *vastitatem aucti praeda meis omnibus* —.

Ambustum religiosissimis ignibus) Ineptissime hoc dictum recte reprehendit Wolfius, ut multa eiusdem generis alia.

religiosissimis ignibus cognovi muliebri ornatu, ex incesto stupro atque ex domo pontificis maximi emissum. Tum, inquam, tum vidi, ac multo ante prospexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicae. Videbam, illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis, nobilis, vulnerati, non posse arceri otii finibus; erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem civitatis. Non multum mihi
5 sane post ad odium accessit: nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis, odio dignitatis, odio reipublicae. Non me magis violavit, quam senatum, quam equites romanos, quam omnes bonos, quam Italiam cunctam. Non denique in me sceleratior fuit, quam in ipsos deos immortales. Etenim illos eo scelere violavit, quo nemo antea: in me fuit eodem animo, quo etiam eius familiaris Catilina, si vicisset, fuisset. Itaque eum nunquam a me esse accusandum putavi, non plus, quam stipitem illum, qui, quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Quid enim hunc persequar, pecu-

Videbam — arceri otii finibus) Vt hoc verbum capias pro composito *coërcere s. continere*, uso satis noto, durus tamen et molestus manet modus loquendi, *scelus arcere finibus otii*: neque modestior iunctura verborum, *furentis, nobilis, vulnerati*, sc. *infamia iudicii*, ex quo evasit, corruptis iudicibus. WOLF.

Vulnerati) Infamia iudicii.

Nihil enim — odio mei) Quidquid fecit Clodius, non fecit odio *Ciceronis*, sed odio severitatis et dignitate *Ciceronianae*. Ridete, Patres Conscripti, quidquid est vobis cachinnorum! WOLF.

Eodem animo — si vicisset, fuisset) Quasi odio non nimium dignus fuisset Clodius, quia praeter ipsum alius non minus saevus videbatur futurus. Ferremus, si scripsisset: In me fuit eodem animo, quo et alii homines improbi in me antea fuerant. Sed aliquem nominare voluit, nemoque succurrebat nisi Catilina, vel potius locus pro Sext. §. 28: « Exanimatus evolat ex senatu, non minus saevus perturbato animo atque voltu; — advocat concionem, habet orationem talem Consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset. » ID.

Stipitem illum) Aelium Ligurem tribunum plebis.

Quid enim hunc persequar) Intell.

dem ac belluam pabulo inimicorum meorum et glande
corruptam? qui si sensit, quo sese scelere devinxerit,
non dubito, quin sit miserrimus: sin autem id non
videt, periculum est, ne se stuporis excusatione de-
fendat. Accedit etiam, quod exspectatione omnium
fortissimo et clarissimo viro, T. Annio, devota et con- 6
stituta ista hostia esse videtur: cui me praeripere de-
sponsam iam et destinatam laudem, quum ipse eius
opera et dignitatem et salutem recuperarim, valde est
iniquum.

IV. Etenim, ut P. ille Scipio natus mihi videtur ad
interitum exitiumque Carthaginis, qui illam a multis
imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam,
paene captam aliquando, quasi fatali eventu, solus
evertit: sic T. Annius ad illam pestem comprimendam,
exstinguendam, funditus delendam natus esse vide-
tur, et quasi divino munere donatus reipublicae. Solus
ille cognovit, quemadmodum armatum civem, qui la-
pidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contine-
ret, qui urbem totam, qui curiam, qui forum, qui
templa omnia caede incendiisque terreret, non modo
vincere, verum etiam vincire oporteret. Huic ego, et 7
tali, et ita de me ac de patria merito viro, nunquam

non Aelium Ligurem sed Clodium, ut sequentia arguunt, ex quibus saepissime apud malos scriptores lux mutuanda est. Clodium ergo *pecudem vocat* et *belluam corruptam*, ut ex uno MS. Franc. notatur et probatur a Graevio. Eaque constructio, illustrata ab Intpp. ad Liv. XXIX, 12, et alibi, in primis apta h. l. esset, nisi praecedens *hunc* faceret, ut in vulgata *corruptum* acquiesceremus. Ceterum hic causam affert, si quam omnino affert, facetissimam, cur non accusarit Clodium. *Non accusavit, quia bellua est.* Longas tamen orationes in hanc belluam componere non dedignatur. Wolf.

Corruptam) Sic cod. Franc. ed. Gryph. 1550. Vulgo *corruptum*.

Qui si sensit — defendat) Hoc ex Philipp. II, 22, XIII, 17, et pro Caec. 11, sumptum esse Markl.andus monuit.

Vincere — vincire) Lamb. et Ern. reposuerunt *vincire — vincere*.

mea voluntate praeripiam eum praesertim reum, cuius ille inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetivit. Sed si etiam nunc illaqueatus iam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii iam non diuturna implicatus, feretur tamen haesitans, et in me impetum impeditus facere conabitur: resistam, et aut concedente aut etiam adiuvante Milone, eius conatum refutabo; velut hesterno die, quum mihi *stans tacenti* minaretur, voce tantum attigi legum initium et iudicii: consedit ille; conticuit. Diem dixisset, ut *fecerat*: fecissem, ut ei statim tertius a praetore dies diceretur. Atque hoc sic moderetur, et cogitet: si contentus sit iis sceleribus, quae commisit, iam se esse consecratum Miloni; si quod in me telum intenderit, statim me esse arrepturum arma iudiciorum atque legum.

Sed si etiam nunc illaqueatus) Notanda sunt vagae potestatis vocabula, *illaqueatus*, *irretitus*, *implicatus* (et quidem *exspectatione*), *haesitans*, *impeditus*, quae omnia nihil, quod ad rem pertineat, satis dilucide exprimunt. Sed etiam obscurius est, quid mox illud sit, *stanti iacens minaretur*, vel potius, quae in his vera sit scriptura Auctoris. Wolf.

Stans tacenti) Vulgo olim *stanti tacens*. Lambin. et Manut. ex coniectura a MS. Franc. firmata, *stanti iacens*, probante Garatonio et Wolfio. Graevius correxit *stans tacenti*, quod Ernestius recepit, cui assentior.

Consedit ille) Manut. ex codicibus, probante Garatonio, *concidit ille*. T.

Dixisset, ut fecerat) Haec captum nostrum prorsus superant. *Meditetur* coniecit V. D. apud Lambinum probante Garatonio. Ernestius *iecerat*, sed non ita certa correctione, ut in textum inferri debuerit. Ciceronianum certe non est sic sine casu et verbo positum *iacere* sensu *minandi*; et *fecerat* pertinere potest ad illud tempus, quo Ciceronem in exsilium pellebat Clodius. De ipsa re accurate monet Garatonius: Clodio, quum erat in magistratu, praetor aliquis Tullii rogatu diem dixisset; id enim maiori potestati in minorem licebat. *Tertius dies* est quidem perendinus, sed non legitimae comperendinationis, quae primam causae actionem sequebatur, ut patet ex Verr. I, 9 etc. atque ut ipse, qui nobis hic non satisfacit, Ernestius agnovit in Clavi et ad Brut. cap. 22. Si diem, inquit, mihi dixisset, fecissem, ut ipsi tibi esset ante me causa dicenda. Cur propiorem diem praetor Clodio, quam aedilis Tullio, posset constituere, mihi est

Atqui paulo ante, Patres conscripti, concionem 8
habuit, quae est ad me tota delata: cuius concionis
primum universum argumentum sententiamque audite. Quum riseritis impudentiam hominis, tum a me de tota concione audietis.

V. De religionibus, sacris et caerimoniis est concionatus, Patres conscripti, Clodius: P. inquam Clodius sacra et religiones negligi, violari, pollui questus est. Non mirum, si hoc vobis ridiculum videtur. Etiam sua concio risit hominem, quomodo ipse gloriari solet, ducentis confixum senatusconsultis, quae sunt omnia contra illum pro religionibus facta, hominemque eum, qui pulvinaribus Bonae Deae stuprum intulerit, eaque sacra, quae viri oculis, ne imprudentis quidem, adspici fas est, non solum adspectu virili, sed flagitio stuproque violarit, in concione
de religionibus neglectis conqueri. Itaque nunc pro- 9
xima concio eius exspectatur de pudicitia. Quid enim interest, utrum ab altaribus religiosissimis fugatus, de sacris et religionibus conqueratur, an ex sororum cubiculo egressus, pudorem pudicitiamque defendat? Responsum haruspicum hoc recens de fremitu in con-

adhuc obscurum. Ita ille, satis ingenue. Mox addidi *se* ex vett. editt., quoniam h. l. vix tolerabilis erat ellipsis pronominis. WOLF.

Quomodo ipse gloriari solet) Error obrepsit Ernestio, haec verba ad vocem *sua* referenti: quasi gloriatus sit, concionem in sua semper potestate esse. Pertinent potius ad 200 senatusconsulta, quibus frustra a senatu petitus sit: quae elatorie mentitus est scriptor, etsi istum numerum de *sexcentis*, de quovis magno, interpretetis. Recte enim monitum est, non videri *omnia* in Clodium facta SS. CC. ad religiones pertinuisse, uti nihil ad eas pertinuerunt recentia duo, quorum mentio fit infra cap. 8, et ad Q. Fr. II, 3. ID.

Responsum — de fremitu) Armorum in caelo seu terra, strepitum bellicum imitantium. Cf. §. 20, Ovid. Met. XV, 783: « Arma inter nigras crepitantia nubes, terribilesque tubae, auditaque cornua caelo. » Ab hoc caelesti fremitu distinguitur terrestris sive infernus. Cf. Oudendorp. ad Iulium Obseq. c. 105. Qualis autem hic fremitus fuisset, vel, ut absurde infra loquitur (notabiliter, ut

cione recitavit: in quo cum aliis multis scriptum etiam illud est (id quod audistis) *loca sacra et religiosa, profana haberi.* In ea causa esse dixit domum meam, a religiosissimo sacerdote, P. Clodio, consecratam.
10 Gaudeo mihi de toto hoc ostento, quod haud scio an gravissimum multis his annis huic ordini nuntiatum sit, datam non modo iustam, sed etiam necessariam causam esse dicendi. Reperietis enim ex hoc toto prodigio atque responso, nos de istius scelere ac furore, ac de impendentibus periculis maximis, prope
11 iam voce Iovis Optimi Maximi praemoneri. Sed primum expiabo religionem aedium mearum, si id facere vere ac sine cuiusquam dubitatione potero. Sin scrupulus tenuissimus residere aliquis videbitur, non modo patienti, sed etiam libenti animo portentis deorum immortalium religionique parebo.

VI. Sed quae tandem est in hac urbe tanta domus, ab ista religionis suspicione tam vacua atque pura? Quamquam vestrae domus, Patres conscripti, ceterorumque civium, multo maxima ex parte sunt liberae religione, tamen una mea domus iudiciis omnibus liberata, in hac urbe, sola est. Te enim appello, Lentule, et te, Philippe. Ex hoc haruspicum responso decrevit senatus, ut de locis sacris religiosis ad hunc ordinem referretis. Potestisne referre de mea domo? quae (ut dixi) sola, in hac urbe, omni religione, omnibus iudiciis, liberata est: quam primum inimi-

Boherius, ad Petronii Carmen v.134) *strepitus cum fremitu*, fortasse ipse non admodum scivit Auctor. Dioni c. 39 est Ϡόρυβος ὑπὸ γῆς. W.

De fremitu) Ernestius suspicatur excidisse *terrae*.

Datam — iustam — necessariam causam) Optima loquutio est: sed vehementer dubito, an Ciceroni nostro tam necesse fuerit verba facere de hoc ostento. Nam, si necesse fuisset, si v. g. in hoc ipso senatu actum esset de prodigiis illis et Haruspicum responsis, non tam misere erravisset Orator in toto exordio, antequam ad novissimam Clodii concionem et hinc ad ista responsa perveniret. W.

cus ipse, in illa tempestate ac nocte reipublicae, quum
cetera scelera stilo illo impuro, Sex. Clodii ore tincto,
conscripsisset, ne una quidem attigit litera religionis?
Deinde eandem domum populus romanus, cuius est
summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis,
omnium aetatum ordinumque suffragiis, eodem iure
esse iussit, quo fuisset. Postea vos, Patres conscripti, 12
non quod dubia res esset, sed ut huic furiae, si diu-
tius in hac urbe, quam delere cuperet, maneret, vox
interdiceretur, decrevistis, ut de mearum aedium re-
ligione ad pontificum collegium referretur. Quae tanta
religio est, qua non in nostris dubitationibus, atque
in maximis superstitionibus, unius P. Servilii ac M.
Luculli responso ac verbo liberemur? De sacris pu-
blicis, de ludis maximis, de deorum penatium Vestae-
que matris caerimoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit
pro salute populi romani, quod, post Romam condi-
tam, huius unius casti tutoris religionum scelere viola-

Ne una quidem attigit litera religionis?) Vt Ciceronem tibi legere videare, illico reponas *de religione.* Sic ipse pro Cluent. c. 65: « In quibus tabellis *de furto* (non *furti*) *litera* nulla iuvanitur. » Et mox ibidem: « *De eo*, quod quaerebatur, *verbum* nullum fecit. » Contra similiter iste pro Domo cap. 50: « Vnum ostende *verbum consecrationis*, » ubi Cicero scripturus fuisset *de consecratione.* Markl. Poterat sane ita dicere: sed qui *religionis* damnat, is eadem *calumniam religionis*, qua Cicero ad Lentulum I, 1, utitur, et omnem illam rationem damnat, quam Grammatici genitivum obiecti solent appellare. Gesn. Quam disparia hic misceantur, suus quemque grammaticus sensus docebit. Perbene dicitur *calumnia religionis*, quia dici potest *calumniari religionem*: quid autem simile in isto est? Immo et Ernestio non tam perspicuum visum esse hunc genitivum, ostendit ei necessaria visa explicatio: Nihil in lege scripsit, quod eo pertineret, ut domus religiosa, religione devincta fieret. De *comitiis centuriatis* mox nihil nobis innotuit in hac caosa; sed verba fere eadem sunt, quae pro Domo §. 75. Wolf.

Vox interdiceretur) I. F. Gronov. coni. *incideretur.* At Gulielm. *interciperetur.* In marg. ed. Lamb. *intercluderetur.* — *Vox intercideretur*) Ne posset unquam dicere, meam domum, quam ipse consecrasset, religione non esse liberatam. Man.

tum est, quod tres pontifices statuissent, id semper populo romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est. At vero meam domum P. Lentulus, consul et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M' Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, flamen Martialis, P. Galba, Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices

L. Claudius, rex sacrorum) Duae fuerunt familiae gentis *Claudiae* s. *Clodiae*, altera *Pulchrorum* vel *Neronum*, altera *Marcellorum*; illa patricia, haec plebeia. Sed Claudii patricii iam aliquot ante annos, communi consensu, praenomen Lucii repudiarant, quod duo homines eo praediti (Lucii Claudii Pulchri) opprobrio fuerunt gentilibus suis, teste Suetonio Tib. c. 1. Cui rei simile quiddam de praenomine Marci in gente Manliorum traditur ap. Liv. VI, 20, et Cic. Philipp. I, 13. Quare ubicumque illa aetate Lucium reperimus in Claudia gente, oportet eum ex Marcellis existimari atque plebeium; v. c. illum L. Clodium in Epp. ad Fam. III, 4, 5, 6, 8. Indeque etiam intelligi licet, istum L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, cuius meminit Or. pro Cluent. c. 14, libertinum vel ex posteris libertini fuisse, manumissore quodam ex plebeia stirpe Clodiorum. Nam de Sex. Clodio Phormione, qui nominatur pro A. Caecina cap. 18, etsi ipse quoque libertinae conditionis fuit, non constat, utri illarum familiarum debuerit libertatem suam. Iam si haec pauca cognovisset Declamator, non venditasset nobis L. Clodium aliquem pro Rege sacrorum, quod ut Ciceroni ne imputari quidem potest, ita error facilis erat homini scholastico, Romanarum rerum non tam gnaro, quam in Vrbe natum decebat. Markl. Subtilis scrupulus oritur ex eo, quod in Pontificibus ponitur L. Claudius, quum constet, illud praenomen abdicatum esse a patriciis Claudiis, sacrificulus autem Rex non potuerit esse nisi ex patriciis. Sed quid, si non ita sancte illa observata lex fuit? Quid, si illa L ex C corrupta est? Similis plane haec disputatio illi est, qua de L. Claudio praetore quaeritur, cui Siciliam decretam legimus Liv. XL, 21, al. 26. Gesn. Quid denique, si haec Oratio ab homine inducto composita est? W.

Pontifices minores) His tribus atque etiam Rege sacrorum et duobus Flaminibus numero exemptis, restant XIII in collegio Pontificum, quod ex lege Sullana ad XV adauctum erat. Desunt igitur duo, Iul. Caesar et Pinarius Natta (pro Domo §. 118) quorum ille tum in Gallia bellum gerebat, hunc Norisius ad Cenotaph. Pis. I, 5, humane suspicatur, prae pudore non affuisse ad illud iudicium. Sed Flamines in Pontificibus annumerati arguunt, illos quoque in Pontificum

minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.

VII. Nego unquam post sacra constituta, quorum 13
eadem est antiquitas, quae ipsius urbis, ulla de re, ne de capite quidem virginum Vestalium, tam frequens collegium iudicasse; quamquam ad facinoris disquisitionem interest adesse quamplurimos. Ita est enim interpretatio illa pontificum, ut iidem potestatem habeant iudicum. Religionis explanatio vel ab uno pontifice perito recte fieri potest: quod idem in iudicio capitis durum atque iniquum est. Tamen sic reperietis, frequentiores pontifices de mea domo, quam unquam de caerimoniis virginum iudicasse. Postero

collegio locum et ferendae sententiae ius habuisse. Unum mireris, cur ii non iunctim positi sint, si modo apud talem Scriptorem omnino de ordine nominum quaeri posset. Sine causa ergo mirabatur Manutius, quod Metellus non statim cum Lentulo nominatus, non consul appellatus esset: quamquam alii propter eam ipsam rem alium Metellum intelligi malebant. Quod autem praetermissus est Flamen Dialis, perquam memorabile est, eum locum tum vacasse, auctore Tacito Annal. III, 58. Id casune an doctrinae Oratoris adscribam, deus aliquis scierit; ut Gesnerus si animadvertisset, hinc sane probabile argumentum suae causae ducere potuisset. ID.

Duobus locis dicta) Primum in senatu, absente Cicerone, quum de reditu eius ageretur: deinde in foro ap. Pontifices, ipso causam suam agente. MAN.

Ita est enim interpretatio) Minime Ciceronianum est hoc *ita*, eo modo positum, ut pro Domo §. 71. Deinde *explanatio*, quod plures MSS. habent, etiam sex Oxonn., nihil aliud est quam modo erat *interpretatio*, supra *responsum*, ex quo posthac fiebat *expiatio*. Quod postremum vocabulum a Lambino et aliis vulgatum erat, invitissima sententia, ut recte docuerunt Ernestius et Garatonius. Iam vide, quam parum h. l. sibi constet Declamator, in rebus non minus laudens quam in verbis. Antea tollendae religioni duorum Pontificum responsum ac verbum sufficiebat; dein tribus erat opus; iam vel per unum, scilicet peritum, res fieri potest. Cf. ad Or. pro Domo §. 120. W.

Explanatio) Graev. e cod. Franc. edidit *expletio*. Idem iam Io. Sturmius et Car. Sigonius probaverant, et receperat Lambinus.

Postero die) Similem diligentiam admirati sumus ad Or. in Sen. §. 26.

die frequentissimus senatus, te consule designato, Lentule, sententiae principe, P. Lentulo et Q. Metello consulibus referentibus, statuit, quum omnes pontifices, qui erant huius ordinis, adessent, quumque alii, qui honoribus populi romani antecedebant, multa de collegii iudicio verba fecissent, omnesque iidem scribendo adessent: domum meam, iudicio pon-
14 tificum, religione liberatam videri. De hoc igitur loco potissimum videntur haruspices dicere, qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc praecipue iuris habet, ut ab ipsis, qui sacris praesunt, sacer non esse iudicatus sit? Verum referte: quod ex senatusconsulto facere debetis. Aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo sententiam dixistis, et eam religione omni liberastis; aut senatus ipse iudicabit, qui, uno illo solo antistite sacrorum dissentiente, frequentissimus antea iudicavit; aut, id quod certe fiet, ad pontifices reiicietur, quorum auctoritati, fidei, prudentiae maiores nostri sacra religionesque, et privatas et publicas, commendarunt. Quid ergo hi possunt aliud iudicare ac iudicaverunt? Multae sunt domus in hac urbe, Patres conscripti, atque haud scio, an paene cunctae iure optimo; sed tamen iure privato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipi, iure
15 nexi. Nego esse ullam domum aliam, aeque privato iure, atque optima lege, publico vero omni praecipuo,

Hic autem designandus erat dies, a quo ille *posterus* numeraretur. Post paulo: elegantem periphrasin *magistratuum* puta, *qui honoribus populi Rom. antecedebant*: sed verbum ineptum. W.

Scribendo adessent) Quum S. C. fiebat in gratiam alterius, illius omnes amici solebant adesse, dum scriberatur: qui nominabantur ut testes in eodem decreto. Ferr.

Hoc igitur loco) Vulgo addebatur *sacro*, quod abest cod. Erf. idque iubente etiam Garatonio recte Beckius delevit. — Sententia haec est: Non putandi sunt Haruspices loqui de domo mea i. e. de loco, quem sacrum non esse iudicaverunt Pontifices. Mox, quum dicit *Referte*, Cn. Lentulum et Philippum consules alloqui videtur ob locum c. 6 init. W.

Atque optima lege) P. Manut. emendabat: *quo quae optima lege*; idque Graevius probavit. Ernestius verba

et humano, et divino iure munitam. Quae primum aedificatur ex auctoritate senatus, pecunia publica; deinde contra vim nefariam huius gladiatoris, tot senatusconsultis munita atque septa est.

VIII. Primum negotium iisdem magistratibus est datum anno superiore, ut curarent, ut sine vi mihi aedificare liceret, quibus in maximis periculis universa respublica commendari solet; deinde, quum ille saxis et ignibus et ferro vastitatem meis sedibus intulisset, decrevit senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quae est in eos, qui universam rempublicam oppugnassent, teneri. Vobis vero referentibus, o post hominum memoriam fortissimi atque optimi consules, decrevit idem senatus frequentissimus, qui meam

atque optima lege glossatori tribuebat. Garatonius ex vestigiis variarum in MSS. lectionum haec effecit: *Nego esse ullam domum aliam privato eodem quo quae optima lege.* — Vulgatam scripturam defendere licebit sic interpretando: Quum omnes privatorum domus sint iure optimo, verum tamen privato; nulla omnino domus neque (ac mea) simul privato et publico iure munita est. At quidquid praeferes, variae, quae deinceps memorantur, species iuris privati nobis partim obscurae sunt, partim declamatoriae futilitatis videntur, ad quas illustrandas, pervelim videre, quid eruditi Iureconsulti post Budaeum et Sigonium ex fontibus suae doctrinae afferre possint. Nos enim, quum *domos optimo iure* easdem putemus, quae vocantur alias *praedia urbana optimo iure*, de quibus lib. VIII. Digestorum agitur, si modo hoc *ius* ad *servitutes* pertinet, primum nullo pacto videmus, quomodo *cunctae* (seu *paene cunctae*) domus in Vrbe esse potuerint *iure optimo*, i. e. tales, quae nullam servitutem patiantur, deinde multo minus, quid h. l. sibi velint iura quatuor, hereditarium, auctoritatis, mancipi, nexi, h. e., ut Ferratius interpretatur, hereditatis, usucapionis, venditionis, oppignerationis. WOLF.

Iisdem magistratibus — quibus — solet) Periphrasin *consulum* esse videmus, respectu notissimi S. C. *Videant, ne quid respubl. detrimenti capiat.* Sed durissimam constructionem faciunt haec verba, *quibus — solet*, tanto intervallo disiuncta a nomine suo. Praeterea in toto loco finguntur tria decreta (*primum — deinde — vobis vero —*), praeter morem et historiae fidem, nimirum ut appareat, cur *tot senatusconsultis munitam domum* dixerit. ID.

Meis sedibus) *Aedibus* e cod. Ox. affertur. Idem est in edd. nonnullis ante Gruterum, revocatum a Wolfio.

Quae est in eos) Ernestius reposuit *esset.*

domum violasset, contra rempublicam esse facturum.
16 Nego, ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus exstare consulta, quot de mea domo, quam senatus unam, post hanc urbem constitutam, ex aerario aedificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a iudicibus puniendam putaret. P. Valerio, pro maximis in rempublicam beneficiis, data domus est in Velia publice; at mihi in Palatio restituta. Illi locus; at mihi etiam parietes atque tectum. Illi, quam ipse privato iure tueretur; mihi, quam publice magistratus omnes defenderent. Quae quidem ego si aut per me, aut ab aliis haberem, non praedicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer. Sed, quum sint mihi data a vobis, quum ea attententur eius lingua, cuius antea manu eversa vos mihi et liberis meis manibus vestris reddidistis: non ego de meis, sed de vestris factis loquor; nec vereor, ne haec mea vestrorum beneficiorum praedicatio, non
17 grata potius, quam arrogans videatur. Quamquam, si me, tantis laboribus pro communi salute perfunctum, efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum hominum animi quidam dolor, quis non ignosceret? Vidi enim hesterno die quendam murmurantem; quem aiebant negare, ferre me

A iudicibus puniendam) Hoc verbum Latine scientissimis viris merito displicuit, optaruntque illi *muniendam*. Bene contra Ernestius, ne hoc quidem satis aptum esse *iudicio*, monuit, ac servandum vulgatum ex omnibus MSS. sensu *ulciscendi*. In hoc ipso tamen usu nihil rectum est, siquidem nulla analogia *domus* vel alia *bona*, quae quis violavit, *puniuntur*. W.

In Velia publice) Sic Ianus Palmerius emendavit h. l. probantibus Graevio, et Garatonio, idque eum Wolfio et Beckio recepi. Vulgo olim *in villa publica*, pro quo Sturmius cum ed. utraque Ven. itemque Ernestius receperunt *in via publica*. Pantagath. ap. Vrsin. *in vico publico*; Ant. Augustin. *in via sacra*. Phil. Rubenius Elector. I, 7, *in Velia publica*.

Quem aiebant negare) Cicero haud dubie addidisset se, ut vere notavit Ernestius. In reliquis usque ad finem capitis vel patientissimum lectorem offendet garrulitas studiumque imma-

posse, quia, quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem civitatis, respondi, me, probantibus et vobis et equitibus romanis, eius esse, quae carere me non potuisset. Ille, ut opinor, ingemuit. Quid igitur responderem? (quaero ex eo ipso, qui ferre me non potest). Me civem esse romanum? literate respondissem. Tacuissem? desertum negotium. Potest quisquam vir in rebus magnis cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? At ipse non modo respondet, quidquid potest, quum est lacessitus; sed etiam gaudet, se ab amicis, quid respondeat, admoneri.

IX. Sed, quoniam mea causa expedita est, videa- 18
mus nunc, quid haruspices dicant. Ego enim fateor, me, et magnitudine ostenti, et gravitate responsi, et una atque constanti haruspicum voce vehementer esse commotum. Neque is sum, qui, si cui forte videor plus quam ceteri, qui aeque atque ego sunt occupati, versari in studio literarum, his delecter, aut utar omnino literis, quae nostros animos deterrent atque avocant a religione. Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum maiores nostros:

ne loquendi. Primum, quid opus erat aliena auctoritate, si illum *quendam* ipse *vidit*, vel potius audivit, *murmurantem*? Deinde *me* absurdo loco collocatum est: nam dicere voluit, respondisse se, probantibus senatu et equitibus. Et quid est *literate respondere*? Nesciebant hoc Manutius et Graevius, ut docent eorum interpretationes, quibus novam Ernestius addidit ex contextu, *ad literam*. Quasi uspiam ita loquutus esset bonus scriptor. Cf. Intpp. ad Cic. Brut. c. 28. Mox Oxonn. quinque cum quibusdam editt. *An tacuissem*. W.

Literate respondissem) Scite et eleganter. Sic per *εἰρωνείαν* loquitur. Nihil enim in his literati: *civis Romanus sum*. Sed perquam scitum est, *eius civitatis sum, quae carere me non potuit*. Graev.

At ipse non modo respondet, quidquid potest) Significat, eum, quisquis sit, non solum esse malevolum, sed etiam tardum atque hebetem, quippe cui nihil in mentem veniat, quod lacessitus respondeat. Lamb.

Literis, quae — avocant a religione) Ad philosophiam hoc referendum est, et quidem maxime ad Epicuream. W.

quorum mihi tanta fuisse sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum prudentiam, non dicam assequi, sed, quanta fuerit, perspicere possint; qui statas solemnesque caerimonias, pontificatu; re-

Qui statas solemnesque caerimonias—putarunt) Hic est locus ille, quem ad suum usum convertisse creditur Valerius Max. I, 1: « Maiores nostri statas solemnesque cerimonias, Pontificum scientia; bene gerendarum rerum auctoritates, Augurum observatione; Apollinis praedictiones, vatum libris; portentorum depulsa, Etrusca disciplina explicari voluerunt. » Quae si Valerius sumsit a Cicerone, imitator multo rectius scripsisse videri debet. Nam quod in oratione nostra dicitur *pontificatus*, illi est *Pontificum scientia*, rectiore loquutione. *Pontificatus* enim nusquam significat *scientiam*, *peritiam*, *artem Pontificas*, sed *munus ipsum*; sicut *auguratus*, *tribunatus*, *consulatus* etc. non significant *Auguris*, *Tribuni*, *Consulis scientiam*, sed *munus* et *honorem*. Ex eodem genere apud Valerium legitur *Augurum observatio* pro *augurio* oratoris nostri. Tametsi hoc paulo tolerabilius est, quoniam haec vocis vis apud poëtas certe reperitur, ut Virgil. Aen. IX, 328, ubi id Servius notatu dignum duxit: *Augurio hic pro scientia augurali*: similiterque, puto, apud eundem Aen. I, 392. Simul illud mirere, quod Auctor non candem formam posuit in utroque vocabulo, neque *auguratu* scripsit sicut *pontificatu*, quum ratio esset minime diversa. Hoc amplius: Valerius quidem simpliciter et perspicue scribit *Apollinis praedictiones*, at Orator noster, *fatorum veteres praedictiones Apollinis*, inepta circumloquutione, nisi forte quis coniungere malit *Apollinis vatum libris*; qua in re duo vocabula minime apta essent, *veteres* et *Apollinis*. Quodsi imperitus Scriptor hoc sibi negotium fecisset, ut locum Valerii Max. interpolaret atque sic refingeret, ut suus esse videretur, non potuisset id exsequi melius, quam mutanda ad istum modum forma verborum. Atque ita plane rem factam esse, probabilem habemus causam suspicandi, id est, Oratorem eam sententiam mutuam sumsisse a Valerio, non Valerium a Cicerone. Nam inter Valerium et Pedianum, a quo primo hanc orationem laudari supra vidimus, satis longum temporis spatium interiectum est, quo illa componi potuerit, sive Pedianum a. V. 812 seu aliquot annis ante scripsisse arbitreris. Illa autem aetate nihil vulgatius fuit hoc genere fraudum, quo facile declamatores imponere potuerunt hominibus, iam tum ad insignem ignorantiam rerum delapsis. Ita M. Seneca Praef. Controv. I: « *Sententias*, *a disertissimis viris factas*, facile in tanta hominum desidia, *pro suis dicunt*, et sacerrimam eloquentiam, quia praestare non possunt, violare non desinunt. » Et mox de iisdem: « Fere enim aut nulli commentarii maximorum declamatorum exstant; aut, quod peius est, FALSI. » MARKL. De loco, quem ante oculos, h. e. in memoria habuit, ut adhuc omnes crediderc, Valerius Maximus, satis supra dictum; nisi quod illud ad hunc locum reservari debuit, male reprehendi formulam, *Pontificatu statas solemnesque cerimonias contineri*. Quid enim? Non *pontificatus* est munus Pontificis?

rum bene gerendarum auctoritates, augurio; fatorum
veteres praedictiones Apollinis, vatum libris; por-
tentorum explanationes, Etruscorum disciplina con-
tineri putarunt: quae quidem tanta est, ut nostra
memoria primum Italici belli funesta illa principia,
post Sullani Cinnanique temporis extremum paene di-
scrimen, tum hanc recentem urbis inflammandae de-
lendique imperii coniurationem non obscure nobis
paulo ante praedixerint. Deinde etiam cognovi, multa 19
homines doctissimos sapientissimosque et dixisse, et
scripta de deorum immortalium numine reliquisse.
Quae quamquam divinitus perscripta video, tamen
eiusmodi sunt, ut ea maiores nostri docuisse illos, non
ab illis didicisse videantur. Etenim quis est tam ve-
cors, qui aut, quum suspexerit in caelum, deos esse
non sentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix
quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem
persequi possit, casu fieri putet; aut, quum deos esse
intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tan-
tum imperium esse natum, et auctum, et retentum?
Quam volumus licet, Patres conscripti, ipsi nos ame-

Nonne autem munere eo continentur cerimoniae consecrandi, dedicandi, devovendi, de religione respondendi etc.? Piget, nescio, an pudet, in talibus versari: sed neutrum aequum est in iis, ad quae adhaesit, si serio adhaesit, Marklandus. Gesn. Ego vero Gesnerum nos iam nimis diu ludos facere putabam. W.

Explanationes) Lambin. cum Sigonio et Pighio legendum putabat *expiationes*.

Praedixerint) Graevius *praedixerit* e MS. Franc. et ed. pr.

Quam volumus licet, ipsi nos amemus) H. e. licet nos ipsi amemus, φιλαυτίᾳ capti, quantum volumus. Hinc bene Garatonius observat intelligi posse, quid Latinis sit *quamvis licet*, neque hunc esse pleonasmum, ut nonnullis visum est, sed tria verba, *quam vis licet*, ut iam Davisio ostendit Bentleius ad illud Cic. Tusc. IV, 24: *Quamvis licet insectemur istos.* Ceterum haec propter veritatem sententiae laudavit Schlözerus noster in conspectu historiae univers. pag. 305, haud scio an sine causa. Neque enim simpliciter verum est, ceteras gentes Romanis illo tempore nullum cessisse pietate et religione deorum; atque in toto loco declamatorium frigus facile sentias. Wolf.

mus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terrae domestico nativoque sensu, Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.

20 X. Quare, ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos; et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete: QVOD IN AGRO LATINIENSI AVDITVS EST STREPITVS CVM FREMITV. Mitto haruspices, mitto illam veterem ab ipsis diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriae datam disciplinam: nos nonne haruspices esse possumus? EXAVDITVS IN AGRO PROPINQVO ET SVBVRBANO EST STREPITVS QVIDAM RECONDITVS, ET HORRIBILIS FREMITVS ARMORVM. Quis est ex gigantibus illis, quos poëtae ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid deos populo romano praemonstrare et praecinere fateatur? De ea re scriptum est, POSTVLATIONES ESSE IOVI, SA-
21 TVRNO, NEPTVNO, TELLVRI, DIIS CAELESTIBVS. Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur; sed, hominum quae ob delicta, quaero. LVDOS MINVS DILIGENTER FACTOS

QVOD IN AGRO LATINIENSI) Loqui videtur de iisdem Latiniensibus, quos inter populos veteris Latii recenset Plinius III, 9, pag. 167 edit. Hard. Eorum agrum Vrbi admodum propinquum fuisse, arguit mox eiusdem responsi ineptissima variatio. Conf. Cluverii Ital. ant. III, 3, p. 899. Paulo post Barb. et Ch. *Etruriae traditam*, ut cum C. Stephano correxit Lambinus. ID.

Quis est ex gigantibus illis — fateatur?) Suaviter ridet Wolfius declamatorem nostrum qui hoc praesentis temporis usu, significare videatur, esse quosdam ex gigantibus illis inter senatores.

POSTVLATIONES) Olim addebatur *decretas*, quod codd. MSS. auctoritate deleverunt Car. Steph. Gruter. — *Postulationes*) Postulationes erant, quum Dii violati aliquid fieri postularent, ad avertenda mala, quae ostenta minabantur. GRAEV.

LVDOS) Graev. mavult *OB LVDOS*,

POLLVTOSQVE. Quos ludos? te appello, Lentule (tui sacerdotii sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum), vosque, Pontifices, ad quos epulones Iovis Optimi Maximi, si quid est praetermissum, aut commissum, afferunt; quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur: qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? Respondebis et pro te, et pro collegis tuis, et pro pontificum collegio, nihil cuiusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum: omnia solemnia ac iusta ludorum, omnibus rebus observatis, summa cum caerimonia esse servata.

XI. Quos igitur haruspices ludos minus diligenter 22
factos pollutosque esse dicunt? eos, quorum ipsi dii immortales, atque illa Mater Idaea, te, te, Cn. Lentule, cuius abavi manibus esset accepta, spectatorem esse voluit. Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis, atque his de

etsi vulgatam defendi posse non negat.

Tui sacerdotii) Pontifex non erat, ut e sequentibus constat: erat autem, opinor, epulo Iovis Opt. Max. MAN. Ad Epulones autem spectabat curare et praeesse ludis et epulis, adeoque sacros currus apparare, ut ex sequentibus patet. *An.*

Tensae, curricula) Tensae sunt sacra vehicula, quibus Deorum statuae in Circensi pompa circumferebantur, ut notatum ad Verrinas ex Asconio. *Curricula* sunt aurigarum, bigariorum, trigariorum, quadrigariorum currus, quibus in ludis illis certabant. GRAEV.

Praecentio) Est tibicinum, qui in ludis, quum sacrificarent, tibiis canebant. ID.

Quanto aut quo scelere) *Quando aut quo* coniecit Ernestius; eleganter, i. e. speciose, non vere fortasse. Mox dicere debuit *negligentia omissum:* sed *contemptum* dixit, quia in tali negligentia fere contemptus esse solet. WOLF. — Ernestii coniecturam admisit Schützius. *T.*

Mater Idaea) Male olim *Mater dea.* Veriorem lectionem ex emendatione Faërni receperunt Lambin. Ern. etc.

Abavi) Sic legendum esse viderunt Fabricius et Manutius, quum olim legeretur *cuius ab avia.* Significatur autem P. Scipio Nasica, qui sacra Idaeae matris accepit, nondum quaestorius A. V. 549, etsi is Cn. Lentuli Marcellini *atavus* non *abavus* fuit.

rebus iam queri liceret. Vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis collecta servorum ab hoc aedili religioso, repente fornicibus ostiisque omnibus, in scenam, signo dato, immissa irrupit. Tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quae in privato quondam tuo proavo. Te, nomen, imperium, vocem, adspectum, impetum tuum stans senatus, equitesque romani, et omnes boni sequebantur, quum ille servorum et ludiorum multitudini senatum populumque romanum vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradi-
23 disset. An, si ludius constitit, aut tibicen repente

Vis enim — incitata — in scenam — irrupit) Statue, constructionem hanc esse: *vis innumerabilis servorum, collecta ex omnibus vicis, incitata ab hoc aedile* (sic enim hunc ablativum, non *aedili*, scribendum ex bonis auctoribus praecepit Charis. lib. I, p. 96) *religioso in scenam irrupit.* Sed multo melius scripsisset, si omisisset *incitata*, ut recte Ernestius notavit: qui etiam monuit, quod infra Marklandus, *scenam* hic pro caveadictam esse sine exemplo. De re ipsa, quomodo et quando facta sit, nusquam vestigium exstat. Wolf.

Tuo proavo) P. Cornelio Scipione Nasica Serapione, qui privatus Ti. Gracchum interemit.

An, si ludius constitit) Arnobius adv. Gentes IV, p. 148 (edit. Heraldi p. 186) « In caerimoniis vestris rebusque divinis postulionibus locus est, et piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut simpuvio deerravit, aut si rursus in solemnibus ludis curriculisque: commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, *si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* » Locum ex hac oratione excerptum esse, manifestum est, quamvis non appositum sit nomen Ciceronis; ut adeo hinc nihil efficiatur, nisi hoc scriptum vetustius esse Arnobio, qua de re omninò nemo dubitabit. Inde autem non apparet, illud potius Ciceronis esse quam Hortensii aut Curionis: etsi lubens concesserim, Arnobii saeculo orationem pro Ciceroniana lectam et ab ipso fortasse habitam esse. Markl. *Tenere terram* h. l. esse manibus tangere, docent Varro R. R. I, 2, et Macrobius Sat. III, 9; Turnebo Adverss. XVI, 10 laudati: quare non necesse est, cum Heraldo in Animadvv. ad Arnobium p. 268 corrigere, *si tensam non tenuit aut lorum amisit*, aut cum Salmasio et Fabretto, *si acerram.* Quamquam, quum tensae apud Arnobium nulla mentio fiat, non plane improbabilis est opinio Ernestii, verba *aut tensam* pro spuriis eiicienda ésse. Et probat eam coniecturam Garatonius, vel sic scribendum putat: *si terram non tenuit aut tensam, si lorum amisit.* Nam *si*, non *aut*, habent Franc. Barb.

conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit, aut si aedilis verbo, aut simpulo aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur: si ludi ab laetitia ad metum traducti sunt, si non intermissi, sed perempti atque sublati sunt; si civitati universae scelere eius, qui ludos ad luctum conferre voluit, exstiterunt dies illi pro festis paene funesti: dubitabimus, quos ille fremitus nuntiet ludos esse pollutos?

XII. Ac si volumus ea, quae de quoque deo nobis 25
tradita sunt, recordari: hanc Matrem magnam, cuius ludi violati, polluti, paene ad caedem et ad funus civitatis conversi sunt, hanc, inquam, accepimus, agros et nemora cum quodam strepitu fremituque peragrare. Haec igitur vobis, haec populo romano,

T. V. et alii apud Gruterum; *amisit* autem est in C. et Ps. Denique pro *simpulo*, lectione Palat. noni, ex Auctore suo Heraldus et alii malunt *simpuvia*, uti vocabulum saepius scribi solet. Vulgo *alim*, *nutu*. W.

Si ludius constitit) Ludius est histria, ὀρχηστής. Si interrumperetur saltatio, piaculum commissum credebatur. Servius in VII Aen.: *Quum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea, quum piaculum formidarent, invenerunt in circo saltantem senem quendam: qui quum interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: Salva res est, saltat senex.* Vide Festum, *salva res*. Ernesti.

Aut puer ille patrimus, et matrimus) *Patrimi*, quibus pater; *matrimi*, quibus mater; *patrimi et matrimi*, quorum uterque parens vivit. Illos autem adhibitos sacris Livius ostendit lib. XXXVII: *Patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti*. I. G. Vossius.

Tensam) *Aut tensam* omittitur ap. Arnobium adv. gentes IV, pag. 186, itaque delendum putabat Ernestius vel legendum *aut tensae lorum*.

Omisit) *Amisit* cod. Pal. 9, Erf. probante Garatonio. Ant. Augustinus malebat: *Si tensam non tenuit, aut lorum remisit.*

Accepimus, agros et nemora — peragrare) Plura de h. l. dicenda habebam, quae partim occupavit, qui mihi postremus omnium, iam nolulas meas ad librarium missuro, in manus venit, Garatonius. Nam is quoque admirari videtur, ut ego per-

et scelerum indicia ostendit, et periculorum signa patefecit. Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum, in ipso Matris magnae conspectu, Megalensibus fieri celebrarique voluerunt; qui sunt more institutisque maxime casti, solemnes, religiosi; quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum P. Africanus iterum consul ille maior dedit: ut eos ludos haec lues impura polluerit? quo si qui liber aut spectandi, aut

saepe feci, cur non scriptum sit *perègrasse.* At si non verbum *accepimus*, sed illa respicio, *si volumus — recordari*, satis tolerabile rursus videtur *peragrare* sive *peragrare solere.* Retrahunt quidem nos *ea*, quae statim adduntur: sed quid omnino laboramus in iis, quae quomodo intelligenda sint, *ipse* parum laboravit Auctor? Nimirum ei in mentem venerunt, quae alicubi legerat de furibundis cursibus Cybeles per fabulas tradita, ut apud Diod. Sic III, 59, eorumque si aulea memor fuisset §. 20, fortasse Telluri etiam Magnam Matrem adiecisset. At hanc quoque nomine Telluris significari potuisse censet Garatonius, motus auctoritate Lucret. II, 657. Quidquid erit, nemo non videt, quam inepte adiectum sit illud *de quoque deo.* W.

Nam quid ego de illis ludis loquar) *Nihil loqui* suaseris homini. Vix enim absurdius loqui potuisset de iisdem ludis, quos a Clodio pollutos esse dixit. Nam eosdem hic quoque commemorari, dubium esse nequit propter mentionem Palatii, quam et Livii locus habet a Manutio laudatus XXIX, 14 *extr.*, etsi modus transitionis ad rem diversam ducere videtur. Id.

Megalensibus) Asconius ad Orat. pro Cornelia I, ita scribit: *Videtur in hac oratione* (pro Cornelio) *hunc quidem auctorem* (Valerium Antiatem) *sequutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum. In ea autem quam post aliquot annos habuit de Haruspicum responsa non passum esse Scipionem, sed ipsum aucturem fuisse dandi eum locum senatoribus videtur significare. Verba eius haec sunt: « Num quid ega de illis ludis loquar, quos in Palatia nostri maiores ante templum Matris magnae fieri celebrarique voluerunt; quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus II cos. et collega eius Sempronius Longus — » Hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentiane Megalensium. Aediles enim eos ludos facere soliti erant. Votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus coss. fecerunt.* » Ex hac Asconii adnotatione patet, aliter in vera Ciceronis oratione de Haruspicum responsis rem narratam fuisse, ac declamatorem nostrum ludos Megaleases cum ludis Romanis s. magnis confudisse; quo errore ne tum quidem absolvi potest, si vocabulum Megalensibus, ut Muratus putavit, hic ab alia manu inculcatum esset.

Quo si qui liber) Redit ad eu Me-

etiam religionis causa accesserat, manus afferebantur; quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessita in hac urbe consederit; qui uni ludi ne verbo quidem appellantur latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris magnae nomine suscepta declaretur: hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt; tota denique, hoc aedile, servorum Megalesia fuerunt.
Pro dii immortales! qui magis nobiscum loqui pos- 25
setis, si essetis versareminique nobiscum? Ludos esse pollutos significatis ac plane dicitis. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam, omne servitium, permissu magistratus, liberatum, in alteram scenam immissum, alteri praepositum, ut alter consessus potestati servorum obiiceretur, alter servorum totus esset? Si examen apum ludis in scenam venisset, haruspices acciendos ex Etruria putaremus: videmus *universi* repente examina tanta servorum immissa in populum romanum septum atque inclusum, et non commovemur? Atque in apum fortasse examine, nos ex Etruscorum scriptis haruspices, ut a servitio caveremus,
monerent. Quod igitur ex aliquo disiuncto diverso- 26
que monstro significatum caveremus, id quum ipsum

galensia, quae Clodius dederat. MAN.

Qui uni ludi — declaretur) Notabilis animadversio, quasi ex Grammatici dictatis excepta. Sed absona est haec ratio: Ludi vocabulo appellantur peregrino, ut eos Magnae Matri dicatos esse appareat. Videlicet, si statim cogites Θεὰν Μεγάλην. W.

Ludos) *Publicos* addidit Graev. e cod. Franc. Et sic ed. 1472 Ven. pr.

In alteram scenam) Ubi sedebant spectatores, quum altera actorum esset. FERR.

Si examen apum ludis in scenam venisset) Tota haec fictio de examine in scenam delato vehementer nobis displicet; neque illo etiam tempore Haruspices levis porte nti causa ex Etruria acciri solitos esse arbitror. W.

Id quum ipsum sibi monstrum est) Romanum scriptorem potius dicturum fuisse *ipsum per se monstrum est*

sibi monstrum est, et quum in eo ipso periculum est, ex quo periculum portenditur, non pertimescemus? Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit, quum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caii, aut Appii, Claudiorum? Illi quum ludos facerent, servos de cavea exire iubebant: tu in alteram servos immisisti, ex altera liberos eiecisti. Itaque qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant.

XIII. Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat, Sibyllino sacerdoti, haec sacra maiores nostros ex vestris libris expetisse? si illi sunt vestri, quos tu impia mente conquiris, *violatis* oculis legis, conta-
27 minatis manibus attrectas. Hac igitur vate suadente quondam, defessa Italia Punico bello, atque ab An-

monuerunt Markl. et Wolf. qui quidem etiam verissime iudicat, *in monstro disiuncto diversoque* meram esse balbutiem.

Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? — patruus?) Hic quoque, ut aliis locis multis, aliquid latet, quod hodie manifesto convinci nequeat. Nam dubium est, an Appius Claudius, huius Publii pater, unquam fuerit aedilis: et aedilem fuisse oportet, si Megalesia fecit: Cicero quidem pro Planc. c. 21 refert, illum nobilissimum hominem, vivo patre suo, aedilem non factum, eundemque sine repulsa factum esse consulem. Quem locum cum nostro vix satis probabiliter sic concilies, ut eum, mortuo patre, aedilitatem adeptum putes. Nam nullum eius rei certum argumentum est apud Ciceronem, qui quum addit *vivo patre, potentissimo et clarissimo cive, C. Claudio*, indicat fortasse, patris potentiam filio non profuisse ad repulsam effugiendam. De patruo certior res: quippe C. Claudius Appii F. Pulcher aedilis fuit a. V. 655, dein praetor a. 659, et consul a. 662. Atque huius aedilitatem in primis magnificam fuisse, notum est ex libro de Off. II, 16; Verr. IV, 3; Valerio Max. II, 4, 6. Mox observanda est transitio ad tertiam personam, *Is mihi* etc. hoc certe loco molesta, quum eodem spiritu oratio redeat ad personam secundam. W.

Sibyllino sacerdoti) Unus erat Clodius ex decemviris, qui Sibyllinis libris praeerant: quod ex sequentibus intelligitur. Man.

Vestri) Hoc ineptissime dictum recte monuerunt Markl. et Wolf.

Vate suadente) Sibylla; vid. Liv. Decad. 3, lib. IX. *An.*

nibale vexata, sacra ista maiores nostri ascita ex Phry-
gia Romae collocaverunt: quae vir is accepit, qui est
optimus populi romani indicatus, P. Scipio; femina
autem, quae matronarum castissima putabatur, Q.
Claudia: cuius priscam illam severitatem mirifice tua
soror existimatur imitata. Nihil te igitur neque maio-
res tui, coniuncti cum his religionibus, neque sacer-
dotium ipsum, quo est haec tota religio constituta,
neque curulis aedilitas, quae maxime hanc tueri re-
ligionem solet, permovit, quo minus castissimos ludos
omni flagitio pollueres, dedecore maculares, scelere
obligares? Sed quid ego id admiror? qui accepta 28
pecunia, Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque
Matris deorum, vastaris, et Brogitaro Gallograeco,
impuro homini ac nefario, cuius legati, te tribuno,
dividere in aede Castoris tuis operis nummos solebant,
totum illum locum fanumque vendideris? sacerdotem
ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris? omnia illa,
quae vetustas, quae Persae, quae Syri, quae reges
omnes, qui Europam Asiamque tenuerunt, semper
summa religione coluerunt, perverteris? quae deni-
que nostri maiores tam sancta duxerunt, ut quum
refertam urbem atque Italiam fanorum haberemus,
tamen nostri imperatores maximis et periculosissimis
bellis huic deae vota facerent, eaque in ipso Pessi-
nunte ad illam ipsam principem aram, et in illo loco
fanoque persolverent. Quod quum Deiotarus reli- 29

Severitatem) In MSS. additur *sacrificii* quod ortum videtur ex male intellecta scripturae verbi *mirifice*. Recte id spurium iudicarunt Garat. Ern.

Pessinuntem ipsum) Discimus ex hoc et aliis duobus postea locis, Pessinuntem usurpari potuisse masculino genere. Apud Strabonem et alios Graecos est ἡ Πεσσινοῦς, ut et plura eiusdem formae nomina Latinis feminina esse solent. Propter rem conf. Or. pro Sext. c. 26. W.

Brogitaro) Deiotari regis genero. Man.

gione sua castissime tueretur, quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atque amantissimum nostri nominis; Brogitaro, ut ante dixi, addictum pecunia tradidisti. Atque hunc tamen Deiotarum, saepe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro iubes. Sed alter est rex iudicio senatus per nos; pecunia Brogitarus, per te appellatus; alterum putabo regem, si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti. Nam quum multa regia sunt in Deiotaro, tum illa maxime, quod tibi nummum nullum dedit; quod eam partem legis tuae, quae congruebat cum iudicio senatus, ut ipse rex esset, non repudiavit; quod Pessinuntem per scelus a te violatum, et sacerdote sacrisque spoliatum, recuperavit, ut in pristina religione servaret; quod caerimonias, ab omni vetustate acceptas, a Brogitaro pollui non sinit, mavultque generum suum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis carere. Sed, ut ad haec haruspicum responsa redeam, ex quibus est primum de ludis: quis est, qui id non totum in istius ludos praedictum et responsum esse fateatur?

XIV. Sequitur de locis sacris, religiosis. O impudentiam miram! de mea domo dicere audes? Com-

Amantissimum nostri nominis) Lambin. addidit *regem*.

Alterum putabo regem) Vrsinus legendum censebat: *alterum semper, alterum tum putabo regem si* etc. vel sic: *alterum semper putabo regem, alterum si* —. Garatonius coni. legendum, aut: *sed alter est rex iudicio senatus per nos, non pecunia per te appellatus; alterum putabo* —; aut: *sed alter — per nos, pecunia per te alter appellatus, quem putabo regem.* Fortasse vero sic scripsit declamator: *sed alter est rex iudicio senatus per nos appellatus; alterum putabo regem* etc.

Non repudiavit) I. F. Gronovius deleri volebat particulam *non*, recte repugnantibus Garatonio et Wolfio.

Vt in pristina religione servaret) Graev. coni. *ut pristinas religiones servaret.*

mitte vel consulibus, vel senatui, vel collegio pontificum tuam. Ac mea quidem his tribus omnibus iudiciis, ut dixi antea, liberata est. At in iis aedibus, quas tu, Q. Seio, equite romano, viro optimo, per te apertissime interfecto, tenes, sacellum dico fuisse et aras. Tabulis hoc censorum, memoria multorum
firmabo ac docebo. Agatur modo haec res (quod ex eo 31
senatusconsulto, quod nuper est factum, referri ad vos necesse est), habeo, quae de locis religiosis velim dicere. Quum de domo tua dixero; in qua tamen ita est inaedificatum sacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo sit demoliendum: tum videbo, num mihi necesse sit de aliis etiam aliquid dicere. Putant enim nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris aperire. Nuper id patuisse dicunt, et ego recordor. Nunc sanctissimam partem ac sedem maximae religionis privato dicunt vestibulo contineri. Multa me movent: quod aedes Telluris est curationis meae; quod is, qui illud armamentarium sustulit, meam domum pontificum iudicio liberatam, secundum fratrem suum iudicatam esse dicebat. Movet me etiam in hac caritate annonae, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, et eo magis, quod eodem ostento
Telluri postulatio deberi dicitur. Vetera fortasse lo- 32

Ac mea quidem — liberata est) Num et hic, ut nuperus Interpres fecit, librariorum fidem accusabimus? Errorem certe apparet inesse in *his tribus* (*omnibus*) *iudiciis*; quasi aliud proprium consulum iudicium fuisset, aliud universi senatus. W.

Agatur modo haec res) Plura sunt in hoc toto loco, quae non satis assequar; nonnulla forsan propter rerum, ad quas respicitur, ignorationem: nec feliciores video fuisse ceteros; modo tacent sapientius. Ernestius quidem corrigit *quam* pro *quod*, atque inde usque ad verba *necesse est* parenthesin facit. Sed non sufficiunt haec, ut deliramenta ad rationem redigantur. Id.

Telluri postulatio deberi dicitur) In aliquot libris est *postillo* vel *postulo*, sub quibus mendis latet *postilio* seu *postulio* pro *postulatione*, ut ad Varronem de L. L. IV, p. 41 ed. Bipont. ex veteribus glossis demonstravit Scaliger. Ibidem recte Turnebus: Est *postulatio*, quum dii violati *expiatio*-

quimur: quamquam hoc si minus civili iure perscriptum est, lege tamen naturae communi iure gentium sancitum est, ut nihil mortales a diis immortalibus usu capere possint.

XV. Verumtamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, quae fiunt quum maxime? quae videmus? L. Pisonem, quis nescit, his ipsis temporibus, maximum et sanctissimum Dianae sacellum in Caeliolo sustulisse? Adsunt vicini eius loci; multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia, illo ipso in sacello, stato loco, [1] anniversaria factitarint. Et conquirimus, dii immortales quae loca desiderent, quid significent, de quo loquantur? A Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, inaedificata, oppressa, summa denique turpitudine esse foedata nescimus?
33 Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua mente? quam amiseras. Qua manu? qua disturbaras. Qua voce? qua incendi iusseras. Qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras. Quo *pulvinari*? quod *stupraras*. Quo simulacro? quod ereptum

nem postulant voce Haruspicum, sicut Varronis l. l., « fortissimum civem in terram demitti. » Vanum enim discrimen est, quod Gutherius de I. P. IV, 15, statuit inter *postulionem* et *postulationem*. Sed si illa notio fuit sacri vocabuli ac similium (cf. Festus in voce *postularium fulmen*), quomodo scribi potuit *postulatio diis deberi?* Non rectius, puto, quam supra §. 20 in exemplis ante Gruterum una voce auctius legebatur, *postulationes decretas esse:* nisi forte nunc *postulationem* pro ipsa expiatione usurpari censes, usu vix concesso Romanis. Id.

Caeliolo) Sic ex Varrone, Sex. Rufo et Victore rescribendum censuerunt Graev. Garat. Wolf. Vulgo *Coeliculo*.

Gentilitia) Lambinianae repetitae Gruter. Graev., aliae *gentilia*. Alterum ex edd. pr. Ernestius revocavit.

(1) Sic scribi maluerunt Garat., Wolf. pro vulg. *statuto loco*. In ed. Mediol. est *statuto anni tempore*, quod Garatonius interpretamentum esse vidit voc. *anniversarii* pro quo cum Wolfio dedi *anniversaria*.

Suffossa) Vulgo addebatur *incensa*, quod in compluribus MSS. et edd. antiquioribus omissum delevit Ern.

Inaedificata) Hoc loco *inaedifico* significat *destruo*, *demolior*. Fern.

Quam amiseras!) *Qua invaseras* Ed. Naug. P. Man. C. Steph. Lambb. repetitae.

ex meretricis sepulcro in imperatoris monumento
collocaras. Quid habet mea domus religiosi, nisi
quod impuri et sacrilegi parietem tangit? Itaque, ne
quis meorum imprudens introspicere possit tuam do-
mum, ac te sacra illa tua facientem videre, tollam
altius tectum: non ut ego te despiciam, sed ne tu
adspicias urbem eam, quam delere voluistis.

XVI. Sed iam haruspicum reliqua responsa videa- 34
mus. ORATORES CONTRA IVS FASQVE INTERFECTOS. Quid
est hoc? De Alexandrinis esse video sermonem: quem
ego non refuto. Sic enim sentio, ius legatorum, quum
hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino
iure esse vallatum. Sed quaero ab illo, qui omnes
indices tribunus e carcere in forum effudit, cuius
arbitrio sicae omnes nunc atque omnia venena tra-
ctantur, qui cum Hermarcho Chio syngraphas fecit:
ecquid sciat, unum acerrimum adversarium Hermar-
chi, Theodosium, legatum ad senatum a civitate li-
bera missum, sica percussum? quod non minus, quam
de Alexandrinis, indignum diis immortalibus esse
visum certo scio. Nec confero nunc in te unum 35
omnia. Spes maior esset salutis, si praeter te nemo

Monumento) Catuli porticu.

Quid habet mea domus religiosi) Quaedam domus meae pars, quia P. Clodii, hominis impuri et sacrilegi, parietem tangit, religionis habere quiddam videtur; ut in ea habitare nefas esse videatur. MAN.

Ne tu adspicias — voluisti) Inepte additur alia causa, postquam dictum est, *ne quis meorum* etc. Nimirum acutula sententia et praeclarum antitheton quoquo loco assuendum erat. WOLF.

De Alexandrinis esse video sermonem) Bene interpretatur Ernestius: Audio, hoc vulgo sic accipi, ut ad Alexandrinos legatos pertinere dicatur. Sed *sermonem esse* a bonis scriptoribus non ita dicitur; neque *video* idem est atque *audio*, nisi apud eum qui rationem loquendi omnibus modis corrumpere et violenter stuprare solet. ID.

Ab illo) Ab ipso Clodio. FERR.

E carcere) Iudices fecit, quo anno tribunus pl. fuit, eos, qui propter scelera in carcerem coniecti erant. ID.

Hermarcho) Sic nomen scribendum esse monuit Goërenz. ad Cic. de Fin. II, 30. Vulgo *Hermacho*.

esset impurus. Plures sunt. Hoc et tu tibi confidis magis, et nos prope iure diffidimus. Quis Platorem ex Orestide, quae pars Macedoniae libera est, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Thessalonicam ad nostrum (ut se ipse appellavit) imperatorem venisse nescit? Quem ille, propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula coniecit, et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero foedissime et crudelissime venas incideret. Secures suas cruentari scelere noluit: nomen quidem populi romani tanto scelere contaminavit, ut id nulla re possit, nisi ipsius supplicio, expiari. Quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam medicis suis non ad salutem, sed ad necem utatur?

36 XVII. Sed recitemus, quid sequatur. FIDEM ET IVSIVRANDVM NEGLECTVM. Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor: sed ex eo, quod sequitur,

Hoc et tu tibi confidis—diffidimus) Scil. *saluti nostrae*. Plures sunt in republ. nefarii homines: id nos tanto magis habet sollicitos, quum tu hac malorum societate magis ad quidvis audendum impellaris. Verum haec simpliciora sordebant Rhetori prae bello antitheto, *confidis*, *diffidimus*. Et pari elegantia deinde *secures* iunxit *nomini populi rom.* De Platore conf. in Pis. §. 83. WOLF.

Vt se ipse appellavit) Non ipse se Imperatorem appellavit, sed a legionibus id nominis adeptus est ex more. Notavit Manutius Cic. in Pis. c. 16: «Appellatus est hic vulturius illius provinciae, si diis placet, Imperator.» Et cap. 23: «Imperator appellatus eras — Macedonicus Imperator.» MARKL.

Imperatorem) Pisonem.

Ex eo, quod sequitur) *Sacrificia vetusta* etc. Ex illa statim adiecta mentione polluti sacrificii, quod manifesto ad flagitium Clodii in sacris Bonae Deae pertinebat, vi contextus efficitur, illud responsum de *fide neglecta* referendum esse ad maculosos et corruptos iudices in illa causa. Hoc dicere voluisse Oratorem, plane sentimus; quam recte voluerit, indicent lectores. Nam ego iam sic affectus sum hac eloquentia, ut obmutescere libeat potius quam disertum esse in explicando; negligendumque puto lectorem, cui ne nunc quidem palatum per se sapiat. Duae tamen ineptiae omitti sine nota non debent. Nam primum parum opportune huc translata est ista sententia Catuli apud Cic. ad Att. I, 16: «Quum vidisset quemdam (iudicum istorum): Quid vos praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, ti-

suspicor de tuorum iudicum manifesto periurio dici; quibus olim erepti essent nummi, nisi a senatu praesidium postulassent. Quare autem de his dici suspicer, haec causa est, quod sic statuo, et illud in hac civitate esse maxime illustre atque insigne periurium, et te ipsum tamen in periurii poenam ab iis, quibuscum coniurasti, non vocari.

Et video, in haruspicum responsis haec esse sub- 37
iuncta, SACRIFICIA VETVSTA OCCVLTAQVE MINVS DILIGENTER FACTA POLLVTAQVE. Haruspices haec loquuntur, an patrii Penatesque dii? Multi enim sunt, credo, in quos huius maleficii suspicio cadat. Quis praeter hunc unum? Obscure dicitur, quae sacra polluta sint? Quid planius, quid gravius, quid religiosius dici potest? VETVSTA OCCVLTAQVE. Nego ulla verba Lentulum, gravem oratorem ac disertum, saepius, quum te accusaret, usurpasse, quam haec, quae nunc

mebatis? » Deinde quae est ratio iis, quae sequuntur, duabus rationibus interpretationis, *quod illud maxime illustre periurium fuit, et, quod Clodium iudices, quibuscum coniuravit, in periurii poenam non vocarunt?* Et quid sibi volunt in his ipsis postrema verba? Interpretem audiamus, misso facto Auctore. *Coniurare*, inquit, est simul iurare. Promiserant iudices Clodio, se contra iusiurandum facturos, mercede accepta: vicissim iureiurando Clodius affirmaverat, se fideliter daturum, quae pollicitus fuisset, iudicibus. Confectum est opera Crassi negotium, numerata pecunia. Non igitur peieravit Clodius, quum pactam mercedem statim dederit, ipsique eum iudices fidelem ac minime periurum fateantur; atque adeo soli iusiurandum neglexerunt et fidem, qui iurati contra ius fasque iudicarunt. — Acumen hoc est Ferratii, locum hunc pluribus verbis exponentis, quia, nisi attendatur, aliquanto videatur obscurior, ut ait. WOLF.

De tuorum iudicum manifesto periuro) Quum te de incestu notissimo absolverunt. MAN.

Nisi a senatu praesidium postulassent) locus in iudices a Clodio corruptos, qui de eius incestu iudicaturi, quum a senatu, quasi vim timerent, praesidium postulassent, et Clodium tamen, nummis ab eo acceptis, postea absolvissent. Festive Q. Catulus, quum ex iis quendam vidisset, *Quid vos*, inquit, *praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?* Epist. 14, lib. XV ad Attic. ID.

Coniurasti) Vna iurasti.

Subiuncta) Cod. Erf. *subiecta* quod praefertur a Graevio et Garatonio.

ex Etruscis libris in te conversa atque interpretata dicuntur. Etenim quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium, omni memoria, violavit, nemo unquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit; quod fit per virgines Vestales, fit pro populo romano; fit in ea domo, quae est in imperio; fit incredibili caerimonia; fit ei deae, cuius ne nomen quidem viros scire fas est: quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit.

XVIII. Non ignovit, mihi crede, non. Nisi forte tibi ignotum putas, quod te iudices emiserunt excussum et exhaustum; suo iudicio, absolutum; omnium, condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius re-
38 ligionis est, non perdidisti. Quis enim ante te sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam poenam, quae sequeretur illud scelus, scire posset? An tibi luminis

Tam vetustum) Edd. ante Car. Steph. *tam vetus.*

Nemo neglexit) Verba *nemo neglexit* Garatonius aut insititia aut corrupta putabat. Facile autem defendi possunt, si transponantur post *violavit*, ita ut *nemo neglexit* auctor posuerit pro *nemo contempsit.*

Quae est in Imperio) Non quod Pontifex Maximus re ipsa imperium haberet: sed quod eo anno Caesar Pontifex Max. erat praetor, et in consulis, aut praetoris domu fieri ea sacra solebant. Ferr.

Emiserunt) Sic Lambin. e MSS. antea *dimiserunt.*

Emiserunt excussum) Excussus hic est, qui nudus evasit, nummis pluribus redemptus scilicet. Metaphora ab eis, qui in latrones inciderunt. Gaut.

An tibi luminis — quam libidinis) Iam alio loco in his sensum communem desideravi. Dicere Auctor volebat: Nonne tibi melius fuerat, *oculis* privatum esse, quam *libidinis* impetu tantum scelus commisisse? Sed ut *caecitas luminis* significare possit, quod tamen vix ac ne vix quidem crediderim, sed ut illud significet *ablatum lumen*, id certo scio, *caecitatem libidinis* non magis dici posse pro *vacuitate libidinis*, quam *caecitatem divitiarum* pro *defectu divitiarum* vel *paupertate.* Markl. Pergit Cicero

obesset caecitas plus, quam libidinis? Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui magis op-

in illo quasi dialogismo: Punitus tamen es deinde caecitate, nempe *caecitate libidinis* i. e. caecitate mentis, quae oritur e libidine, quae plus obest, quam *caecitas luminis* seu ablata facultas luminis naturalis videndi. Nodum in scirpo quaerere Vir doctus, si usquam alias, hic videtur. *Caecitas luminis*, inquit, est privatio luminis; ergo etiam *caecitas libidinis* fuerit *libidinis absentia?* Quis vero unquam ita subtilis fuit, ut non diversarum relationum casus sic iungeret? Quid argutari quis posset in illo Ciceronis loco Verr. IV, 50: « Neque tam *servi* illi *dominorum*, quam tu libidinum etc. » Gesn. Sequentia verba errorem Merklandi satis arguunt: sed interdum legentem facile occaecat ipse Declamator futilitate sententiarum et antithetis suis Non perdidisti, inquit, usum oculorum (*luminum*) sed mentis; poenam tulisti sceleris tui, vesaniam, furorem libidinis. Hanc *caecitatem libidinis* vocat, quatenus homo *caecus libidine*, inde ipsa *libido caeca* dici potest, ut *caecus amor*, *caecus furor* etc. Sed *caecos oculos* Latine non dici, recte mihi observatum videtur a Mureto ad Senecam de Benef. III, 1: ergo nec *caecitatem luminis* (oculorum). Wolf.

Conniventes illos oculos — flagrantes sororis?) Ignorantia vel effectatio misere vexat hunc Scriptorem. Admodum improprie, nisi potius vitiose, *conniventes* dicuntur oculi App. Claudii Caeci. *Conniventes* oculi sunt tales, qui alternis clauduntur et aperiuntur: App. autem ille Caecus plane fuit caecus, et oculi eius clausi perpetuo. Markl. Imposuit viro vulgaris et receptus in optima etiam Lexica error de verbi illius potestate, qui (fatebor enim) etiam a me relictus est. Interpretantur enim, palpebras oculorum alternatim movere, ut solent, qui lucem, aut vigiliam adeo, diutius ferre nequeunt. Quemquem video, hic sapientiorem me fuisse Birrium: qui in suo Thesauri Stephaniani recensione adiecit, *immo claudere*. Ipsa interim exempla nostra docent, *connivere* non esse movere palpebras, sed *claudere*. Quid est apertius loco Cic. de Nat. D. II, 57? « Munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus et *apertis* oculis, si quid incideret, repelleretur, et *somno conniventibus*, quum oculis ad cernendum non egeremus etc. » Itaque in ancipiti, ni fallor ego, peccato ipse versatur V. D. Primo enim *connivere* non est alternis claudere et aperire oculos, sed claudere, clausos habere: deinde, si vera esset illa prior explicatio, quis ignorat, esse caecos etiam, quorum perpetua nictatione et alterna coniunctione ac discessu palpebrae moventur; et quis novit, an non in eo genere fuerit Appii caecitas? Gesn. Huic postremae, sane levissimae, rationi nemo fidem tribuerit. Acutior et doctior est Io. M. Mattii, Annotatt. in varios auctt. cap. 82, qui ex Diod. Sic XX, 36, ideo *conniventes* dici putabat oculos Appii, quod is caecitatem simulasse a nonnullis traditus esset. Iure tamen et hoc displicet Garatonio, prudenter monenti, non, quid tradiderint alii, sed quid Cicero sequutus sit, considerandum esse; Ciceronem autem, ut et Plutarchum Pyrrho p. 394 E. et alios, ubique Appium re vera cae-

tandos fuisse, quam hos flagrantes sororis? Tibi vero, si diligenter attenderis, intelliges hominum poenas deesse adhuc, non deorum. Homines te in re foedissima defenderunt; homines turpissimum nocentissimumque laudarunt; homines prope confitentem propter pecuniam iudicio liberaverunt; hominibus iniuria tui stupri illata in ipsos dolori non fuit; homines tibi arma, alii in me, alii post in illum invictum

cum fecisse: Tusc. V, 38, de Sen. c. 6, Or. pro Coel. cap. 14, Philipp. I, 5, etiam pro Domo cap. 40. Iam de verbo non negavit Marklandus, *connivere* etiam esse *claudere palpebras*, neque id negare mediocriter doctus potest, ne adiutus quidem a Forcellino, qui Lexicographus, saepe diligentior Birrio et aliis, propriae illius significationis optima exempla recensuit ex Cassio ap. Prisc. pag. 866, et Gellio XVI, 3. Vellemus modo, talia Rhetorem nostrum liberare possent angustiis suis. Sed id fecit cautior hoc periculo factus Gesnerus, in Specimine additamentorum Thesauri L. L. sic fines verbi proferens, ut hic quoque locus includeretur: « Palpebras oculorum vel plane et perpetuo, vel certe ad tempus, claudere. » Addit etiam, *conniventes oculos Appii* h. l. esse clausos, et usum potius intueri debuisse Marklandum, quam definitionem Grammaticorum. At quem usum? An unquam quisquam *caecum* hominem dixit *connivere* seu *oculos connivere?* Nonne plane analogia et notatio verbi docet, in *connivendo* non suppressam esse *proprii arbitrii* significationem? quam et Graeca habent μύειν, συμμύειν, καταμύειν, cum quibus illud Latinum exactissime convenit. An quisquam putabit (ut et translatae significationis exemplum ponamus), Gesnerum non aegre laturum fuisse, si quis dicere voluisset, illum in tot insulsi hominis ineptiis *connivere*, non voluntatis et humanitatis, sed ista *caecutiendi* potestate? Quaeris denique, quid Scriptorem ad illam pravam novationem deduxerit. *Flagrantes oculi*, ut opinor: his opponere voluit simile vocabulum; posuit ergo *conniventes*. Immo haud dubie scripsisset *caecos*, nisi ei hoc vocabulum nimis vulgare visum esset. Wolf.

Prope confitentem) Tam certis et manifestis argumentis convictum, ut prope confiteri cogeretur. Constat enim, hominem nihil confessum esse, sed mentitum se illo die Interamnis fuisse. Conf. ad Or. pro Domo §. 80. Id.

Propter pecuniam) additur in MSS. nonnullis, receptum ab Ern., uncis inclusum a Beckio, omissum a Naug., Graev., Wolfio aliis.

Iniuria tui stupri illata) Videtur respicere id quod Cicero ad Att. I, 15, dicit *iudicium illud emptum et constupratum fuisse*.

Illata in ipsos) Caesarem designat, qui uxorem quidem dimiserat, quasi a Clodio stupratam, eidem autem quasi arma ministraverat in Ciceronem. Ferr.

In illum invictum civem) Pompe-

civem dederunt; hominum beneficia prorsus concedo tibi; ac maiora non esse quaerenda. A diis quidem 39
immortalibus quae potest homini maior esse poena, furore atque dementia? nisi forte in tragoediis, quos vulnere ac dolore corporis cruciari vides et consumi, graviores deorum immortalium iras subire, quam illos, qui furentes inducuntur, putas. Non sunt illi eiulatus et gemitus Philoctetae tam miseri (quamquam sunt acerbi) quam illa exsultatio Athamantis, et quam somnium matricidarum. Tu, quum furiales in concionibus voces mittis, quum domos civium evertis, quum lapidibus optimos viros foro pellis, quum ardentes faces in vicinorum tecta iactas, quum aedes sacras inflammas, quum servos concitas, quum sacra ludosque conturbas, quum uxorem sororemque non discernis, quum, quod ineas cubile, non sentis, quum baccharis, quum furis: tum das eas poenas, quae solae sunt hominum sceleri a diis immortalibus constitutae. Nam corporis quidem nostri infirmitas multos subit casus per se; denique ipsum corpus tenuissima saepe de causa conficitur; deorum tela in impiorum mentibus figuntur. Quare miserior es, quum in omnem fraudem raperis oculis, quam si omnino oculos non haberes.

XIX. Sed, quoniam de iis omnibus, quae haruspi- 40
ces commissa esse dicunt, satis est dictum, videamus, quid iidem haruspices a diis iam immortalibus dicant

ium, qui se domi continuit, tribuno Clodio.

Athamantis) Qui, laesa Iunone, furore correptus fuerat. Ferr.

Somnium) Orestem, et Alcmaeonem, qui matres suas interfecerant, tristia omnia, tetraque somniantes finxerunt, quod solet sceleratis contingere. Id. — *Senium* est in compluribus MSS ut in Pall. S. Vict. Erf. al. idque praetulit Graevius.

Iam immortalibus dicant moneri. Monent) *Iam* abest Barb. T. V., et satis frigidum est. Sed verum esse vix dubito posterius illud *monent*, quod adscivi ex Oxon. omnibus, et Gru-

moneri. Monent, NE PER OPTIMATIVM DISCORDIAM DISSENSIONEMQVE, PATRIBVS PRINCIPIBVSQVE CAEDES, PERICVLAQVE CREENTVR, AVXILIOQVE DEMINVTI DEFICIANTVR, QVA RE AD VNVM IMPERIVM PROVINCIAE REDEANT, EXERCITVSQVE PVLSVS, DEMINVTIOQVE ACCEDAT. Haruspicum verba sunt haec omnia: nihil addo de meo. Quis igitur hanc optimatium discordiam molitur? Idem iste: nec ulla vi ingenii aut consilii sui, sed quodam errore nostro; quem quidem ille, quod obscurus non erat, facile perspexit. Hoc enim etiam turpius afflictatur respublica, quod ne ab eo quidem vexatur, ut, tanquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis honeste cadere
41 videatur. Ti. Gracchus convellit statum civitatis. Qua gravitate vir! qua eloquentia! qua dignitate! nihil ut a patris avique Africani praestabili insignique virtute, praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. Sequutus est C. Gracchus. Quo ingenio! quanta vi! quanta gravitate dicendi! ut dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem volun-

terum in suis quoque invenisse puto. Auctor fortasse vim quaudam ex hac verbi iteratione quaerebat. In ipsis deinde Haruspicum, si credimus, verbis cum pravo ingenio Rhetoris certarunt librarii loco sic viliando, vix ut expediri hodie possit. Nam primum male posita sunt ista, *auxilio deminuti deficiantur*, *sive deminutos* accipis pro *destitutis*, sive *auxilio defici* ita dictum putas, ut aliquis dicatur *viribus*, *pecunia*, rebus aliis necessariis, *defici*. Nemo enim, quod sciam, dixit *defici auxilio* vel alia re, quae non est in nostra potestate. Deinde unde pendeant verba, *quare ad unum imperium provinciae redeant* etc. aeque obscurum est, atque illud est, *exercitus pulsus deminutioque accedat*, ubi mirere, Garatonio *pulsum* substantive dictum videri pro *clade*. Ista tamen omnia fere totidem literis leguntur in optimis codd., etiam Oxonn. Sed unam offensionem sustulit nescio quis scribendo *qua re* pro *quare*; reliquas vero neque ex libris nec aliunde tolli posse opinor, pauloque feliciorem esse audaciam Lambini coniicientis: *auxiliisque deminutis efficiatur, quare ad unius imperium res redeat*, (cf. §. 54) *exercitusque pulsus ad deminutionem accedat*, vel Garatonii, *exercitusque pulsi deminutique accedant*. Wolf.

Qua re — redeant) Lambin. reposuit: *quare ad unius imperium provinciae redeant*.

tatemque esse conversa. Ipse L. Saturninus ita fuit effrenatus et paene demens, ut auctor esset egregius, et ad animos imperitorum excitandos inflammandosque perfectus. Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo gravitas, tanta iucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo. Cum his conflictari, et pro salute patriae quotidie dimicare, erat omnino illis, qui tum rempublicam gubernabant, molestum: sed habebat ea molestia quandam tamen dignitatem.

XX. Hic vero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, proh dii immortales! quid est? quid valet? quid affert, ut tanta civitas, si cadet (quod dii omen obruant!) a viro tamen confecta videatur? qui post 42

Auctor esset egregius — perfectus) Vsitatius erat *factus*; sed efficacius est *perfectus*, τετελεσμένος, ἐξηρτισμένος. Ita Ernestius. Ego vero dubitem, an multum efficaciae habeat laus Saturnini, quae talis est, ut eam etiam sibi sine ulla arrogantia vindicare potuerit Clodius. Nam *effrenatum* et *plane* (non *paene*, ut Rhetor scripsit suo more) *dementem* satis novimus hominem, neque alibi in Clodio desideratur ingenium perfectum *ad animos imperitorum inflammandos*. Itaque, quae in altero oppugnando maior *dignitas* esse, aut quae in tali homine *gravis causa male merendi de republ.* (cf. cap. 21 pr.) fingi potuerit, nullo modo intelligimus. Sed hoc videmus, quum dixisset Declamator *Ipse L. Saturninus*, non succurrisse ei aptiores sententias et ad hunc Tribunum proprie pertinentes: ita amphoram instituit infelix artifex, sed exiit, ut saepe, urceolus. Wolf.

Quod dii omen obruant!) Affectata loqnutio. Cicero semper dicit *avertant*, ut Philipp. III, 4, pro Murena cap. 41, aliisque locis innumeris. Markl. Formula mihi videbatur elegans, et translatio Tullio digna: sed quia alias diverso verbo utitur Cicero, hic indicium est fraudis. Scilicet, quod iam semel iterumque monendum fuit, quum de iisdem rebus, de quibus quotidie agere solebat Tullius, eadem verba adhibeantur, furem tenet vir doctus; quum aliquid ponitur dignum Cicerone, sed nondum in aliis, quae supersunt eius, observatum, imperitia arguitur et Latini sermonis ignorantia. Gesn. Si ulla est consuetudo sermonis, certum eius testimonium habet constans repetitio eorundem verborum, praesertim in vulgatissimo verborum usu, multo maxime in tali genere formularum. *Obruere* illa potestate non modo *nondum observatum* est apud Ciceronem, sed ne in posterum quidem reperie-

patris mortem, primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit; quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris volutatus; deinde iam robustus, provinciae se ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus, etiam Cilicum libidines Barbarorumque satiavit; post, exercitu L. Luculli sollicitato, per nefandum scelus, fugit illinc, Romaeque, recenti adventu suo, cum propinquis suis decidit, ne reos faceret; a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur. Inde cum Muraena se in Galliam contulit: in qua provincia mortuorum testamenta conscripsit, pupillos necavit, nefarias cum multis

tur; quandoquidem reperiri nequit, quod non inest: qua de re diligentium Criticorum certiora sunt responsa, quam Haruspicum ista aut Lexicographorum. Wolf.

In — germanitatis stupris volutatus) Lambinus coniecit, *in domesticis est cum germanis sororibus stupris*, vel potius, *in domesticis germanisque stupris*. Quid hoc sibi vult, inquit, *germanitatis stupris*? Quis unquam hoc modo loquutus est? Graevio tamen *germanitas* hic dicta videbatur pro sororibus germanis, ut *matrimonium* pro uxore, *servitia* pro servis. Quod firmari fortasse potest usu Livii XL, 8, in oratione Philippi Macedonis ad filios, Perseum et Demetrium, inter se dissidentes: « Sed interdum spes animum subibat — subituram vobis aliquando *germanitatis memoriam*: » etsi ibi non personae significantur, ut h. l., sed ipsa res et necessitudo. Eandem sententiam Orator noster c. 27, sic expressit: « Quis unquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic cum sororibus volutatus? » Markl. Nisi vocabulum violenter in alienum domicilium rapiatur, nihil aliud potest esse *germanitas* quam ius et vinculum fratrum seu germanorum. Usitatius dixeris *stupra cognationis*, sed non *germanitatis*, non *consanguinitatis*, non *propinquitatis*. Haec tenuia discrimina verborum ignorare non oportet eum, qui criticam exercere in veterum scriptis velit. Wolf.

Post, exercitu L. Luculli sollicitato) Vide Plut. Lucullo pag. 515, et Dionem Cass. XXXV, 14 seqq. qui tamen Clodium a piratis captum narrat *ante* istam exercitus Luculliani sollicitationem. Videlicet in his omnibus Rhetor non ubique Ciceronem suum, sed interdum vulgi famam sequutus videtur. De praevaricatione conf. in Pis. §. 23. At *divisores omnium tribuum a Clodio occisos* Iudaeus credat Apella, non quisquam Christianorum. Id.

Cum propinquis — ne reos faceret) Metu accusationis a propinquis suis pecuniam extorsit. Nam *decidere* est mutuo consensu litem dirimere, ut unicuique sua portio contingat. Ferr.

scelerum pactiones societatesque conflavit. Vnde ut
rediit, quaestum illum maxime foecundum uberemque, campestrem, totum ad se ita redegit, ut homo
popularis fraudaret improbissime populum, idemque
vir clemens divisores omnium tribuum domi ipse suae
crudelissima morte mactaret. Exorta est illa, reipu- 43
blicae, sacris, religionibus, auctoritati vestrae, iudiciis publicis funesta quaestura: in qua idem iste deos
hominesque, pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, ius, fas, leges, iudicia, violavit. Atque hic
ei gradus (o misera tempora, stultasque nostras discordias!) P. Clodio gradus ad rempublicam hic primus fuit, hic primus aditus ad popularem iactationem
atque adscensus. Nam Ti. Graccho invidia Numantini
foederis, cui feriendo, quaestor C. Mancini consulis
quum esset, interfuerat, et in eo foedere improbando
senatus severitas, dolori et timori fuit: istaque res
illum, fortem et clarum virum, a gravitate patrum
desciscere coëgit. C. autem Gracchum mors fraterna,
pietas, dolor, magnitudo animi, ad expetendas domestici sanguinis poenas excitavit. Saturninum, quod

Divisores omnium tribuum) Pro numerotribuum, quidam Romae erant divisores legibus constituti, qui legitimas a principibus factas plebi largitiones dividerent. His porro et ad corrumpenda suffragia utebantur Candidati, et hic dicitur quaestus campestris. Id.

Ei gradus — P. Clodio gradus) Absurda structura verborum: neque cetera illa placent, *hic primus est aditus — adscensus*. Neque omittenda saltem est elegans correctio Lambini, *gradus ad rempubl. hic primus fuit, hic primus aditus* etc. Wolf.

Hic primus aditus) Sic Lambinus probantibus Garatonio et Wolfio. Vulgo *gradus ad rempublicam, his primus est aditus* etc.

A gravitate patrum) Ne dubites, idem dicere voluisse Scriptorem, ac supra §. 41, *a senatu, ab auctoritate senatus*. Sed non animadvertit iste, aliud esse *a senatu desciscere*, aliud *a gravitate senatus*. Eaque forsitan causa est, cur in his explicandis sibi satisfacere nequeat doctus Annotator, putetque *patrum* de maioribus Gracchi accipi posse, vel etiam corrigi *a gravitate patria* ex cap. 8 de provv. conss., ubi « Tib. Gracchus — patrem dico, cuius utinam filii ne degenerassent *a gravitate patria*. » Etsi alii ibi legunt *paterna*. Wolf.

in annonae caritate quaestorem a sua frumentaria procuratione senatus amovit, eique rei M. Scaurum praefecit, scimus, dolore factum esse popularem. Sulpicium ab optima causa profectum, Caioque Iulio, consulatum contra leges petenti, resistentem, longius quam voluit, popularis aura provexit.

44 XXI. Fuit in his omnibus causa, etsi non iusta (nulla enim potest cuiquam male de republica merendi iusta esse causa), gravis tamen et cum aliquo animi et virili dolore coniuncta. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psalterio, a flagitio, a stupro, est factus repente popularis. Nisi eum mulieres exornatum ita deprehendissent; [1] nisi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emissus esset: populari homine populus romanus, respublica cive tali careret. Hanc ob amentiam in discordiis nostris, de quibus ipsis his prodigiis recentibus a diis immortalibus admonemur, arreptus est unus ex pa-
45 triciis, cui tribuno plebis fieri non liceret. Quod

A crocota) Simulaverat Clodius, se unam esse ex psaltriis et ancillis: hinc crocotam vestem crocei coloris, et mitram capitis integumentum, et fasciolas, et strophium quasi ad cohibendas papillas, et soleas, quibus pro calceis utebantur mulieres, assumpserat. Ferr.

A muliebribus soleis) Lamb. malebat *a muliebribus stolis*.

(1) Lambinus sic edidit: *nisi eum mulieres ita exornatum deprehendissent — — cive tali respublica careret.*

Cui tribuno plebis fieri non liceret) Factus est quidem tribunus; sed non licuit ei fieri legitima ratione, ut verbosius docetur pro Domo cap. 14 seqq. Similiter Cic. de Legg. III, 9: « Neminem in nos tribunum potuisse reperiri, nisi cui *ne esse quidem licuisset tribuno.* » Quo ipso loco, permirum est, abuti Garatonium ad defendendam coniecturam Ernestii, in nostro negationem expungentis. Dicit hic quidem, ad verba *cui liceret* intelligendum esse, quod sequutum sit, *facta adoptione*: at Orator ita adoptari negat licuisse homini, legitimam esse negat ipsam adoptionem, adeoque etiam tribunatum. Ignoscendum puto viris egregiis, si in his incompositi sermonis erroribus passim ipsi erraront, et lapsi sunt; ut et Ernestius paulo ante, quum corrigeret, *nisi — ita non deprehendissent*. W.

Quod anno ante frater Metellus)

anno ante frater Metellus, et concors etiam tum senatus, principe Cn. Pompeio sententiam dicente, excluserat, acerrimeque una voce ac mente restiterat: id post dissidium optimatium, de quo ipso nunc monemur, ita perturbatum, itaque permutatum est, ut, quod frater consul, ne fieret, obstiterat, quod affinis et sodalis, vir clarissimus, qui illum reum non laudarat, excluserat, id is consul efficeret in discordiis principum, qui illi unus inimicissimus esse debuerat, et eo fecisse auctore se diceret, cuius auctoritatis neminem posset poenitere. Iniecta est fax foeda ac luctuosa reipublicae; petita est auctoritas vestra, gravitas amplissimorum ordinum, consensio bonorum omnium, totus denique civitatis status. Haec enim certe petebantur, quum in me, cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum coniiciebatur. Excepi, et pro patria solus exarsi: sic

A. V. 695, anno uno ante Caesaris et Bibuli consulatum. Ad illud igitur tempus pertinet, quidquid iam deblaterat homo insipiens. Q. Caecilius Metellus Celer *impedierat* consul cum senatu, ne iste fieret tribunus plebis: id balbo rhetori est, *quod excluserat, quod restiterat:* deinde *hoc* dissidiis Patrum, quum alii Caesarem, alii Bibulum sequerentur, *ita perturbatum et permutatum est, ut, quod frater impedierat, quod Pompeius, sodalis Clodii* (cum ignarissimis nescio, unde hic honor veniat Pompeio, et ex quo sodalitio) *excluserat*, i. e. reiecerat, *id* Caesar perficeret, qui tamen ei propter opertum Bonae Deae vel maxime infestus esse debuisset, et qui, quum perfecisset, excusandi sui causa Pompeio se auctore usum simulavit. Sic adoptione facta contra leges, iniecta est fax reipubl. etc. De illo Metello Celere, tribunatum Clodii impediente, v. Dionem XXXVII, 51. ID.

Affinis et sodalis) Pompeius, cuius filius Appii filiam in matrimonio habebat. FERR.

Consul) Caesar.

Auctore) Pompeio, qui fuerat in auspicio Caesari legem Curiatam ferenti de adoptione Clodii. FERR.

Cognitorem) Defensorem; nam ea omnia consul Cicero tutatus fuerat. ID.

Pro patria solus exarsi) *Arsi* malebat Ernestius, quod putabat, *pro patria exardescere* non satis Latine construi. Illam elegantiam vix verbo memorat, qua mox *fumans* consul tanquam *incensa domus* describitur. Auctori, opinor, compositum verbum efficacius videbatur, et ap. Virgil. fortasse non satis placebat *ardens Ucalegon*, nisi et *fumaret*. W.

tamen, ut vos, iisdem ignibus circumsepti, me primum ictum pro vobis et fumantem videretis.

46 XXII. Non sedabantur discordiae: sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi putabamur. Ecce, iisdem auctoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, populum romanum desiderantem, flagitantes vos, non auctoritate sua solum, sed etiam precibus ad meam salutem excitavit, restituti sumus. Sit discordiarum finis aliquando; a diuturnis dissensionibus conquiescamus. Non sinit eadem ista labes; eas habet conciones, ea miscet ac turbat, ut se modo vendat his, modo illis; nec tamen ita, ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet; sed ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant vituperari. Atque ego hunc non miror. Quid enim faciat aliud? Illos viros sapientissimos gravissimosque miror: primum, quod quemquam clarum hominem, atque optime de republica meritum, impurissimi voce hominis violari facile patiuntur; deinde quod existimant, perditi

Fumantem) Ineptissime hoc dictum recte ridet Wolfius.

Vt se — vendat — illis) Quid est *se alicui vendere?* Sed *venditare se alicui*, est alicuius gratiam captare, sive ostendendo merita, sive offerendo officia, vel aliquem demereri, ac sibi devincire. C. Nep. *Non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit.* Mihi itaque persuasum est Ciceronem scripsisse, ut *modo se venditet his, modo illis*, ut etiam Manutius coniecit. GRAEV.

Illos viros) Sic cod. Franc. Vulgo *homines.*

Illos homines — patiuntur — violari) Valde admirabilis sunt, quae miratur personatus Cicero. In altera enim parte periodi *concedit*, se a Clodio *violatum* esse; in altera *negat*, se *violari* a tali nebulone posse. Praeterea observetur venusta et nervosa repetitio eiusdem vocaboli *hominis*: « Illos *homines* miror, quod quemquam clarum *hominem* voce *hominis* violari patiuntur; deinde quod existimant, perditi *hominis* etc. » MARKL. Oratoria est, et cote philosophica, Stoica in primis polita disputatio haec Ciceronis. Quis non videt, modo velit videre, priori parte reprehendi animum principum a Tullio alienum; altera errorem. Si propitio animo fuissent in liberatorem patriae, non passi essent, maledictis Clodii illum apud populum proscindi; si philosophati fuissent, sensissent, veram illi dignitatem tamen sic non posse eripi. Ergo merito miratur utrumque, et passos esse grassari Clodium in dignitatem

hominis profligatique maledictis posse, id quod minime conducit ipsis, cuiusquam gloriam dignitatemque violari; postremo, quod non sentiunt id, quod tamen mihi iam suspicari videntur, illius furentes ac volaticos impetus in se ipsos posse converti. Atque 47
ex hac nimia nonnullorum alienatione a quibusdam haerent ea tela in republica, quae quamdiu haerebant in uno me, graviter equidem, sed aliquanto levius ferebam. An iste, nisi primo se dedisset iis, quorum animos a vestra auctoritate seiunctos esse arbitrabatur; nisi eos in caelum suis laudibus praeclarus auctor extolleret; nisi exercitum C. Caesaris, in quo fallebat, sed eum nemo redarguebat; nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se immissurum minitaretur; nisi Cn. Pompeio adiutore, M. Crasso auctore, quae faciebat, facere clamaret; nisi consules causam coniunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicae vexator esse potuisset?

XXIII. Idem, posteaquam respirare vos a metu 48
caedis, emergere auctoritatem vestram e fluctibus illius servitutis, reviviscere memoriam ac desiderium

consulis, et putasse, illius dignitatem viri sic violari. In priori loco *violare* conatum notat, in altero effectum. Haec talis qui ad vivum resecare omnia voluerit, et singulis verbis eandem semper assignari potestatem postulet, ille non ad Ciceronem Virgiliumque, non ad eos, qui de negotiis humanis humaniter loquuntur, applicare se debet, forte ne semper quidem ad philosophos, quos ego norim; sed ad solos forte, dum suo in opere versantur, mathematicos. Quod repetitionem vocis *hominis* obiicit, plane videtur Ciceronianae in dicendo consuetudinis esse immemor, qui nunquam refugit repetitionem verbi boni et non otiosi. GESN. Nobis hic locus in memoriam revocat alium, ubi eiusdem vocis repetitio legitur etiam magis insolari gravitate, § 38. WOLF.

Volaticos impetus) Instabiles. Sic ad Atticum lib. XIII, epist. 25: *O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc.* T.

Atque ex hac — in republica) Sic Manut. emendavit. Vulgo legebatur *atque ex hac n. n. alienatione et quibusdam haerentia tela in republica.*

mci vidit, vobis se coepit subito fallacissime venditare. Tum leges Iulias contra auspicia latas, et hic et in concionibus dicere: in quibus legibus inerat curiata illa lex, quae totum eius tribunatum continebat; quam caecus amentia non videbat. Producebat fortissimum virum, M. Bibulum; quaerebat ex eo, C. Caesare leges ferente, de caelo semperne servasset? Semper se ille servasse dicebat. Augures interrogabat, quae ita lata essent, rectene lata essent? Illi vitio lata esse dicebant. Ferebant in oculis hominem quidam boni viri, et de me optime meriti; sed illius, ut ego arbitror, furoris ignari. Longius processit: in ipsum Cn. Pompeium, auctorem, ut praedicare est solitus, consiliorum suorum, invehi coepit.
49 Inibat gratiam a nonnullis. Tum vero elatus spe posse se, quoniam togatum domestici belli exstinctorem nefario scelere foedasset, illum etiam, illum externorum bellorum, hostiumque victorem, affligere: tum est illa in templo Castoris scelerata et paene deletrix huius imperii sica deprehensa. Tum ille, cui nulla hostium diutius urbs unquam fuit clausa, qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium obiecta tela,

Totum eius tribunatum continebat) Nam si curiata lex vitio lata; plebeius esse Clodius non potuit, ergo nec tribunus plebis. MAN.

Tum vero elatus spe posse se) Sic Graev. alii e cod. Erf. Vulgo *Tum vero est ratus se posse.*

Togatum) Ciceronem.

Sica) Pro Milone, cap. 7.

Tum ille —altitudines—tela) Quod Pompeius *perfregit tela et altitudines*, genus loquendi est a stilo Ciceronis alienum. MARKL. Primo, ne ipsa quidem singulorum verborum proprietas habet aliquid, quod possit Latinam aurem, si ego habeo, offendere. Quid enim est non proprie dictum, *altitudines* murorum *perfringere*, *tela* conserta et obstantia *perfringere*? Deinde, illud ipse non negat Marklandus, *angustias perfringere* rectum esse: ad *angustias* igitur primario verbum referat, ad reliqua per eam figuram, quam zeugma vel syllepsin vel coniunctum vocare solent rhetores et grammatici, a qua non abhorrere Tullium quoque, duobus modo exemplis ostendetur. Ad Att. X, 4, *conflictandi* verbo comprehendit et iungit *utramque fortunam*; sed separatim non dicturus erat *florentissima fortuna conflictari*. Sed hoc forte negli-

semper vi et virtute perfregit, obsessus est ipse domi; meque nonnulla imperitorum vituperatione timiditatis meae, consilio et facto suo liberavit. Nam, si Cn. Pompeio, viro uni omnium fortissimo, quicumque nati sunt, miserum magis fuit, quam turpe, quamdiu ille tribunus plebis fuit, lucem non adspicere, carere publico, minas eius perferre; quum in concionibus diceret, velle se in Carinis aedificare alteram porticum, quae Palatio responderet: certe mihi exire domo mea, ad privatum dolorem fuit luctuosum, ad rationem reipublicae gloriosum.

XXIV. Videtis igitur, hominem per se ipsum iampridem afflictum ac iacentem, perniciosis optimatium discordiis excitari: cuius initia furoris, dissensionibus eorum, qui tum a vobis seiuncti videbantur, susteutata sunt. Reliqua iam praecipitantis tribunatus, etiam

gentee ad amicum. Ornatissima est oratio Rosciana. In hac c. 8 de Sulla dicit: « Quum eodem tempora et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet. » Quis, quaeso, *praeparat*, quae praeterita sunt? Sed communi verbo copulantur res diversae. Miror, non reprehensum etiam a Viro docto illud, quod in hac orat. c. 25 ponitur: *Vtrique horum secunda fortuna regnum est largita*, *adversa* mortem. — Sit illud vitiosum, sit certe ignoscendum potius magnis auctoribus, quam imitandum: non repugno. At abiudicari Tullio propter talia orationem tot luminibus ingenii distinctam, tot sententiis, historiis, notitiis plenam; equidem non patiar. Gesn. Non vitiosum aut venia dignum est illud genus, sed laude potius et imitatione; interdum, ubi res fieri potest, etiam nostris in linguis, quamvis ad haec et ad ceteras ellipses durioribus, Verum non omnia exempla, quae eiusdem sunt formae, eandem etiam vim et elegantiam habent. Quare hic aures Lambini, etsi is profecto non erat surdaster, offendebantur ita, ut coniiceret: *Qui omnes angustias, omnes altitudines* montium obiectas *semper — perfregit*. W.

Alteram porticum) Eversa Pompeii domo quae erat in Catiuis, siculi, eversa mea, porticum fecerat in Palatio. Man.

Dissensionibus eorum) Caesaris, Pompeii, Crassi, qui tum ab optimatibus dissentiebant. Id.

Praecipitantis tribunatus) I. e. ad finem ruentis. Sed, si tria tempora indicare voluit Auctor, incipientis, desinentis, finiti tribunatus; quomodo sic loqui potuit, ut tempus *post tribunatum* sub altero illo, *reliqua praecipitantis tribunatus*, comprehendere videatur? Mera stribligo est. Non enim ita hoc dictum est, ut,

post tribunatum, obtrectatores eorum atque adversarii defenderunt; ne a republica reipublicae pestis removeretur, restiterunt; etiam ne causam diceret; etiam, ne privatus esset. Etiamne in sinu atque in deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam ac pestiferam habere potuerunt? quo tandem decepti munere? Volo, inquiunt, esse, qui in concione detrahat de Pompeio. Detrahat ille vituperando? Velim sic hoc vir summus atque optime de mea salute meritus accipiat, ut a me dicitur: dicam quidem certe, quod sentio. Mihi, medius fidius, tum de illius amplissima dignitate detrahere, quum illum maximis
51 laudibus efferebat, videbatur. Vtrum tandem C. Marius splendidior, quum eum C. Glaucia laudabat, an quum eundem iratus postea vituperabat? An ille demens, et iampridem ad poenam exitiumque praeceps, foedior atque inquinatior in Cn. Pompeio accusando, quam in universo senatu vituperando fuit? Quod quidem miror, quum alterum gratum sit iratis, alterum esse tam bonis civibus non acerbum. Sed, ne id viros optimos diutius delectet, legant hanc eius concionem, de qua loquor: in qua Pompeium ornat, an potius

vitam alicuius laudare et defendere, etiam post mortem. Paulo post *munere* videtur usus esse pro *praemio*, fortasse non male. At *decepti* non erat vocabulum aptum h. l. W.

Obtrectatores) Ii, quos iam saepe nominavi, Bibulus, Cato, Domitius. Man.

Ne privatus esset) Nam quum ante Clodii iudicium comitia aedilitia fieri voluerunt, aedilis curulis, ut crearetur, effecerunt. Id.

Ne id viros optimos diutius delectet) Scil. *Pompeium a Clodio vituperari*, ut recte subaudit Manutius, sed divinitus, non ex bene vincto sermone. Nihil vero absurdius est, quam quod invitatur Senatus ad *legendam Clodii concionem*, quam tamen modo, forsitan paucis ante horis, habitam supra finxerat. Meminitne Declamator, se §. 8 dixisse, *ad se delatam concionem*, quod nemo de scriptis exemplaribus acceperit? an opinatus est, in paucis diebus talem orationem apud omnes Sosios in columnis expositam fuisse? Noli suspicacior esse: nihil meminit Declamator; oblitus est et loci et temporis harum nugarum suarum. W.

deformat? Certe laudat, et unum esse in hac civitate 52
dignum huius imperii gloria dicit; et significat, se illi amicissimum esse, et reconciliationem esse gratiae factam. Quod ego quamquam, quid sit, nescio: tamen hoc statuo, hunc, si amicus esset Pompeio, laudaturum illum non fuisse. Quid enim, si illi inimicissimus esset, amplius ad eius laudem minuendam facere potuisset? Videant ii, qui illum Cn. Pompeio inimicum esse gaudebant, ob eamque causam in tot tantisque sceleribus connivebant, et nonnunquam eius indomitos atque effrenatos furores plausu etiam suo prosequebantur, quam se cito inverterit. Nunc enim iam laudat illum; in eos invehitur, quibus se antea venditabat. Quid existimatis, eum, si reditus ei gratiae patuerit, esse facturum, qui tam libenter in opinionem gratiae irrepat?

Tamen hoc statuo — fuisse) Haec, in quibus et Graevius haerebat, infelici acumine corrupta, explicet nobis Oedipus advocandus, Garatonius. Quid ineptius, inquit, si hoc serio dicatur? Sed risum excitat iocans Cicero venusta quadam fallacia: quasi ex eo, quod dixerat, Clodium de Pompeii dignitate detrahere, quum illum maximis efferebat laudibus, istud consequeretur. *Quid enim*, subiungit, *si illi inimicissimus esset, amplius ad eius laudem minuendam facere potuisset?* quam scilicet illum laudare? Fundus ioci est, quod senatoribus, quos Cicero alloquebatur, plane constaret, cum Clodio Pompeium in gratiam non rediisse: quod etiam Epp. ad Q. Fratr. III, 4 confirmatur. Hinc deridetur potius, quam refellitur, mendacium hominis, qui falsam reconciliatae gratiae opinionem captabat, atque hac iactatione Pompeium ipsum irritabat. — Nobis ut reliqua horum non displicent, ita iocari nunc orator non videtur, sed vulgarem sententiam de laude turpissimi hominis magnum virum dehonestante nimis pueriliter persequutus esse. W.

Si reditus ei gratiae patuerit) Falsa est haec Latinitas. Dicitur *redire in gratiam*, *reditus in gratiam*, non *reditus gratiae* Vide Or. de provv. conss. c. 20, pro Mil. c. 32, ad Att. II, 3. Sed exemplis non opus est ad docendum, quomodo in notissima formula loquuti sint Romani: isto autem modo eos loquutos esse, nemo poterit demonstrare. Markl. — *Reditus gratiae* nondum alias inventus. Sed an ideo non potuit a Cicerone poni? Nonne apud Horatium *prisca redit Venus*? Nonne *gratia* hic est mutuus amor, cuius reditus potest intercedere? Sed saepius iam hunc locum tractavimus. Gesn. Ferremus, si reditum *gratiae* nobis Vir doctus ex-

53 XXV. Quas ego alias optimatium discordias a diis immortalibus definiri putem? Nam hoc quidem verbo neque P. Clodius, neque quisquam de gregalibus eius, aut de consiliariis designatur. Habent Etrusci libri certa nomina, quae in id genus civium cadere possunt. DETERIORES, REPVLSOS, quod iam audietis, nos appellant, quorum et mentes et res sunt perditae, longeque a communi salute disiunctae. Quare, quum dii immortales monent de optimatium discordiis, de clarissimorum et optime meritorum civium dissensione praedicunt; quum principibus periculum caedemque portendunt, in tuto collocant Clodium, qui tantum abest a principibus, quantum a puris, quantum a re-
54 ligiosis. Vobis, o clarissimi atque optimi cives, et vestrae saluti consulendum et prospiciendum vident. Caedes principum ostenditur: id, quod interitum optimatium sequi necesse est, adiungitur: ne in unius imperium res recidat, admonemur. Ad quem metum si deorum monitis non duceremur, tamen ipsi nostro sensu coniecturaque raperemur. Neque enim ullus alius discordiarum solet esse exitus inter claros et po-

cusavisset concinnitate antitheti, OPINIONE *gratiae:* quamquam imperiti scriptoris est, tales excusationes merere. At nequeo satis mirari eruditum et vetustum Lexicographum, adeo mala religione occaecatum, ut ne potuerit quidem vim illius reprehensionis assequi. Ridicule etiam affert exemplum poëtae, quod ne eandem quidem analogiam habet. Quocirca equidem crediderim, si Marklandus, illa scribens, ab illius noti carminis lectione recens fuisset, eum non aliter iudicaturum fuisse: Gesnerum autem, si rhetor dixisset *gratiam dissilientem* et *male sartam*, vel *coëuntem* et mox *rescissam*, haec omnia pro Ciceronianis habiturum, quod Latina esse et apud poëtam legi appareat. W.

DETERIORES, REPVLSOS) Bene monet, ex Etruscorum libris verba sua petiisse Haruspices. Nam Romae non reperimus ista nomina tanquam certa et propria in hoc genere usurpata, opposita *optimatibus*. ID.

Quod iam audietis) Haec uncinis inclusit Ern.

Discordiis) MSS. aliquot *discordia*.

Adiungitur) Vulgo addebatur *etiam*, quod abest cod. Erf. Ern. delevit, ut parum hic aptum et languidum.

tentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris
dominatus, aut regnum. Dissensit cum Mario, clarissimo
cive, consul nobilissimus et fortissimus, L. Sulla. Horum
uterque ita cecidit victus, ut victor idem regnaverit.
Cum Octavio collega Cinna dissedit. Vtrique horum
secunda fortuna regnum est largita, adversa mortem.
Idem iterum Sulla superavit: tum sine dubio habuit
regalem potestatem, quamquam rempublicam recu-
peravit. Inest hoc tempore haud obscurum odium, 55
atque id insitum penitus, et inustum animis hominum
amplissimorum; dissident principes; captatur occasio.
Qui non tantum opibus valent, nescio quam fortu-
nam tamen ac tempus exspectant. Qui sine contro-
versia plus possunt, hi fortasse nonnunquam consilia
ac sententias inimicorum suorum extimescunt. Tolla-
tur haec e civitate discordia; iam omnes isti, qui por-
tenduntur metus, exstinguentur: iam ista serpens,
quae tum hic delitescit, tum se emergit et fertur illuc,
compressa atque illisa morietur. Monent enim iidem,
ne occultis consiliis respublica laedatur. Quae sunt
occultiora, quam eius, qui in concione ausus est di-

Dissedit) Sic Car. Steph. e cod. suo Lamb. Ern. (e MS. Erf.) aliique. Vulgo olim *dissensit*.

Quamquam rempublicam recuperavit) I. e. restituit, vel, ut Manutius explicat, de manibus improborum ereptam restituit optimatibus. Cf. pro Domo §. 79. Huc ferri poterat in studioso optimatium; sed quae statim addita sunt de discordia civitatis, inanes sunt logi. W.

Illisa) *Elisa* e Graevii correctione recepit Ern.

Monent enim) Garat. corrigit *etiam*.

Quae sunt occultiora) Videte mihi, quo rhetorem abripiat studium omnia Haruspicum responsa in Clodium convertendi. Dum illud de occultis consiliis interpretari vult, sic scribit, ut, quid post tria verba positurus sit, nondum videatur cogitare. Magnopere ego discere velim, qui *consilia*, quae quis palam prodit in *concilio publico*, dici possint *occulta*, atque adeo, comparatione quadam, *occultiora*. Causa harum ineptiarum haec fuit, quod, quum Scriptor fingeret responsum Haruspicum, pro *occultis consiliis* dicere volebat vel debebat *scelestis* s. *nefariis*: ubi recte subiecturus fuisset, *Quae sunt scelestiora* etc. Nam *scelesta* dici poterant illa publice a Clodio prolata *consilia*: at quo sensu eadem dicantur *occulta* eo

cere, iustitium edici oportere, iurisdictionem intermitti, claudi aerarium, iudicia tolli? Nisi forte existimatis, hanc tantam colluvionem illi, tantamque eversionem civitatis, in mentem subito in rostris nec cogitanti venire potuisse. Est quidem ille plenus vini, stupri, somni, plenusque inconsideratissimae ac dementissimae temeritatis. Verumtamen nocturnis vigiliis, etiam coitione hominum, iustitium illud concoctum ac meditatum est. Mementote, Patres conscripti, verbo illo nefario tentatas aures vestras, et perniciosam viam, audiendi consuetudine, esse munitam.

tempore, quae *in concione* proferuntur, nulla arte intelligere possum. Verum talibus rebus mire abundat haec oratio. Markl. Vix speciosius, et tamen nusquam fere iniquius, oppugnatur haec oratio, quam in h. l. Fieri posse negatur, ut occulta sint, quae dicantur in concione. Sed quis ita stupidus est, ut affirmet? Non profecto Auctor. Sed illud admirabile est, Marklandum, qui librum scriberet ad movendas veteri possessione has orationes, non diligentius advertisse animum ad ea, quae sequuntur, ubi aperte negat Scriptor, haec talia *in mentem subito, nec cogitanti* antea occulte, *venire potuisse*. — *Nocturnis vigiliis* (itaque *occultis* profecto), *etiam coitione hominum* etc. Ergo occultis consiliis nocturnis constitutum est, quomodo ageret ad populum Clodius. Gesn. Non displicet haec speciosa interpretatio, qua tamen non admodum minuitur culpa Scriptoris. Wolf.

In mentem — venire potuisse) Si quis attentius consideret, ait Lambinus, videtur ridiculum dictu, *venire umquam aliquid in mentem nec cogitanti;* nisi quis dicat, ea dici alicui in mentem venire *nec cogitanti*, quae cuiuspiam animo obiiciuntur *ex tempore*, et *aliud agenti*, aut certe sine magna animi adversione atque attentione. Sic ille: qui simul monet, *nec* abesse a libris vett.; unde novam extundit lectionem, *in rostris concionanti.* Non invenio tamen, omissionem istam a Grutero vel aliis postea ex codd. enotatam esse. Markl.

Tentatas aures vestras) Quomodo tentatae sunt aures *senatorum*, quum illa Clodius non in *senatu*, sed in *concione* dixerit? Ita interrogans Manutius, sibi ipse respondet: Quia possunt et *senatores* in concione adesse. Ac sane id *potuit fieri; potuit* vero etiam, ut Auctor oblitus fuerit, quid ageret. Et si quis nunc sit lector, cui hoc non item *verisimile* videatur, ego neque illum nec me ipsum diutius detinendum arbitror. Markl. Iniuste illud oblivionem interpretatur Marklandus et stuporem. Ponamus enim, praesentem ne unum quidem *in concione* fuisse senatorem, nec tribunos quidem, eosdem, credo, senatores tum omnes: annon putamus, notarios se suos misisse, qui concionem Clodii exceptam ad se afferrent? Gesn. Igitur et nos errabamus, non Declama-

XXVI. Sequitur illud, NE DETERIORIBVS REPVLSISQVE HONOS AVGEATVR. Repulsos videamus: nam deteriores qui sint, post docebo; sed tamen in eum cadere hoc verbum maxime, qui sit unus omnium mortalium sine ulla dubitatione deterrimus, concedendum est. Qui sunt igitur repulsi? non, ut opinor, ii, qui aliquando honorem, vitio civitatis, non suo, non sunt assequuti. Nam id quidem multis saepe optimis civibus atque honestissimis viris accidit. Repulsi sunt ii, quos ad omnia progredientes, quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes, non solum alieni, sed etiam sui, vicini, tribules, urbani, rustici repulerunt. Hi ne honore augeantur, monemur. Debet esse gratum, quod praedicunt: sed tamen huic malo populus romanus ipse, nullo haruspicum admonitu, sua sponte prospexit. 56
Deteriores cavete; quorum quidem magna est natio; 57
sed tamen eorum omnium hic dux est atque princeps. Etenim, si unum hominem deterrimum poëta praestanti aliquis ingenio fictis conquisitisque vitiis deformatum vellet inducere: nullum profecto dedecus reperire posset, quod in hoc non inesset; multaque in eo penitus defixa atque haerentia praeteriret.

XXVII. Parentibus, et diis immortalibus, et patriae nos primum natura conciliat: eodem enim tempore et suscipimur in lucem, et hoc caelesti spiritu augemur, et certam in sedem civitatis ac libertatis adscribimur. Iste parentum nomen, sacra, memoriam, gen-

lor, in ea re, de qua dicebamus ad §. 51. W.

Ad omnia progredientes) Significat *omnia aggredientes, omnia sibi arrogantes*. Ceterum pleraque istorum pigmentorum de *repulsis* petita sunt ex causa Vatinii, ut intelligitur ex Cic. in hunc Orat. c. 15 extr. Clodius, quod sciam, nullam repulsam tulerat. ID.

Sua sponte prospexit) Populus enim sua sponte Vatinio aedilitatem negaverat. FERR.

tem, Fonteiano nomine obruit: deorum ignes, solia, mensas, abditos ac penetrales focos, occulta, et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra, inexpiabili scelere pervertit; idemque earum templum inflammavit dearum, quarum ope etiam aliis incendiis
58 subvenitur. Quid de patria loquar? qui primum eum civem vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriae praesidiis depulit, quem vos patriae conservatorem esse saepissime iudicaveratis; deinde everso senatus, ut ego semper dixi, comite, duce, ut ille dicebat, senatum ipsum, principem salutis mentisque publicae, vi, caede, incendiisque pervertit: sustulit duas leges, Aeliam et Fufiam, maxime reipublicae salutares; censuram exstinxit; intercessionem removit; auspicia delevit; consules, sceleris sui socios, aerario, provinciis, exercitu armavit; reges, qui erant, vendidit, qui non erant, appellavit; Cn. Pompeium vi,

Solia, mensas) *Solia* sunt pro *sellis*: unde et *solisternium* seu *sellisternium* apud Festum. W.

Earum templum inflammavit dearum etc.) Simplicius Cic. pro Mil. c. 27: *Nympharum aedem incendit*; et Paradox. IV: *Nympharum aedes manu tua deflagrarunt.* Sed non illepida est adiectio verborum, *Quarum ope etiam aliis incendiis subvenitur*, si modo certum est, hanc aedem a Clodio incensam Nympharum fuisse Naiadum; quoniam tam multae aliae sunt Nymphae diversorum munerum ac nominum. MARKL. Rem ita esse, humane sperandum est. In ea autem non omnes, opinor, consentient, quod lepida vocatur ista huius loci exornatio. Nobis ea subfrigida et scholastica videtur, uti tot similes sententiae in his capitibus, quas singillatim notare non duximus operae pretium. Vere enim Aristoteles dixit: Εὐηθές ἐστι τὸ τοὺς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν. W.

Censuram exstinxit) Tulit enim, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset. Vide Orat. in Pisonem. MAN.

Intercessionem removit: auspicia delevit) Quod utrumque lege Aelia et Fusia confirmabatur. ID.

Cn. Pompeium — domum compulit) I. e. domo se tenere coëgit, *domi continuit, inclusit.* Loquutio sumta ex or. in Pis. §. 16, ubi respondet contrariis verbis, *me domo mea expulistis*. Sed magis haeserit aliquis paulo ante in *senatu mentis publicae principe*: quod quid sit, nec capio satis, neque alias mihi lectum memini. W.

ferro domum compulit; imperatorum monumenta
evertit; inimicorum domos disturbavit; vestris monu-
mentis nomen suum inscripsit. Infinita sunt scelera,
quae ab illo in patriam sunt edita. Quid, quae in
singulos cives, quos necavit? socios, quos diripuit?
imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentavit?
Quid vero? ea quanta sunt, quae in ipsum se sce- 59
lera, quae in suos edidit? quis minus unquam pe-
percit hostium castris, quam ille omnibus corporis
sui partibus? quae navis unquam in flumine publico
tam vulgata omnibus, quam istius aetas fuit? quis
unquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic
cum sororibus volutatus? quam denique tam imma-
nem Charybdim poëtae fingendo exprimere potue-
runt, quae tantos exhaurire gurgites posset, quantas
iste Byzantiorum Brogitarorumque praedas exsor-

Ille omnibus corporis sui partibus?) *Iste* corrigebat Lambinus, frustra: nam plurima loca docent, hoc discriminis parum cognitum fuisse huic Scriptori. Ipsa similitudo haec non multo minus absurda est quam *ea*, quae statim notabitur; nec valde accommodatum verbum *parcendi*. Nulla enim laus est, *parcere corporis partibus omnibus:* immo ignavorum hoc est et omnem laborem detrectantium. Igitur ex his verbis minime intelligitur id, quod intelligi voluit Declamator. W.

Quantas — Brogitarorumque — exsorbuit) Nisi, quaenam res ista esset, aliunde scires, Clodium Byzantiorum urbem diripuisse crederes, alteriusque populi nomen sequi oportere, quem Byzantii socium calamitatis habuerint. Sed ex cap. 26 pro Sext. cognoscimus, exsules quosdam Byzantium fuisse a Clodio reductos in tribunatu, fanumque Pessinuntium *grandi pecunia* Brogitaro venditum. Quae duae res quum ibi coniungantur, neque alia exstet ulla apud Tullium praeda Clodiana, cuius hic mentio possit recte substitui, non est eadem hic recusanda coniunctio. De Brogitaro multa etiam supra c. 13, ex quibus Regem quoque lege Clodii eum appellatum pecunia discimus: ubi notandum, quod eundem, inquit, *putabo Regem, si habuerit, unde tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti.* Hoc certe Clodius non *exsorbuerat*, immo ne postea quidem videtur exsorbuisse; quoniam Pessinuntem cito iam Deiotarus Brogitaro eripuerat. Huc pertinent etiam *syngraphas cum Byzantiis exsulibus et cum legatis regiis*, pro Domo c. 50. Similiter Clodius *cum Hermacho Chio syngraphas fecit*, ut supra legebatur c. 16, pretium nempe pactus pro le-

buit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque ieiunis, quam, quibus istum videtis, Gelliis, Clodiis, Titiis, rostra ipsa mandentem?

60 XXVIII. Quare, id quod extremum est in haruspicum responsis, providete, NE REIPVBLICAE STATVS COMMVTETVR. Etenim vix haec, si undique fulciamus, iam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohaerebunt. Fuit quondam ita firma haec civitas, et valens, ut negligentiam senatus, vel etiam iniurias civium ferre posset. Iam non potest. Aerarium nullum est; vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt; auctoritas principum cecidit; consensus ordinum est divulsus; iudicia perierunt; suffragia descripta tenentur a paucis; bonorum animus ad nu-

gato ad senatum a Chiis misso adversus Hermachum interficiendo. Anno autem, qui hunc est consequutus, ita Cicero scribebat ad Fratrem II, 9: «Illud, quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum, libera, aut Byzantium, aut ad Brogitarum, aut utrumque. Plena res nummorum.» Manutius ibi recte annotat, eam legationem ad pecunias exigendas Clodium expetisse, quarum habebat syngraphas. — Haec omnia Garatonii verba adscripsi, quia sunt eiusmodi, ut vix aliter scribi potuisset vir optimus, si nostram sententiam de auctoritate orationis amplexus esset. Sed ad reliquas ineptias accedit etiam usus numeri pluralis *Brogitarorum*, ex nota elegantia ductus, sed quae non erat huius loci. WOLF.

Eminentibus) Markland. coni. *imminentibus* quod est in Verr. II, 54. — *Canes eminentes* Scyllae tribuit [illegible], phantasia quadam et pictura [illegible]atoria, qua ultra aquas exsilire et a corpore Scyllae, cui adnati sunt, recedere velle videntur. Non ergo opus videtur mutare in *imminentes*, quod commodum avaritiae alioquin epitheton est. Similis pictura et vehementia est in canibus Clodii, h. e. rabulis, *rostra* ipsa *mandentibus*, quam admirari satius est, quam reprehendere. GESN. Vulgatam lectionem sic satis bene defensam esse apparet. Sed felicem audaciam sententiae ille solus et sine rivali admiretur. Qua de re etiam Ernestii memorabilis est notatio, qui locum a nemine adhuc explicatum questus, lepide *rostra*, inquit, dixit pro *navibus*: illi Scyllae canes mandebant tantum *homines* a navibus fractis aut demersis; Clodii canes mandebant *ipsas naves* prae magnitudine famis, i. e. *ipsam rempubl. per leges*, quas in *rostris* ipse ferebat. Adeo transversos interdum agit elegantes homines talium sensuum graviditas. W.

Mandentem?) Graev. a Verr. III, 11, legendum putabat *lambentem*.

Suffragia descripta) Sententia est: Ita corrupti sunt plerique cives, ut

tum nostri ordinis expeditus iam non erit; civem,
qui se pro patriae salute opponat invidiae, frustra
posthac requiretis. Quare hunc statum, qui nunc est, 61
qualiscumque est, nulla alia re, nisi concordia, retinere possumus. Nam, ut meliore simus loco, ne optandum quidem est, illo impunito: deteriore autem statu ut simus, unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis. Quo ne trudamur, dii immortales nos admonent, quoniam iampridem humana consilia ceciderunt. Atque ego hanc orationem, Patres conscripti, tam tristem, tam gravem non suscepissem, non quin hanc personam, et has partes, honoribus populi romani, vestris plurimis ornamentis mihi tributis deberem, et possem sustinere: sed tamen facile, tacentibus ceteris, reticuissem; sed haec oratio omnis fuit non auctoritatis meae, sed publicae religionis. Mea fuerunt verba fortasse plura; sententiae quidem omnes haruspicum, ad quos aut referri nuntiata ostenta non convenit, aut eorum responsis commoveri necesse est. Quod si cetera magis pervulgata nos saepe et leviora moverunt, vox ipsa deorum immortalium non mentes

patiantur se induci ad suffragandum, quibus illi pauci bene volunt. Itaque *suffragia descripta sunt*, est, imperatum et iniunctum quasi est singulis civibus suum suffragium, cui debeant suo suffragio commodare. Sic alibi *describere civitatibus pecuniam*, *tributa*, *milites*, iubere quantum debeat pecuniae, tributorum, militum, singula civitas conferre. GRAEV.

Quare hunc statum, qui nunc est) H. e. *miserum*, qualis describitur inde a verbis, *Etenim vix haec* etc. Iam nihil quidem minus exspectes, quam de hoc statu retinendo. Sed ex angustiis, quo delapsus erat, enatat Sophistes artificiis suis: *ut meliore simus loco* etc. Nunc autem, si hoc sperare non licet, ac ne optare quidem (Cicero dixisset, *magis optandum quam sperandum est*), nisi iste puniatur: cur non id ipsum postulat Orator, ut puniatur? Cur satis habuit, *duobus inceptis verbis* periculum iudicii intendisse? W.

Orationem) Vetus liber Vrsini *actionem*.

Non quin hanc personam) Sic edidit Lambin. e codd. suis. Idem habent Pal. 9, S. Vict. Erf. et recte recepit Beck. pro vulg. *non inquam nisi hanc personam*.

Honoribus populi Romani) Haec glossema esse vocabuli *ornamentis* putabat Graevius, Garatonius vulgatum defendebat sic, ut *vestris ornamentis* ad laudes a senatu tributas referretur.

Quod si cetera magis) Iam novum examen apum meluas, ut §. 25. At

omnium permovebit? Nolite enim id putare accidere posse, quod in fabulis saepe videtis fieri, ut deus aliquis delapsus caelo, coetus hominum adeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur. Cogitate genus sonitus eius, quem Latinienses nuntiarunt: recordamini illud etiam, quod nondum est relatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiae nuntiatur terrae motus horribilis, cum quibusdam multis metuendisque rebus. Haec eadem profecto, quae [1] prospicimus, impendentia pertimescetis. Etenim haec deorum immortalium vox, haec paene oratio iudicanda est, quum ipse mundus, quum aër atque terra motu quodam novo contremiscunt, et inusitato aliquid sono incredibilique praedicunt. In quo constituendae nobis quidem sunt procurationes, et obsecratio, quemadmodum monemus. Sed faciles sunt preces apud eos, qui ultro nobis viam salutis ostendunt: nostrae nobis sunt inter nos irae discordiaeque placandae.

metum leviorem, ut fit, gravior expellit, *vox ipsa deorum immortalium* i. e. sonitus apud Latinienses et terrae motus quidam. W.

Delapsus caelo) Sic cod. Erf. ed. Beck. — Codd. aliquot et ed. Herv. *lapsus de caelo*, quod Ern. recepit.

Quod nondum est relatum) Nisi tandem hominem verba defecissent, aggrederetur fortasse nobis novam de nihilo historiam cudere, aut ipse referre ad senatum de terrae motu horribili. Verum, quaecumque demum causa nos defraudavit hac relatione, ipsa haec levissima rei mentio ante portam claudendam nimis putida videri debebit. W.

Cum quibusdam multis) Insolens est *quibusdam* cum *multis* coniungi. — Hoc dictum puta pro *aliis multis*, inusitato genere loquendi. Attamen (ut Scriptorem cum pace dimittamus) defendi illud forsan poterit hac loquutione, quae est in Pis. c. 4: « Collegia, non ea solum, quae senatus sustulerat, restituta, sed *innumerabilia quaedam* nova, ex omni fece Vrbis ac servitio concitata. » Vbi *quaedam* significat *alia*. Markl. Iniusta est haec lenitas. Nullo loco vox *quaedam* illam potestatem habere potest. *Nova* QVAEDAM *collegia* contraria sunt *notis et a senatu sublatis*; sicut dicitur *res inaudita quaedam*, *mirabilis quaedam*; nec pertinet *quaedam* ad innumerabilia. W.

(1) *Futura* vulgo additum melius abest in codd. Erf. Franc. aliis, it. ed. ep. 1480.

Atque terra) Gruter. e cod. S. Vict. edidit *terrae*, sequentibus aliis.

Procurationes) Expiationes, placationes. Man.

ORATIO

PRO

M. MARCELLO



DE ORATIONE

PRO

M. MARCELLO *

(Schvtzii Prolegomenωn Cap. V)

M. Claudius Marcellus A. V. C. 702, consul cum Ser. Sulpicio Rufo (Suet. Iul. c. 28) edicto praefatus de summa se republica acturum retulit ad senatum, ut Caesari, cui Gallia provincia lege Pompeii et Crassi in alterum quinquennium prorogata erat, succederetur ante tempus; quoniam bello confecto pax esset ac di-

(*) Αὐθεντίας et elegantiae laudem huic orationi detraxit Wulfius, illa, anno post quatuor superiores, hoc titulo edita: *M. Tulli Ciceronis quae vulgo fertur oratio pro M. Marcello, recognovit, animadversiones selectas superiorum interpretum suasque adiecit Frid. Aug. Wolfius*, Berolini 1802. Eius sententiam pluribus argumentis confirmavit Speldingius, vir candidissimos ideoque elegantissimae doctrinae, immaturo fato literis ereptus, in *disputatione de Oratione Marcelliana* inserta *Musei antiquitatis studiorum* opera F. A. Wolfii et Ph. Buttmanni editi Voluminis primo. Contra vero αὐθεντίαν huius orationis evincere studuerunt Olaus Wormius, et Beni. Weiske, ille quidem Hafniae edito libello, sic inscripto: *M. T. Ciceronis orationem pro M. Marcello νοθείας suspicione, quam nuper iniiciebat Frid. Aug. Wolfius V. C. liberare conatus Olaus Wormius Prof. et Rect. scholae Hothern. Accessit oratiunculae interpretatio Danica* 1803. Weiskius vero in *commentario perpetuo et pleno in orationem M. T. Ciceronis pro M. Marcello*. Lipsiae 1805. Idem postea edidit *M. T. Ciceronis orationes XIII selectas* quorum in numerum et *Marcellianam*, et illas *post reditum in Senatu* et *ad Quirites* retulit, simulque harum quoque duarum patrocinium suscepit. Quod ad Marcellianam attinet, mediam nuper viam ingressus est adolescens doctissimus *Aug. Lud. Guil. Iacob.* edito pro summis in philosophia honoribus rite capessendis libello, quem sic inscripsit: *de oratione quae inscribitur pro M. Marcello Ciceroni vel abiudicanda vel adiudicanda quaestio novaque coniectura*; in quo exemplo praesertim quatuor priorum capitum demonstrare conatus est, esse hanc orationem nec omnino genuinam, nec plane suppositiam; sed Ciceronianam multis locis a grammatico quodam, qui eam amplificare vellet, interpolatam esse. Schvtz.

mitti deberet victor exercitus; et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens eo capite, quo a petitione honorum absentes summovebat, ne Caesarem quidem exciperet, per oblivionem, ac mox lege iam in aes incisa et in aerarium condita corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus provincias Caesari et privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem et ultra praescriptum data esset. His consiliis Caesar partim per intercessores Tribunos plebis, partim per Sulpicium alterum consulem summa ope restitit. Neque vero ipse Pompeius dissensit (certe dissensum dissimulavit) ac potius iniquum esse dixit, Caesarem antequam illud alterum quinquennium exactum esset, provincia et imperio spoliare. Anno sequente V. C. 703, C. Claudio Marcello (M. Marcelli fratre patrueli) et L. Aemilio Paulo coss. quum de eadem re, in primis de legionibus Caesaris dimittendis ageretur, adversati sunt L. Paulus consul, a Caesare magna pecunia corruptus, itemque C. Curio trib. pl. quem Caesar aere alieno oppressum liberaverat. In primis C. Curio de Caesaris legionibus dimittendis haud aliter se assensurum dixit, nisi ceteri quoque, in primis Pompeius exercitus dimitterent. Itaque factum est tantum SCtum ut a Caesare et Pompeio singulae legiones ad bellum Parthicum mitterentur (cf. incerti auctoris lib. VIII, de bello Gallico c. 54). Itaque Caesar legionem decimam quintam misit; Pompeius vero eam legionem quam e suis Caesari mutuo dederat, repetiit. Vtraque deinde legio a cos. Marcello, quum iam iis ad bellum Parthicum nihil opus esset, Pompeio tradita. De ea re certior factus Caesar in Italiam rediit, literasque ad senatum misit, quibus petiit ne sibi beficium populi adimeretur, aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent. Pactionem etiam cum adversariis facturum se ostendit, his legibus, ut dimissis octo legionibus Transalpinaque Gallia, duae sibi legiones et Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur. Sed quum adversarii negarent, ullam se de republica pactionem facturos,

Caesar transiit in citeriorem Galliam et Ravennae substitit. Interea A. V. C. 704, Kal. Ianuariis consulatum adierunt C. Claudius Marcellus (M. Marcelli frater germanus) et L. Cornelius Lentulus. His eodem die de republica referentibus, etsi M. Marcellus censuerat non oportere ante de ea re ad senatum referri quam delectus tota Italia habiti et exercitus conscripti essent (quo praesidio tuto et libere senatus, quae vellet, decernere auderet) tamen in duriorem Q. Scipionis Metelli sententiam, auctore etiam Pompeio, qui se iam totum a Caesaris amicitia averterat, fit SCtum, uti ante certam diem Caesar exercitum dimittat; si non faciat, eum adversus rempublicam facturum videri. Intercedit M. Antonius et Q. Cassius. Refertur confestim de intercessione tribunorum. Misso autem sub vesperam senatu postridie decurritur ad illud extremum atque ultimum SCtum: dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem, ne quid respublica detrimenti capiat. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis, seseque Ravennam ad Caesarem conferunt. Sic exorto inter Caesarem et Pompeium bello civili, M. Marcellus Pompeianas partes sequutus, post pugnam Pharsalicam, victo Pompeio, Mityleuas commigravit. Ibi eum M. Brutus (ap. Senecam Cons. ad Helv. c. 9,) in libro quem de virtute composuerat, narravit se vidisse exulantem et quantum modo natura hominis pateretur beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem quam illo tempore. A. V. C. 707 postquam Caesar Africano bello confecto Romam redierat, C. Marcellus M. frater magno studio id egit, ut fratri a Caesare veniam reditumque in patriam impetraret. Cicero, veritus, ne Marcellus hoc beneficium pertinaciter récusaret, ad eum scripsit epistolam, (quae est lib. IV ad Fam. 7), in qua ei persuadere cupit, ut ad suos redire ne nolit. Se enim intellexisse, nihil aliud esse, in eo restituendo, quod Caesari dubitationem afferret, nisi quod vereretur ne Marcellus illud beneficium omnino non putaret. Neque ita multo post mense Septembri quum in senatu a L. Pisone mentio facta esset de M. Marcello, et quum C. Marcellus se ad Caesaris pedes abiecisset, cunctus senatus consurrexit, et ad Caesa-

rem supplex accessit. Tum Caesar accusata acerbitate Marcelli, laudataque Ser. Sulpicii et aequitate et prudentia, repente praeter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. *Tum quum omnes ante me*, inquit Cic. Epp. IV 4, *rogati Caesari gratias egissent praeter Volcatium (is enim sic eo loco negavit se facturum fuisse) ego rogatus mutavi meam sententiam. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias, meque metuo ne etiam in ceteris rebus honesto otio privarim* etc. Iam quum M. Marcello et C. frater et Cicero ipse, quid in senatu actum esset, perscripsissent, reditum a Caesare impetratum gratulati, (quod ex ipsius ad Ciceronem epistola ad Fam. IV, 11, intelligitur) Marcellus Mitylenis discessit, iterum a Cicerone mense Ianuario A. V. C. 708 ad properandum reditum excitatus (ad Fam. IV, 10). Et iam in itinere Athenas pervenerat, ὑπὲρ Μαλέας in Italiam navigaturus. Ibi a d. X Kal. Iunias Ser. Sulpicius, eius in consulatu collega, eum in Piraeeo convenit (ad Fam IV, 12). Postridie autem quum Sulpicius ab Athenis proficisci in animo haberet, circiter horam decimam noctis Sp. Postumius Marcelli familiaris ad eum venit, ipsique nuntiavit Marcellum post coenae tempus a P. Magio Chilone familiare eius pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem, sperare tamen se eum vivere posse; Magium se ipsum interfecisse. Ser. Sulpicius statim medicos coëgit, et prima luce ad eum visendum perrexit. Quum autem non longe a Piraeeo abesset, puer Acidini obviam ei venit cum codicillis, in quibus erat, paulo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. Ei Sulpicius satis amplum funus faciendum curavit, corpusque in nobilissimo Academiae gymnasio combussit, curavitque ut eodem in loco Athenienses monumentum ei faciendum locarent. Tristissimo hoc nuntio accepto Cicero ad Atticum (XIII, 10) ita scripsit: *Minime miror te et graviter ferre de Marcello, et plura vereri periculi genera. Quis enim hoc timeret, quod neque acciderat*

antea, nec videbatur natura ferre, ut accidere posset. Omnia igitur metuenda. Cicero tamen ipse, quum Marcellum ad properandum reditum excitare vellet (ad Fam. IV 9) sic ad eum, quasi eiusmodi casum divinaret, scripserat: *Caput illud est, ut si ista via tibi commodior esse videtur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiorum est licentia, sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia.* De causa autem quae Magium impulerit ad Marcellum interficiendum, quum varii essent rumores, ac nonnulli suspicarentur percussorem ei a Caesare immissum (Cicero ad Att. XIII, 10); haec scripsit: *Hodie Spintherem exspecto. Misit enim Brutus ad me; per literas purgat Caesarem de interitu Marcelli: in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. Nunc vero quum de Magio constet, nonne furor eius causam omnem sustinet? Plane, quid sit, non intelligo: explorabis igitur. Quamquam nihil habeo, quod dubitem, nisi, ipsi Magio quae fuerit causa amentiae, pro quo quidem etiam sponsor Sunii factus est. Nimirum id fuit. Solvendo enim non erat. Credo eum petiisse a Marcello aliquid, et illum, ut erat, constantius respondisse.* Ceterum aliam caedis Marcelli causam Valerius Max. fuisse perhibet lib. IX, c. 11: *Consternatum etiam Magii Chilonis amentia pectus, qui M. Marcello datum a Caesare spiritum sua manu eripuit. Vetus amicus et Pompeianae militiae comes, indignatus aliquem amicorum ab eo sibi praeferri. Vrbem enim a Mitylenis quo se contulerat repetentem, in Atheniensium portu pugione confodit, protinusque ad irritamenta vesaniae suae trucidanda tetendit, amicitiae hostis, divini beneficii interceptor, publicae religionis, quod ad salutem clarissimi civis recuperandam attinuit, acerba labes.* Ceterum quod Spaldingio in mentem venit suspicari, fieri potuisse, ut Marcellus vitae pertaesus, a Chilone Magio, ut se occideret, postularit, qui deinde se ipsum quoque interemerit, ea suspicio mihi prorsus a vero abhorrere videtur.

Sed ut ad orationem pro Marcello redeamus, hoc statim apparet huiusmodi orationem ad Caesarem non fuisse, antequam haberetur, meditatam. Res enim illa praeter exspectationem in

senatu acciderat. Et Cicero sententiam suo loco rogatus, pluribus quidem verbis, sed ex tempore gratias egit. Nusquam autem ipse profitetur se postea illam orationem conscripsisse, et conscriptam edidisse. Etenim si eam paulo post illam rem in senatu actam scripsisset, certe eius in illa ad Ser. Sulpicium epistola (ad Fam. IV, 4) mentionem fecisset. At Wormio in mentem venit Ciceronem hanc oratiunculam ad ipsum Marcellum misisse. Id enim e Marcelli ad Cic. epistola (Fam. IV, 11) effici posse putavit, ubi ille scribit: *Gratulatio tua, etsi est mihi probatissima, quod ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multo iucundius est et gratius, quod in summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui vere meae saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque mihi benivolentiam praestitisse cognovi.* At quis non videt istam *gratulationem* non de hac oratiuncula accipiendam; sed de ea, quae literis a Cicerone ad Marcellum scriptis contineretur? quod idem a Spaldingio monitum esse videmus (l. l. p. 49). Neque vero ullum tempus reperio, quo A. V. C. 707 extremo Ciceroni hanc orationem, ut conscriberet, venire in mentem potuisset. Aliis enim negotiis et maioribus distractus fuit; orationem pro Ligario habuit prid. Kal. intercalares; deinde domesticas habuit sollicitudines, divortio etiam cum Terentia sub finem huius anni facto. Anno autem 708, nec ante Marcelli cedem, nec postea scribi ista oratio potuisse videtur. Nam initio huius anni Tulliae filiae partus qui exspectabatur, eum sollicitum Romae tenuit; deinde mors eius consecuta gravissimum ei dolorem attulit, quem libro de consolatione scripto, et philosophicis libris scribendis levare studuit. Post acceptum vero de Marcelli morte nuntium, quis quaeso in animum inducere possit, eum de conscribenda ista oratiuncula cogitasse? *Nullus enim* (quod Wolfius, in egregia ad hanc orationem praefatione p. XXVI, monuit) *nullus labor magis tum supervacaneus et inutilis fuisset.* Sed fac eum ex istis occupationibus ad eam literis mandandam sibi aliquod tempus eripuisse, certe eam non inscripsisset *orationem pro Marcello*, sicut illam pro Ligario aut rege Deiotaro. Non enim fuit defensio Marcelli contra accusatorem ali-

quem, sed grati tantum aoimi erga Caesarem pro reditu Marcello concesso significatio. Itaque etsi Cicero dixit se *pluribus verbis* Caesari gratias egisse, oon tamen illam gratiarum actionem iustae orationis modum explesse facile Wolfio assentior, qnum Plutarchus in Ciceronis vita narret, Caesarem, quum paulo post apnd eum pro Ligario dicturns esset, bis verbis nsnm esse: *quid obstat quo minus Ciceronem tanto intervallo audiamus dicentem* (τί κωλύει διὰ χρόνου Κικέρωνος ἀκοῦσαι λέγοντος).

Haud leve momeotum huic sententiae accedit ex eo, qnod Quintilianus, qui toties Ciceronis oratioocm pro Ligario, semel etiam illam pro Deiotaro oratiuncalam laudat nullo verbo mentioncm facit orationis pro Marcello a Cicerone habitae. Reliqui vero scriptores, qui Marcellianam orationem laudant, ut Asconius Pedianus, Nonius Marcellus (v. *aemulus* p. 239), Lactantius, et Prisciaous (lib. V, p. 667, VI, p. 715), iam istius, quae cxstat, orationis excmplis usi, et sibi adulterinam pro genuina Ciceronis supponi passi snnt. Adulterinam enim esse nemo dnbitabit, qui quantum ab illa servili Caesaris adulatione, quae in hac oratiuncula regnat, liberalius dicendi genns in orationibus pro Ligario et Deiotaro discrepet, cogitaverit, qui tot inficetas, frigidas, absurdas sententias et locutiones a Wolfio et Spaldingio exagitatas perpenderit. Ceternm duas esse partes huius declamationis, facile perspicitur, quarnm altera, c. 1-6, post gratiarum actiooem versatnr in Caesaris landibns, altera in diluenda Caesaris suspicione de occoltis iosidiis vitae suae metuendis, quae cum cohortatione ut Caesar ipse vitae suae et saluti consulat, coniungitur; c. 7-10. In peroratione redit ad gratias Caesari iterum agendas; c. 11.

ORATIO

PRO

M. MARCELLO

I.

Diuturni silentii, Patres conscripti, quo eram his

ANONYMI VETERIS INTERPRETIS SCHOLIA, INTERSERTIS NONNULLIS FORTE EX ASCONII COMMENTARIO EXCERPTIS.

CAP. I. *Diuturni silentii*) Bellis civilibus Cicero tacuit. Nec enim locus esse poterat inter bella Ciceroni. Data est indulgentia Ciceroni. Reversus est orator Marcellus. De quo Lucanus ait: *Marcellusque loquax*. Hic maxime suaserat bella civilia contra Caesarem. Vnde acerrimus in eum adversarius Caesar fuit. Victis partibus conscius suasionis suae, quia ipse bella suaserat, Athenas discesserat. Illic fuit multans temeritatem suam exsilio voluntario. Reversus est Caesar. Ingressus est frater Marcelli C. Marcellus. Tenuit genua Caesaris. Miserere, inquit, da indulgentiam fratri. Sequutae sunt lacrimae totius ordinis. Duabus in rebus impellimur ad expugnandos inimicos, aut ex superiore iniuria aut futuro metu. Caesar utrumque ante oculos posuit, et fecit quasi sistentem Marcellum. Marcelle hoc contra me fecisti. De superiore iniuria illud fecisti. Deinde audio mihi parari insidias ab his, quos servavi. Tamen quoniam hoc amplissimus ordo postulat, ignosco. Ideo dixit Cicero: Tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Tamen quia senatus hoc vult, ignosco. Hac gratulatione Cicero surrexit et gratias agit. Plerique statum dederunt in hac oratione venialem, quum in ista oratione nullus status sit. Gratiarum actio est. Si needum dedisset indulgentiam, videretur status venialis. In gratulatione tantum Marcelli, qui putant surrexisse Tullium, errant. Vidit Caesarem ignoscere. Multis enim petenda venia fuerat. Provocat illum ad genus laudis. In extrema parte orationis utitur quasi statu coniecturae, quia (Caesar) dicebat: insidias mihi faciunt, ut me occidant; sive ut purget ceteros, ne poeniteat ignoscere Caesarem, sive ut Caesarem cautum faceret. Bellis ergo civilibus oratione non fuerat usus; et post bella tamen tacuerat. Haec prima vox fuerat diuturni silentii. Plerique putant figuratam esse istam orationem. Et sic exponunt quasi plus vituperationis habeat quam laudis. Hoc nec temporibus convenit, nec Caesari. Nam et tempus tale est, ut vera laude Caesar inducatur ad clementiam, et Caesar orator est qui non possit falli. ANON.

temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus die sattulit; idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum, in summa potestate, rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam, tacitus nullo modo praeterire possum. M. enim Marcello vobis, Patres conscripti, reique publicae reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis et reipublicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, Patres conscripti, et vehementer angebar, quum viderem, virum talem,

His temporibus) Quia accusavit tempora. Non intelligunt. Sensit orator. Et ne figura sit. Anon. — *Non timore aliquo*) Modo occurrit, ne vel in suspicionem caderet accusare tempora. Id. — *Non timore aliquo*) Non quo, inquit, aliquid metuerem, aut de clementia tua diffiderem, sed quod amici casum dolerem, et mei simul verecundia retinerer, quod ex consortis mei poena consimilia mereri iudicarer. *ex* Asc. — *Partim dolore*) Quia desiderabam Marcellum. Anon. — *Partim verecundia*) Quia non audebam apud te loqui contra quem arma sumpseram. Id. — *Quae vellem quaeque sentirem*) Ecce iam plena libertas. Id. — *Tantum in summa potestate*) Cui non licet peccare, innocentiae non est laus. Numquid laudo te quia homicidium non facis? Si enim feceris, damnaris. Ergo non peccas, si vel innocentia, vel timore. At imperator laudandus est, cui licet et non facit; si et copia sit, et tamen modus. Id. — *Ac paene divinam*) Non hoc sine causa dicit. Nam constat Caesarem se iactare divina origine a Venere esse natum. Vnde et divus postea appellatus est.

His temporibus) Hoc anno, quia pugna Pharsalica iam effluxit. Ait *his temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certe periculum indicant. Abr.

Non timore aliquo) Captat a Caesare benevolentiam, quum se non timuisse ostendit, ne liberius de rep. loquens, eum offenderet. Id.

Dolore) Vel luctu meorum qui bello civili perierunt, vel dolore et poenitentia, quod contra Caesarem tam benignum et humanum virum, adhaeserim Cn. Pompeio. Id.

Verecundia) Contra quem enim armis pugnassem, eo praesente verba facere verecundia prohibebar. Man.

Virum talem) Gruterus e cod. Pal. praeposuit *tum*. Id recte repudiavit Ern. Graevius dedit *qui in eadem causa esset*. Et sic edd. nonnullae vett. In ed. Waldarf. *qui in eadem causa fuisset*.

in eadem causa, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite distracto. Ergo et mihi, et meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim, mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus, quum M. Marcellum senatui populoque romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis vitae anteactae hodierno die maximum cepit, quum summo consensu senatus, tum praeterea iudicio tuo gravissimo et maximo. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, quum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad omnes, quam ad ipsum ventura sit, laetitia pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo iure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?

II. Nullius tantum est flumen ingenii, nullius dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non

Nam et alio loco ait: Semper * * *. Id. — *In nostro veteri curriculo*) Curriculum dicitur spatium per quod aguntur currus, aptus scilicet cursui locus. Sed metaphorice forense quoque officium curriculum dixit, quasi locum aptum probandis atque exercendis ingeniis. Est autem hic sensus: quum in eloquentiae, inquit, curriculo (1), id est in foro, imitatore uterer M. Marcello, elanguit studium honesti certaminis aemulatione sublata. Asc.

Praesertim offensionibus) In codd. nonnullis additur *etiam*, probante I. Gronovio. — Patricio placet *eius*.

dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Tamen affirmo: et hoc pace dicam tua; nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consequutus es. Soleo saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus: omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero proeliorum, neo varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia maiora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum iuvant: maximam vero partem, quasi suo iure Fortuna sibi vindicat, et, quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. At vero huius gloriae, C. Caesar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriae non offert; tibi cedit; tuam esse totam et pro-

Lustratae sunt) Ita Victor. et MSS. nonnulli, ut Erf. recte pro eo quod olim legebatur *illustratae sunt*. Pro *sunt* Ern. sine causa reposuit *sint*.

priam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

III. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quae naturam et conditionem, ut vinci vi possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo iudico. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis, neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam quum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono: at vero quum aliquid clementer, mansuete, iuste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens et superba est, aut audimus, aut legimus; quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quem praesentem intuemur, cuius mentem sensusque et os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benivolentia complectemur? Parietes, medius fidius, ut mihi videntur, huius curiae, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi

Medius fidius) Vulgo addebatur *C. Caesar*, quod Ern. auctoribus antiquis libris delevit.

tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus.

IV. Equidem quum C. Marcelli, viri optimi et commemorabili pietate praediti, lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria obfudit. Quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, iam ad paucos redactam, paene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus iure antepones; haec enim res unius est propria Caesaris: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu; huius autem rei tu idem et dux es, et comes: quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas; nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas: at vero haec tua iustitia et lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium iam ante aequitate et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ne hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, quum ea, quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam quum ipsius victoriae conditione iure omnes victi occidissemus, clementiae tuae iudicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est.

C. Marcelli) Qui se ad Caesaris pedes abiecerat. Is est, qui cum L. Lentulo consul fuit anno primo civilis belli. Alter autem C. Marcellus M. Marcelli frater Patruelis, non germanus, ut Suetonius docet, consulatum gesserat anno proximo superiore cum L. Paulo. MAN.

V. Atque hoc C. Caesaris iudicium, Patres conscripti, quam late pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam quum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicae conservavit, memet mihi, et iterum reipublicae, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros et sibi ipsis et patriae reddidit: quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non ille hostes induxit in curiam, sed iudicavit, a plerisque ignoratione potius, et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate bellum esse susceptum. Quo quidem in bello semper de pace audiendum putavi, semperque dolui, non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem flagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam sequutus sum arma civilia, semperque mea consilia pacis et togae socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum sequutus privato officio, non publico; tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit: nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo iam nemo erit tam iniustus rerum existimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello

Cap. V. *Non ille hostes induxit in curiam*) Quum eos, inquit, C. Caesar qui contra se pro Pompeio arma coeperant in senatum introduxit, hostes non fuisse iudicavit. Non enim hostem iudicat *quem donat* publici communitate consilii. *ex* Ascon.

Bellum esse susceptum) Vulgo *civile bellum*. Sed *civile* abest ab optimis MSS. idque cum Graevio delevit Ern.

Privato officio, non publico) Quia Pompeio debebam: non quia Caesaris causam condemnarem. Man.

Existimator) Sic Graev. e MSS. Vulgo *aestimator*.

fuerit, quum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, quum esset incertus exitus, et anceps fortuna belli: qui vero victor pacis anctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

VI. Atque huius quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, quum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim iam causae sunt inter se, sed victoriae comparandae. Vidimus tuam victoriam proeliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam, id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur; nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiamsi poenas a populo romano ob aliquod delictum expetiverint, qui civile bellum tantum et tam luctuosum excitaverint, vel

Cap. VI. *Non enim iam causae sunt inter se, sed victoriae comparandae*) Quae fuerit, inquit, in civili bello vel quibus causa dimicandi praelatior, nescio. Illud scio, tuam victoriam Pompei victoriae praeponendam. Tu enim

Expetiverint) Sic Ern. ex ed. Rom. aliisque vett. Vulgo *expetiverunt*.

Excitaverint) Hoc Faërnus reperit in bono MS. receptum ab Ernestio pro vulg. *excitaverunt*.

placati iam, vel satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse.

Quare gaude tuo isto tam excellenti bono; et fruere quum fortuna et gloria, tum etiam natura et moribus tuis; ex quo quidem maximus est fructus iucunditasque sapienti. Cetera quum tua recordabere, etsi persaepe virtuti, tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate praesertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam reipublicae. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

VII. Nunc vero venio ad gravissimam querelam et atrocissimam suspicionem tuam; quae non tibi ipsi

in victoria clemens fuisti, qua ille cruentius uteretur. *ex* Asc. — *Noli igitur in conservandis*) Vides quo tendit, qui non tantum agit gratias propter Marcellum, quam propter ceteros conservatos. Anon. — *Sed opinione*) Quia putabant se debere sequi amicum suum. Id. — *Opinione officii, stulta fortasse, certe non improba*) Forte, inquit, stulta fuerit illa opinio, officiosum se quemlibet credere, si non desereret amicum; improba autem esse non potuit. Et vide qua moderatione temperavit culpam, ut si quid etiam delicti habuit, non malitiae fuerit sed erroris. Ipsam tamen stultitiam, quae etiamsi certa sit, non habet culpam, dubiam posuit iungendo *fortasse*: purgationem vero certissimam; nam fortasse fuit stultus, certe non improbus. *ex* Asc. — *Non enim tua culpa*) Vult dicere: si timuimus te, ideo peccabimus. Anon.

Cap. VII. *Nunc venio ad gravissimam querelam*) coniecturalem partem

magis, quam quum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est: quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? de tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui una tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, huius vitam non anteponat suae. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui supersunt, sint amicissimi. Sed tamen, quum in animis hominum tantae latebrae sint et tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus diligentiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam, et ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, et incertos eventus valitudinis, et naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, quum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima

tractat. Vult dicere: nemo tibi insidias facit. Sed ne videatur propterea dicere, ut incautiorem reddat, cautiorem faciendo securum tamen praestat. Anon.—*Ut si in alterutro peccandum sit*) Forte dico tibi: cave, et falsum est; dicor timidus. Forte tibi dico: noli timere, et verum est; dicor improvidus. Ideo dixit: *quod si in alterutro peccandum sit.* Id.

Qui supersunt) Sic Lambin. probante Ernestio legendum censuit. Vulg. *superfuerunt*.

consistere. Si vero ad humanos casus, incertosque eventus valitudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio: quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?

VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae iacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata: constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles: omnia, quae dilapsa iam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae: multaque uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset. Quae quidem tibi nunc omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, praeter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: « satis vel naturae vixi, vel gloriae. » Satis, si ita vis, naturae fortasse; addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe

Cap. VIII. *Multaque uterque dux*) Dicebat Caesar: videant, qui mihi insidias faciunt. Mea nihil interest. Id. — *Tuam praeclarissimam*) primum concede, ne videatur contra eius sententiam venire. Id. — *Satis diu vixi vel naturae vel gloriae*) Quasi verba sunt sapientis Philosophi contemnentis

Revocanda fides) Cicero secundo officiorum: *Quamobrem, ne sit aes alienum quod reipublicae noceat, providendum est. Si hos non fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.* Quomodo autem Caesar fidem revocarit, tradit Suetonius, cap. 42. Abr.

Propagunda soboles) Diu multumque non Caesari solum, sed etiam Augusto cum profligatis hominum moribus luctandum fuit, ut cives suos ad veras legitimasque nuptias, et propagationem sobolis, educationemque liberorum inducerent. Vide Tranquillum in Iulio cap. 42, nec non in Octavio, cap. 34. Id.

Satis vel naturae vixi, vel gloriae) Vulgo *satis te diu vel naturae vixisse vel gloriae*. Graev. et Ern. e

parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, quum omnium salutem civium cunctamque rempublicam res tuae gestae complexae sint: tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum ieceris. Hic tu modum tuae vitae non salute reipublicae, sed aequitate animi definies? Quid, si istud ne gloriae quidem tuae satis est? cuius te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Immo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, quum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum, vel in suos, vel in pa-

vitam. Itaque inquit *naturae*. ID. — *Doctorum*) Philosophorum. ID. — *Tantum abes a perfectione maximorum operum*) Quasi fabricae facit translationem. ID. — *Quid si istud ne gloriae quidem satis est*) Redit ad sententiam; iterum rei publicae. ID. — *Admirationis plus sit habitura*) Inter admirabilitatem et laudem multum interest. Miramur etiam mala. Miraculum est magnitudo facti. Laudamus beneficium. ID.

cod. Erf. *satis diu vel naturae vixi vel gloriae*, quod et ipse secutus sum, sed ita ut *diu* de Ernestii sententia deleverim.

Hic tu modum — aequitate animi definies) Id est, putasne te propterea satis vixisse, quod aequo animo, et citra indignationem mori potes, et annos praeteritos non requiris? Aequitatem animi dicimus, rectam animi constitutionem, tranquillamque affectionem omni indignatione vacantem. BYD.

triam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

IX. Haec igitur tibi reliqua pars est; hic restat actus; in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu in primis composita cum summa tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, quum et patriae, quod debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod quum venit, omnis voluptas praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura est: quamquam iste tuus animus nunquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit. Nec vero haec tua vita dicenda est, quae corpore et spiritu continetur. Illa, illa inquam, vita est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium; quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quae quidem, quae miretur, iam pridem multa habet: nunc etiam, quae laudet, exspectat. Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias,

CAP. IX. (*Quid est enim hoc ipsum diu*) Contra illam sententiam quam dixit: *Satis vel naturae vixi*. Modo ostendit nec naturae satis vixisse. ID — *Obstupescent posteri certe imperia*) Quae laudet spectat, et quae est

Hic restat actus) tanquam fabulae; qui debet esse ultimo loco perfectissimus. Qua sententia scripsit ad Q. fratrem: *Illud te ad extremum et oro et hortor, ut, tanquam poëtae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte, et conclusione muneris, ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur*. M.

Tu in primis composita) *Composita* MSS. aliquot bonis abest idque sustulerunt Faërn. Lamb. Graev.

Venit — futura est) Sic Graev. Ern. e cod. Erf. aliisque. Vulgo *venerit — futura sit*.

Rhenum) Germanos a te victos. *Oceanum*, Britannos. *Nilum*, Alexandrinos. *Monumenta* a te extructa. *Munera* a te publice data. MAN.

monumenta, munera, triumphos audientes et legentes tuos. Sed, nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, quum alii laudibus ad caelum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriae restinxeris; ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam iudicibus, qui multis post saeculis de te iudicabunt, et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam et sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt. Id autem etiamsi tunc ad te, ut quidam falso putant, non pertinebit: nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.

X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractaeque sententiae. Non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quaedam; erat certamen inter clarissimos duces; multi dubitabant, quid optimum esset; multi, quid sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta respublica est hoc mi-

laus. Id. — *Dissensio*) Bellum civile. Id. — *Requirent alii fortasse*) Alii inquit, te habent laudare, alii reprehendere quia dixit * *. Id. — *incendium restinxeris*) Vt illud civile. Id. — *Hoc consilii*) Salus rei publicae. — *An incorruptius*) Quasi et nos incorrupte iudicemus; ne videatur blandiri. Id. — *Vt quidam falso putant*) Epicurei dicunt: post mortem nihil. Id. — *Pertinet*) Sed fac quia verum dicunt. Interim dum vivo laudabilem factorum de me esse famam. Id.

Cap. X. *Diversae voluntates civium*) Ad finem posuit caussam erroris, ut venialis locus sit contra eos, qui sumpserant arma. Id. — *Multi quid se*

Monumenta, munera) Ernestius reposuit ex edd. vett. ut hunt. et MSS. nonnullis *monumenta innumera*.

Vt quidam falso putant) Mori cum corpore animum credentes. M.

sero fatalique bello; vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; neque omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio aut morte dignos iudicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est iniustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed iam omnis fracta dissensio est armis, et exstincta aequitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo, et in ista sententia, qua quum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

decerct) Ostende necessitatem. Id. — *Arma ab aliis posita*) Sponte posita. Id. — *Arma ab aliis posita*) Quos dignos scilicet Caesar sua clementia iudicavit. Condemnat enim propositum suum, qui voluntate arma deponit. *ex* Asc. — *Ab aliis erepta* (2) In quos scilicet Caesar animadvertit: quibus etiam fractis et comminutis opibus inerat tamen pertinacia resistendi. Id. — *Erepta*) A victis. An. — *Inter constantiam et pertinaciam*) Perseverare cum Pompeio constantia est; post Pompeii mortem adhuc tenere animum armatum iam non est constantiae, sed pertinaciae. Anon. — *Vt omnes unum velint*) quia dicebat timendas esse insidias. Purgavit coniecturalem partem, redit ad gratias, unde coepit oratio.

Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt) Alii post pugnam Pharsalicam deposuerunt arma, ut Cicero et plures alii: aliis vero detracta et erepta sunt arma, nimirum qui illa resumpserunt, et in Africa renovarunt bellum civile, his quum vincerentur extorta sunt arma, ut cogerentur illa abiicere. Graev.

XI. Sed, unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, maiores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt; quod ex omnium precibus et lacrymis sentire potuisti; sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod decet, et quod M. Marcello, a te huic ordini populoque romano et reipublicae reddito, deberi intelligo. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio: quod autem summae benivolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, quum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum, certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua in me unum innumerabilia merita, quod fieri

Cap. XI. *Maximas omnes tibi gratias agimus*) Quare plurimum * * * Id. — *A me dici volunt*) Quia amicus Marcello sum; quare te diligunt, quia nulli cedo in amore Marcelli nisi fratri. Id. — *Quum ea sollicitudine*) Quia sollicitus de illo fui. Id. — *Non conservato*) Quia salutem accepit. Id. — *Sed etiam ornato*) Quia dictator Cicero factus est Italiae (*).

Stantibus omnibus) E more veteri Senatorum, qui aut sententiam suam ipsi, et si quid vellent praeterea, dicebant, idque stantes: aut quibus videbatur assentiebantur sedentes. Epistola ad Q. Metellum. Guil.

Deberi intelligo) Sic Ern. e MSS. Lambini. Vulg. *fieri*.

Ad tua in me unum innumerabilia merita) Vis est in singulis verbis. Primum *merita* vocat, quae maiora sunt, quam studia, officia, beneficia: deinde addit *innumerabilia*: postremo *in me unum*. Haec augeri non videntur posse: augentur tamen subiectis verbis, *maximus cumulus accesserit*. Non enim aliquid ait accessisse, sed cumulum; nec simpliciter cumulum, sed maximum. Eodem id pertinet, *quod fieri iam posse non*

(*) Iure iam Wolfius risit hoc Scholiastae somnium.

iam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

arbitrabar. Nec illud sine indicio prolatum, *hoc tuo facto.* Nam *hoc tuo merito* languidius esse videbatur, praesertim quum dixisset, *Ad tua innumerabilia in me unum merita;* quae Marcelli salute vehementer aucta significat. MAN.

AD SCHOLIA ANTIQVA
IN ORAT. PRO MARCELLO

(1) Vt pateat lucidius has notas esse antiquas, subiiciam e cod. Q. 17. part. Imp. saec. XV (bibl. Ambrosianae) ineptissimam aliam notam ad hunc ipsum locum. Sic constabit quantum inter antiquorum et sequiorum temporum scripta intersit:

Curriculo) *Est diminutivum de* curia (!!) *vel dicitur a Cicerone, quod consulares, qui conveniebant in eo loco, habebant tractare ardua. Et ideo qui illuc ibant, tanta frequentia incedebant ut* currere *viderentur* (!!). Hactenus ille, MAIVS.

(2) Praepositionem *ab* tollendam censuerunt Critici ex h. l. Ciceronis, sed enim eam codices Ambrosiani miro consensu retinent. ID.

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONVM FRAGMENTA

NOVIS ACCESSIONIBVS EX PALIMPSESTIS

INSIGNITER AVCTA

AC NVNC PRIMVM COLLECTA

SVBIECTIS VIRORVM DOCTORVM ANIMADVERSIONIBVS

QVAE ANTEA MAGNO CVM LABORE TAEDIOQVE

HVC ILLVC DISPERSAE LEGEBANTVR

ORATIO

PRO

M. SCAVRO.

ARGVMENTVM ASCONII PEDIANI

Hanc quoque Orationem eisdem Consulibus dixit, quibus pro Vatinio (1), L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro Coss. Summus iudicii dies fuit ad IV nonas septembris. M. enim Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps Senatus fuit, vitricum habuit Sullam; quo victore, et munifico in socios victoriae, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Aedilitatem summa magnificentia gessit (2), adeo ut in eius impensas opes suas absumpserit, magnumque aes alienum contraxerit. Ex praetura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter. Quod genus morum in eo paternum videbatur, quum cetera industria nequaquam esset par. Oraverat tamen aliquando inter patronos causarum. Sed postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone (3), isque erat absolutus ad III nonas quintil. Ipse, quum ad Consulatus petitionem ad III cal. quint. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio

(1) P. Vatinio, illo, in quem exstat Ciceronis interrogatio vehemens, cuiusque hoc anno causam dixit, quum esset accusatus de ambitu. Vide Epist. ad famil. I, 9, ad Q. fr. II, 16, et utrobique summum interpretem P. Manutium; item Quintilianum XI, 1, 73, et ad eiusdem VI, 1, 13. Ge. L. Spaldingium. Consulum istorum et harum causarum annus, magnis contentionibus tractisque vi tribunicia in septimum mensem consularibus comitiis turbulentus, V. C. 700, a. Chr. 54. Conf. Pighii Annal. Rom. ad ann. 699, t. III, p. 393. HEINRICH.

(2) Adi Valerium Max. II, 4, 6, 7; Plinium XXXVI, 15. PETR.

(3) Qui fuerat tribunus plebis a. V. C. 698, at nunc reus agebatur lege Licinia Iunia. Eius res apud Ciceronem et Dionem, Livium Epit. 105, et Nonium in v. *Rumor*, ex Annal. Fenestellae. Cf. Manutium in Epist. ad Attic. IV, 17, et Pighium p. 381. HEINR.

Triario adolescente parato ad dicendum et notae industriae, filio eius, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, et post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat, quum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem praetorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie nonas quintil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F., M. et Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudi: qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cuius rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura erant; timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset emeret consulatum, et, sicut pater eius fecisset, antequam de eo iudicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat (1). Habebat enim

(1) « M. Aemilius Scaurus repetundarum reos, adeo perditam et comploratam defensionem in iudicium attulit, ut, quum accusator diceret, *lege sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seque non recusare, quo minus absolveretur, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset*, tam bona conditione uti non potuerit. Tamen propter « vetustissimam nobilitatem et recentem memoriam patris absolutus est. » Haec Valerius Max. VIII, 1, 10. Paria Cicero ad Attic. IV, 15: « Fortasse etiam accedent consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio valde laborabit » significans causae ipsi haud multum fidisse. Duplex porro crimen fuit Scauro obiectum ab accusatore, interemptio Bostaris Sardi hominis, et depraedatio Sardiniae. De nece Bostaris a Scauro illata testimonium dicebat Aris, Sardus, hospes Triarii, contendens *Bostarem quemdam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum* (Severianus Syntom. rhet. cap. de dispon. crimin.) Scauri iussu fuisse interfectum. Cicero vero *pro Scauro circa mortem Bostaris in matrem avertens crimen* (Quintil. VII, 2) felici usus est ἀντικατηγορίᾳ, contendens matrem novas nuptias cum Arine affectantem curasse interimendum filium Bostarem, qui, uti probabile fit, matrimonio reluctabatur; quod scelus novo scelere confirmat, narrans, Arinem, ut vacuam domum amasiae faceret, per libertum occidisse uxorem suam anum deformem. Alterum vero crimen dissoluturus Tullius 1.° demonstrat dolosum esse accusationis genus, ac comitiorum consularium causa comparatum; 2.° elevare satagit gentis Sardae testimonium, testium enim numero et gravitate premebatur Cicero; 3.° de Scauro pauca dicit; 4.° ad frumentarium crimen apposite respondet. Peroratio ducta est a laudibus maiorum, inprimisque Metellorum, et patris Aemilii Scauri principis Senatus. Hanc fuisse Ora-

filium, liberorum Cn. Pompeii fratrem: nam tertiam Scaevolae filiam, dimissam a Pompeio, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id iudicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quae erat illi cum Triario: nam Flaminia Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quae mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat; ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo iudicio neque Pompeius propensum adiutorium praebuit (1) (videbatur enim apud animum eius non minus offensionis contraxisse, quod iudicium eius in Muciam, crimine impudicitiae ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur; quum eam ipse probasset, quam gratiae acquisisse necessitudinis iure, quod ex ea uterque liberos haberet) neque Cato ab aequitate ea, quae et vitam eius et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla, tum quaestor, filius Sullae Felicis, frater ex eadem matre Scauri, servis eius vulneratis prosiluit ex lectica, et questus est, prope interemptum esse se a competitoribus Scauri (2), et ambulare eum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, quum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: ac (3) post bella civilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos est perventum. Fuerunt autem hi P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere iudices movit et squalore et lacrimis et aedilitatis effusae (4) memoria,

tionis oeconomiam atque ordinem videor recte augurari ex fragmentis, quae supersunt. Peyr.

(1) In Pompeii patrocinio multum etiam momenti ponebat Scaurus consulatum petens, sed quantum hac spe frustratus fuerit vide nos in nota ad §. 32. Id.

(2) Legebant editiones: *servus eius vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri.* Cl.[us] Mai ex fide codicis Ambrosiani legit *quod servus eius*, at haec particula corruptelam non sanat. Equidem emendationem admisi, quam ex coniectura Heinrichius proposuit. Id.

(3) *Ac* Sigonii est: *at* Hotomani et Graevii. Neutrum puto scripsisse auctorem, sed potius *atque* i. e. et adeo. Legem Iuliam dicit illam nobilissimam de repetundis, latam a Caesare in primo consulatu a. V. 695. Et constat, uno Asconio teste, etiam ad patronos pertinuisse hanc legem. Heina.

(4) Erat apud omnes *effusa* iunctum cum *memoria*. Correxi. Id.

ac favore populari, ac praecipue paternae auctoritatis recordatione (1).

(1) Vix erat Scaurus repetundarum crimine liberatus, quum reus ambitus postulatus est ab eodem Triario, aut a L. Caesare. Ita enim Cicero: « Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messala a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Caesare. Quid poteris, inquies, pro iis dicere? Ne vivam, si scio » ad Attic. IV, 16. « Candidati consulares omnes rei ambitus . . . . sed omnes absolventur; nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit » ibid. « Scaurum Triarius reum fecit » ad Attic. IV, 17. « Candidati consulares quatuor, omnes rei. Causae sunt difficiles, sed enitemur ut Messala noster salvus sit, quod est etiam cum reliquorum salute coniunctum » ad Q. fr. III, 3. Iam vero hae accusationes in Scaurum mihi etiam consilio institutae videntur competitorum, qui invidiam illi creandam curabant comitiorum tempora; neque spes illos fefellit; licet enim ex utroque iudicio absolutus abisset, haud tamen fasces consulares consequi potuit. Tullianae Orationis pro Scauro ambitus reo nulla fragmenta supersunt, neque magnificas laudes dixit erudita antiquitas; neque enim, ut mea fert sententia, fuit illa iusta atque elaborata oratio, seu quia Tullius patrocinium susceperat clientis, quem revera reum existimabat, seu quia in Messala defendendo potius enitebatur. Contra, alteram pro eodem Scauro repetundarum reo absolutam fuisse atque ornatissimam orationem, evincunt haec Ciceronis loca: *Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi* ad Q. fr. III, 1. *Scaurus qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego partem eius ornatissime defendissem* etc.; evincunt etiam fragmenta ipsa, quae sequuntur. Peyr.

ORATIONIS

PRO

M. AEMILIO SCAVRO

FRAGMENTA

AD FIDEM RECENSIONIS CL. PROF. PEYRONI

Maxime fuit optandum M. Scauro, iudices, ut, nullo suscepto cuiusquam odio, sine offensione ac molestia

. . . .

Sic, inquam, se, iudices, res habet, neque hoc a me

1. *Maxime fuit*) Hoc fragmentum laudarunt Augustinus et Fortunatianus in sua uterque Rhetorica, atque ille quidem his verbis (Augustinus *Principia Rhetor.* sub finem): « Sed ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum, quod habuit M. Tullius, quum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia ἀμφίδοξος, quippe quae niteretur dignitate personae M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de pecuniis repetundis. Vtrumque in principiis statim ita confudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitate personae contegeret, neque tamen largiter nimium, neque exsultanter, sed ita ut exprimat nonnullam etiam metus suspicionem. *Maxime fuit optandum* etc.» Porro haec esse prima exordii verba cum Sigonio sensit Cl. Mai. Peyr. (quod Viri Cl. nomen in sequentibus omittam, quum perpaucas aliorum virorum notas in hac et in sequenti pro Tullio adiecerim. Typ.)

Sic inquam — potuit imitari) Haec ex Asconii fragmentis exscripsi, simulque praemittenda duxi. Nam, ut viderat Sigonius (in notis ad Asconium ad h. l.) « Haec exempla sunt eorum, qui sibi in bello manus attulerunt, ut P. Crassi, qui in bello Aristonici in Asia captus, barbarum, a quo captus erat, ut se interficeret, provocavit; aut alterius P. Crassi, qui in dominatione L. Cinnae, ne in manus inimicorum incideret, sibi mortem conscivit. Quos tamen neque M' Aquillius, neque Iulii duo, neque M. Antonius potuerant imitari. Hoc est autem quod scribit Quintilianus lib. IV, cap. 1, Ciceronem pro Scauro repetundarum reo usum esse exemplis.» Atqui Tullius in primo Taurinensis codicis fragmento de voluntaria morte disserit; paria ergo paribus coniungenda duxi. Hanc vero crediderim

novum disputatur, sed quaesitum ab aliis est. Illa audivimus; hoc vero meminimus ac paene vidimus, eiusdem stirpis et nominis P. Crassum, ne in manus
2 incideret inimicorum, se ipsum interimisse [1]. Ac neque illius Crassi factum superioris, iisdem honoribus usus, qui fortissimus in bellis fuisset, M' Aquilius potuit imitari [2]; . . . . tis suae rerumque

(1) Hic Crassus fuit pater Crassi eius, qui aemulus potentiae Cn. Pompeii fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnae, quum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit. Asc.

(2) Haec verba, quibus Cicero nunc utitur AC NEQVE, eam videntur habere naturam, ut semel poni non soleant: quia NEQVE est coniunctio

postremam fuisse partem disputationis, in qua Tullius quaerebat *ex quibus causis mors eveniat repentina*. Enimvero hanc sibi proposuisse quaestionem quum praesensum est ex indula causae, in qua de repentina morte Bostaris, et uxori Arinis cognoscendum erat, tum conceptis verbis tradit Marcianus Capella inquiens (lib. V, c. *quaestio rhetoricae aut finita* etc.): « An aliud in Scaurina succurrit, quum, interposita dissertatione, tractatur ex quibus causis mors eveniat repentina? » Quae quum ita sint, atque Asconius tradat *circa tertiam partem a primo* versu haec locum habuisse, iam quisque videt tertiam Orationis partem a nobis desiderari. Dixerat paulo supra Sigonius exempla a Quintiliano commemorata esse intelligenda de hac interposita dissertatione: mihi vero Quintilianus innuisse videtur Orationis exordium. De exordiis enim toto illo capite disputans, post laudata prima verba Declamationis Sallustii in Ciceronem, et Ciceronis in Catilinam, subdit: « Ac, ne quis apostrophen miretur, idem Cicero pro Scauro ambitus reo, quae causa est in commentariis (nam bis eumdem defendit) prosopopoeia loquentis pro reo utitur; pro Rabirio vero Postumo, eodemque Scauro reo repetundarum, etiam exemplis; pro Cluentio, ut modo ostendi, partitione. » Sane exordium Orationis pro Rabirio Postumo habet exempla, quae Tullius concludit inquiens *Sint igitur similia, iudices, parva magnis*; a partitione exorditur Oratio pro Cluentio. Itidem ergo exordium Scaurinae a Quintiliano indicatum fuisse credo.

P. Crassum) Hunc in seditione Marii *suapte interfectum manu* dixit Tullius de Orator. III, 3. Meminerat autem, ac paene viderat casum, qui anno V. C. 667 contigerat.

2. *Illius Crassi—superioris*) Hunc ergo superius commemoraverat. P. Crassum Mucianum divitem, captum in bello Aristonici, operam dedisse, ut a barbaro interficeretur, cum Asconio narrat Valerius Maximus III, 2, 12; mitto enim aliorum scriptorum sententias, quas legeris in Adnotat. ad Velleium Pat. II, 4. Porro haec audiverat Cicero, quippe quae ante se natum evenerant.

Manius Aquilius) Hic consul anno V. C. 652, tum legatus in bello Mithridatico (Epitome Liviana LXXVIII), atque adeo iisdem honoribus usus,

gestarum senectutis dedecore foedavit. Quid vero?

disiunctiva, et semper postulat ut rursus inferatur, ut quum dicimus *neque hoc, neque illud.* Quo autem casu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita usus sit, praesertim quum adiecerit illam appositionem, et nomen intulerit postea alterum, neque perspicere potui, et attendendum esse valde puto. Moveor enim merita viri auctoritate; neque ignoro aliquando hoc verbum NEQVE vel semel poni, ut in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit. *Sic, inquam, se, iudices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quaesitum ab aliis est.* Sed hoc loco et sine praepositione illius verbi videmus esse positum, et tamen post secundum aliquid inferri. Nam quum dixerit *neque hoc a me novum disputatur,* infert: *sed quaesitum ab aliis est.* Asc. Clar.mus Mai monet ab altero co-

ac Crassus Mucianus, fuit *in bellis fortissimus*, ut illum *multis avaritiae criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, iudicio* liberaverint iudices (Cicero pro Flacco 39). Varia de Aquilii morte memoriae sunt prodita. Diodorus Siculus (Fragm. lib. XXXVII) perhibet violentas in se manus intulisse, ut propositos cruciatus fugeret; quam sententiam refutant quum Diodori adnotatores, tum maxime hic Ciceronis locus. Vana etiam narrat Velleius Paterculus (lib. II, XVIII, 3) scribens a Mytilenaeis M' Aquilium vinctum Mithridati fuisse traditum, cui *libertas in unius Theophanis gratiam postea a Pompeio restituta est.* At Appianus (de Bello Mithr. 21) refert Mithridatem, a quo Aquilius vivus fuerat captus, iussisse vinctum hunc asinoque impositum circumvehi, tum Pergami aurum liquefactum in os eius infundi; nec a Valerio longe abit Posidonius (apud Athenaeum V, 50, ed. Schweigh.). Quam probrosissimam Aquilii mortem innuisse mihi Tullius videtur his verbis (pro Lege Man. 5): « vos eum regem (*Mithridat.*) inultum esse patiemini, qui legatum populi romani, consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit?» Aquilium ergo vivum a Mithridate captum, atque post exquisita supplicia necatum, cum potioribus auctoribus credebat Tullius, recteque adeo urgebat exemplo Crassi. Paria enim erant omnia, pares honores, par casus, uterque in hostis manus venerat vivus; at illud fuit dissimile, quod Crassus, morte in se provocata, remedium turpissimae captivitatis quaesivit, contra Aquilius vir cetera fortissimus in bellis, per summam animi imbecillitatem, *quum sibi gloriore extingui posset, Mithridati maluit turpiter servire. Quem ne aliquis merito dixerit Pontico supplicio, quam Romano imperio digniorem?* uti apposite de Aquilio scribit Valerius Maximus (lib. IX, 13, 1). Quum itaque de Aquilio merito pronuntiari possit memoriam virtutis suae, rerumque gestarum, senectutis dedecore foedasse, atque Asconius tradat paulo post illa verba *potuit imitari* haec sequi: *Quid vero? alterum Crassum*, tum persuasum habeo prima Taurinensis fragmenti verba — *tis suae rerumque gestarum senectutis dedecore foedavit* de Aquilio esse intelligenda.

Quid vero?) Haec servaverat etiam Asconius.

Alterum Crassum temporibus isdem, num aut clarissimi viri Iulii, aut summo imperio praeditus
3 M. Antonius potuit imitari? [1] Quid? In omnibus monumentis Graeciae, quae sunt verbis ornatiora, quam rebus, quis invenitur, quum ab Aiace

dice Ambrosiano totam abesse hanc particulam orationis *sed hoc loco* etc. alterum vero codicem legere *sed hoc loco ut sine praepositione illius verbi videamus esse positum, et tamen quo sit secundum etc.*

(1) Hic alter Crassus idem est de quo supra diximus. Alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Crassi, qui fuit pontifex maximus, et bello Aristonici in Asia dedit operam ut occideretur. Iulios autem quum dicit, duos Caesares fratres Caium et Lucium significat; ex quibus Lucius et praetor et consul fuit; Caius aedilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio eius cum Sulpitio tribuno fuerit. Nam et sperabat et id agebat Caesar, ut, omissa praetura, consul fieret; cui quum primis temporibus iure Sulpitius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores, et tragicus poëta bonus admodum habitus est; huius sunt enim tragoediae, quae inscribuntur *Iulii*. Et hi autem Iulii, et Antonius ab satellitibus Marii sunt occisi, quum Crassus, ut supra diximus, eundem casum sua manu praevenisset. Asc.

Temporibus iisdem) Mortes M. Antonii, germanorum fratrum C. et L. Iulii, atque P. Crassi ita narrat Appianus (*de Bellis Civ.* I, 72), ac si eodem anno V. C. 667 contigissent. Horum etiam virorum fata coniunxerat Cicero (de Oratore III, 3), ut beatam fuisse mortem L. Crassi evinceret, qui hosce horribiles miserosque casus haud viderat.

Summo imperio) Asconius legit *summo ingenio*, quo M. Antonium fuisse praeditum saepe testatus est Cicero, in primis vero de *Oratore* III, 4. Sed, hac admissa lectione, sequeretur voluntariam mortem ex ingenii vi ita esse repetendam, ut quo maiore quis polleat ingenii acie, eo aptior sit ad animam ultro proiiciendam; quod vereor, ne probent omnes. Illa enim melius est arcessenda ex animi, ut dicere amant, magnitudine servitutis ac dedecoris impatiente, quae ex educatione, patriae institutis, religione fingitur, atque laudibus exemplisque confirmatur, minimum vero ex ingenio meditationibus subacto, cuiusmodi illud erat M. Antonii. Sane Tullius in Iuliorum fratrum ignobili dedecore ponit mortem exspectasse, quum essent genere atque rebus gestis *clarissimi*; par ergo probrum Antonio obiectat, quod vir *summo imperio* praeditus sicariis Marii servilem poenam dederit. Summum autem imperium quum Tullius plus semel tribuat Quinto fratri Asiae praetori, adeoque nulla militari potestate insignito, tum potiori iure dicendus erit tribuisse Antonio viro consulari, qui Ciliciam Proconsul rexerat, atque censuram Romae exercuerat.

fabulisque discesseris, qui tamen ipse ignominiae dolore, ut ait poëta, victor insolens se victum non potuit pati, praeter Atheniensem Themistoclem, qui
se ipse morte multavit? At Graeculi quidem multa 4
fingunt; apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam ferunt se ex altissimo praecipitasse muro, non quod acerbitatis accepisset aliquid, sed ut video scriptum apud Graecos, quum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset, in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, per multa disputat, hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, quum corpori animus tanquam carcere saeptus teneretur, vitam autem esse eam, quum idem animus vinclis corporis liberatus
in eum se locum, unde esset ortus, retulisset. Num 5
igitur ista tua Sarda Pythagoram aut Platonem norat,

3. *Vt ait poëta*) Quis iste ait poëta mihi non liquet. Frustra inter Ennii fragmenta locum quaesivi.

Themistoclem) Codex *M. Themistoclem*; amanuensis pro more gentis suae perperam praenomen induxit. Legenti locum *de Cl. Oratoribus* 10, 11, patebit Tullium de morte Themistoclis dubitasse, utrum iste conatum iracundiae spontanea morte sedaverit; an, quum in Attica clam fuisset humatus, rhetores, ut aliquid dicere possent argutius, ementiti fuerint mortem generosam. Neganti enim Attico Tullius respondet *Sit sane, ut lubet, de isto.*

4. *Cleombrotum*) Erat in codice *Theombrotum Ambrociotam*. De eo ita Cicero Tuscol. I, 35; « Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, quum ei nihil accidisset adversi, e muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro. » Vide Callimachi Epigr. XXIV, Ovidium in Ibin vs. 493, Lactantium *Divin. Instit.* III, 18, Augustinum de *Civit. Dei* I, 22.

Non quod) Codex *non quo*.

Hanc esse mortem) *Ii vivunt qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt; vestra vero quae dicitur vita, mors est.* Somn. Scipion. Lege Platonis Phaedon. et Gorg.

5. *Ista tua Sarda*) Nempe Arinis uxor, cuius repentinam mortem leviter *quodam loco* suae Orationis attingens accusator (neque enim e re sua erat illam fuse disserere) narraverat *vita illam mulierem spoliari, quam pudicitia maluisse*, ut indices intelligerent de pudicitia tentatam morte se multasse. Quare Tullius post alias enumeratas repentinae mortis causas (quae pars Orationis desideratur) ad voluntariam necem necessario veniens, hanc in Sarda facit improbabilem; 1.° ex historia seu latina, seu

aut legerat? Qui tamen ipsi mortem ita laudant, ut fugere vitam vetent, atque id contra foedus fieri dicant legemque naturae. Aliam quidem causam mortis voluntariae nullam profecto iustam reperietis. Atque hoc ille vidit. Nam legit quodam loco, vita illam mu-
6 lierem spoliari, quam pudicitia maluisse. Sed refugit statim, nec de pudicitia plura dixit, veritus, credo, ne quem inridendi nobis daret et iocandi locum; constat enim illam cum deformitate summa fuisse, tum etiam senectute. Quare quae potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio?

7 Ac ne existimes, Triari, quod adferam in dicendo me fingere ipsum, et non a reo causam cognoscere, explicabo tibi quae fuerint opiniones in Sardinia de istius mulieris morte, nam fuerunt duae, quo etiam facilius . . . .

8 Te dixi libidinosam atque improbam matrem infami ac noto adulterio iamdiu diligebat is, quum hanc

graeca, quae rarissima refert exempla virorum, qui lucem perosi proiecerint animas; 2.° ex illiterato mulieris ingenio, neque enim Pythagoram aut Platonem sibi ignotos legerat, quorum scita de anima, de morte, de futura animi conditione adeo, uti Cleombrotus, incenderetur, ut vitam fugere vellet; 3.° ex causa a Platone commemorata, quae deerat. Deerat etiam illa, quam Triarius praetexebat; eaque enim in anu deformi esse potest libidinis, aut amoris suspicio?

Aliam quidem causam) nisi quam Deus dederit. Ita enim Cicero *Tusc.* I, 30: « Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare: quum vero causam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis, nae ille medius fidius vir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit; nec tamen ille vincla carceris ruperit, leges enim vetant, sed tanquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus exierit. »

8. *Te dixi libidinosam*) In postremis superioris fragmenti verbis Tullius promiserat se explicaturum, quae fuerint opiniones in Sardinia de morte uxoris Arinis; duas vero esse statuerat. Proximum ergo sequi debet hoc fragmentum, in quo duplicem opinionem exponit.

Diligebat is) Heinrichius coniicit legendum *diligebat Aris*; haud video corruptum esse locum.

suam uxorem anum, et locupletem et molestam timeret; neque eam habere in matrimonio propter foeditatem, neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compecto cum matre Bostaris consilium cepit, ut uterque Romam veniret; ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret, confirmavit.

Hic opinio fuit, ut dixi, duplex. Vna non abhor- 9
rens a statu naturaque rerum: Arinis uxorem paelicatus dolore concitatam, quum audisset Arinem cum illa sua metus et fugae simulatione Romam se contulisse, ut, quum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis iungerentur, arsisse dolore muliebri, et mori, quam id perpeti, maluisse. Altera non 10
minus verisimilis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum testem atque hospitem, Triari, tuum proficiscentem Romam negotium dedisse liberto, ut illi aniculae non ille quidem vim adferret

Compecto) Plautus in *Pseud.* I, 5, 129: *Si sumus compecti, sive consilium unquam inivimus;* quam vocem a verbo *compeciscor* derivandam esse censet Cl. Mai, atque de nefariis consiliis saepius usurpari docet Heinrichius. Affine verbum *depeciscor*, nec non *depectus* sunt apud Vlpianum, Gellium, Apuleium.

Confirmavit) Literae NFIR evanidae sunt; extrema tamen lineamenta literarum N et R deprehendi possunt.

9. *A statu*) Codex *astatunaturnaturaquaererum.*

Arinis—concitatam) Quinque haec verba laudat Priscianus ed. Putschio pag. 689, qui *pellicatus* scribit, uti recentiores amant sequuti graecum exemplar πάλλαξ. Tamen editiones Gellii IV, 3, legem Numae referentis habent PELEX. Ceterum amanuensis saepe diphthongos inscite obtrudit. In codice erat *concitata.*

Metus et fugae) Priscianus lib. VI, p. 689 ed. Putschio haec verba Scaurinae refert: *Quum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus.* Scilicet Triarius hanc speciem obduxerat romano Arinis itineri, quod, quum dare noluisset frumentum, simul timens iratum praetoris animum, clam ex Sardinia Romam fugere coactus fuisset.

Romam) Codex *Roma.*

10. *Patronae*) Codex *patrone*; quare Cl. Mai interpunxit *neque enim erat rectum, patrone*, atque adnotavit: *Nempe o patrone.* Idem tamen in prima editione dederat *patronae*, quae germana est lectio. Neque enim Orator Arinem alloquitur, sed pervul-

[neque enim erat rectum patronae] sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret, ut illa
11 perisse suspendio putaretur. Quae quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod quum agerent parentalia Norenses omnes, qui suo more ex oppido exissent, tum illa est a liberto suspendisse se dicta: discessus autem solitudo ei, qui patronam suffocabat, fuit quaerenda, illi, quae volebat mori, non
12 fuit. Confirmata autem suspicio est, quod anu mortua, libertus statim, tanquam opere confecto, Romam est profectus; Aris autem, simul ac libertus de morte uxoris nunciavit, continuo Romae matrem illam Bostaris duxit uxorem.

13 Em quibus familiis quam foedis, quam contaminatis, quam turpibus datis hanc familiam, iudices! Em quibus testibus commoti, de quo homine, de quo genere, de quo nomine sententias feratis? Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines; videtis immanes duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus haec tota apud ignaros aut invidos famata causa est; omni facinore et flagitio deformatos habetis.

gatam Sardorum opinionem iudicibus exponens vel in re tragica iocatur. Sic paulo infra *ei qui patronam suffocabat*.

Sed collum — oblideret) haec verba servaverat etiam Porphyrio ad Horatii lib. II, sat. I, vs. 56.

11. *Norenses*) Nora urbs Sardiniae notissima. Locum *quae quidem — Norenses* laudat Severianus *Synt. Rhet.* cap. *de coniectura*.

Solitudo) Codex *solitodo*. Mirum est quantis coniecturis torserint hunc locum docti duumviri Cramerus et Heinrichius decepti a prima Mediolanensi editione, quae dabat *exissent, tumulata a liberto*.

13. *Em*) Codex prima manu *EM*; tum fuit suprascriptum A, ut esset *eam*.

Datis) Heinrichius mavult *dedatis*, nec refragarer: at codex perspicue habet *datis*, nec improbabiliter. Sic pro Mil. 34, *me senatui dedissem*; vide Garatonium ad h. l. Milonianae.

Matrum) Scilicet matris in Bostarem filium, et Arinis in Sardam uxorem.

Famata) Verbum, quod barbaricum Cramero audiebat, equidem cum

Num igitur in his criminibus residet etiam aliqua 14
suspicio? Non perpurgata sunt? non refutata? non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem. Quia genus eiusmodi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret iudex ipse per se [1]. Neque vero, iudices, quid- 15
quam aliud in ignoto teste [2] facere debemus, nisi ut argumento, coniectura, suspicione, rerum ipsarum vim naturamque quaeramus. Etenim testis non modo Afer, aut Sardus sane, si ita se isti malunt nominari,

(1) Cecidit locus communis duplex, unus argumentis esse credendum, alter testibus non credendum. SCHOL. PALIMPS. AMBROS.

(2) *Quia* si notus testis est, argumentatione non opus sit. IDEM.

Heinrichio tueor, veluti antiquum, a quo composita *diffamo*, *infamo* nata sunt. Quorum criminum gratia, haec causa famam obtinuit apud ignaros facti, vel apud homines, qui invidia Scaurum prosequebantur. Sane ignari, non secus ac invidi facile fidem accusationibus adiungunt; *incognita causa, probatum illud erat multitudini.* Cicero *pro Cluent.* 47.

14. *Residet*) Codex *resit.* Cramerus reponebat *restat*: Heinrichius *residet*, quod aptius videtur. — Schützio quoque probatum. *T.*

Argumentarer) Huius vocabuli vix aliquae literae supersunt in codice. Argumentis fuit utendum. Iam quum argumentum sit *probabile inventum ad faciendam fidem* (Cicero *Orator. Partit.* 2), nequivi rem ad illum certitudinis gradum perducere, in quo nulla superesset suspicio.

Quod non totum penderet ex teste) Legendum *quod totum non penderet ex teste, h. e. quod omnino non penderet ex teste.* Idem vidi placuisse Cramero. SCHVTZ.

Ponderaret) Potest igitur testibus iudex non credere? cupidis et iratis ..... « non solum potest, sed etiam debet — Sin autem in rebus iudicandis non minimam partem ad unamquamque rem aestimandam, momentoque suo ponderandam, sapientia iudicis tenet; videte ne multo vestrae maiores gravioresque partes sint ad cogitandum, quam ad dicendum meae » pro Fonteio 6. Par est Oratoris querela *pro Caelio* 28: *Haec causa ab argumentis, a coniectura, ab iis signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota traducta est.*

15. *Ignoto teste*) *A testibus quaeretis ignotis? ipsi coniectura nihil iudicabitis?* Cicero *pro Flacco* 3.

Afer) Sardos ab Afris originem duxisse (rectius dixisset a Phoeniciis coloniis) narrat paulo infra Tullius. Heinrichius distinguendum esse censet *sane, si ita se isti malunt nominari*, quod adverbium *sane* εἰρωνικῶς dictum esse, ut saepissime, persuasum habet.

sed quivis etiam elegantior ac religiosior, impelli, deterreri, fingi, flecti potest; dominus est ipse voluntatis suae, in quo est impunita mentiendi licentia.
16 Argumentum vero quoque deest proprium rei, neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest rerum; vox est naturae vestigium, veritatis nota, id

Fingi) In intercisa membrana desideratur litera G. His paria sunt illa Orationis *pro Caelio* 9: « Equidem vos abducam a testibus, neque huius iudicii veritatem in voluntate testium collocari sinam, quae facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus, signis omni luce clarioribus crimina refellemus. » Tum *pro Flacco* 10: « Bene testem interrogavit, callide accessit, reprehendit, quo voluit abduxit, convicit, et elinguem reddidit. »

Voluntatis) « De toto genere testium, quam id sit infirmum, saepe dicendum est; et argumenta rerum esse propria; testimonia voluntatum. » Cicero *Orator. Partit.* 14.

Mentiendi licentia) Primae vocis literae TIE evanidae sunt, ita tamen, ut suspicari liceat I et E. Alterius vocis desunt literae T et A.

16. *Quoque deest*) De hac lectione, quam luculentam vidi in codice Ambrosiano, mihi dubium non est. Cl.us Mai legit *quo quid est*, absurde. Scilicet confudit vocales figura persimiles I et E; deinde haud vidit vocalem E, quae lineam claudebat. Vitiatum esse locum suspicatus Heinrichius varias coniecturas proposuit, quin veram lectionem attingeret. Hanc ego declaraturus exscribam Ciceronis doctrinam de argumentis: « *Fil.* Quibus rebus fides fit? *Pat.* Argumentis quae ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumptis. *Fil.* Quos vocas locos? *Pat.* Eos, in quibus latent argumenta. *Fil.* Quid est argumentum? *Pat.* Probabile inventum ad faciendam fidem. *Fil.* Quomodo igitur duo genera ista dividis? *Pat.* Quae sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia. *Fil.* Quid insita? *Pat.* Quae inhaerent in ipsa re. *Fil.* Testimoniorum quae sunt genera? *Pat.* Divinum, et humanum. Divinum, ut oracula..... Humanum, quod spectatur ex auctoritate, et ex voluntate. » Iam ad Scaurinae locum venio. Vim testis, quippe ignoti, atque impunita mentiendi licentia utentis, ita infirmaverat Orator, ut pronum esset colligere deesse testem. Subdit porro *Argumentum quoque deest*, quod sit *proprium rei*, nam ut verum argumentum dicatur, esse debet *proprium rei*, seu *insitum*. Quid enim est testis? Vox. Iam vox est naturae vestigium, veritatis nota, neutiquam intimus character, seu argumentum *proprium*; namque hoc probabiliter invenitur ab oratore ad faciendam fidem, tum variat in una eademque re facti: contra testimonium non fingitur ab oratore, sed sumitur; quidquid tandem testimonio dictum fuerit, immutabile manet. Quare si in hoc accusationis genere, quod ex testimoniis, seu argumentis remotis desumitur, vincerer, omnino causa caderem. Sed rem ad argumenta propria revoco. Confer locum *pro Flacco* 10.

qualecumque est, maneat immutabile necesse est; non enim fingitur ab oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis, si vincerer, succumberem et cederem, vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate. Agmen tu mihi inducas [1] Sardorum et cater- 17
vas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu [2] terrere conere: non potero equidem disputare, sed ad horum fidem et mansnetudinem confugere ad us. u .... Populi romani aequitatem, qui hanc familiam in hac urbe principem voluit esse; Deorum immortalium numen implorare potero, qui semper exstiterunt huic generi nominique fautores.

Poposcit, imperavit, eripuit, coëgit. Si docet ta- 18
bulis, quoniam habet seriem quandam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam acriter, et quid in defendendo mihi agendum sit videbo. Si denique nitere testibus, non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo, quemadmodum mihi cum quoque sit confligendum considerabo. Sin unus 19

(1) Ex multitudine tollit fidem. SCHOL. AMBROS.
(2) Absurdus enim .... u dici ne ..., et bene: fremitu enim verba funduut. ID.

17. *Agmen*) Lege licebat centum et viginti hominibus denuntiare testimonium: totidem vero usum esse Triarium innuit Valerius Maximus VIII, I, 10.

Confugere) Cl.us Mai legebat *confugiam — aequitatem*. Ego vero in membrana vestigia infinitivi *confugere*, atque literas *PR* deprehendere videbar; praepositionem *ad* ex ingenio supplevi. Scauri pater summus Vrbis vir (Cicer. *pro Fonteio* 13), cuius *nutu prope terrarum orbis regebatur* (ib. 7), dictus fuit princeps senatus, uti Asconius in argumento huius orationis tradit.

Vrbe) Cl.us Mai quum legisset *rre*, supplevit *ferre*; equidem insignes vidi has voces in membrana.

18. *Poposcit*) Dare frumentum, quae sunt accusatoris verba.

Attendam) Ita legeram in Ambrosiano quod confirmat Taurinensis, atque Heinrichius reponendum esse coniecerat. Cl.us Mai *contendam*.

Defendendo) Ita luculenter Ambrosianus, atque Taurinensis. Cl.us Mai *offendendo*.

Sit confligendum) Ambrosianus *confligendum sit*.

color, una vox, una natio est omnium testium, si quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne literarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur, quo me vertam, iudices, aut quid agam? Cum singulis disputem? Quid? Non habuisti quod dares? habuisse se dicet. Quis id sciet? quis iudicabit non fuisse causam? finget fuisse. Qui refellemus potuisse non dare, si noluisset? vi ereptum esse dicet. Quae potest eloquentia disputando ignoti hominis impndentiam confutare? Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione, et cum expresso coacto sollicitatoque periurio subtiliter, neque acu quaedam enucleata argumenta conquiram; sed contra impetum istorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unus mihi quisque ex illorum acie pro-

19. *Natio 'st*) De pari synaloepha *difficile 'st* multa erudite disputans Cl. Niebuhr (*Cicer. Orat. fragmento* pag. 60) ait simile exemplum *ne ex antiquissimis quidem schedis Mediolanensibus* afferri. Iam affertur ex Mediolanensibus, et Taurinensibus.

Non habuisti quod dares? Iam fugit Orator *se* cum uno alterove teste disputare. Non habuisti frumentum quod dares Scauro reposcenti? et cetera, quae recte constituta exhibet Taurinensis. In editione Mediolanensi tempora erant turbata *dicit*, *sciet*, *iudicavit*, *fingit*, *diceret*. Recogitanti vero tantam esse figurae affinitatem inter vocales I et E, ut facile fucum legenti faciant; tum B et V non figura tantum, sed sono plus millies permutari in codicibus saeculo decimo anterioribus; tandem schedas Ambrosianas exhibere *dicet*, neutiquam vero *diceret*, apparebit Ambrosianum cum Taurinensi consentire. Erravit tamen Ambrosianus in verbis *quis id iudicavit*, perperam alterum *id* inferciens ex superiore linea traductum; erravit quoque Cl.us Mai legens *quem refellemus — noluisse — ut ereptum*, nam sine ulla dubitatione vidi *qui refellemus — noluisset — vi ereptum*. Ipse etiam exscripsi *se noluisset*, quum forsan codex habeat *si*.

Non habuisti quod dares) Puto agere Ciceronem de frumento quod iniusta exegisse in Sardinia Scaurus arguebatur. Mai. Scilicet hic Cicero loquitur cum testibus contra Scaurum. Schutz.

20. *Periurio*) Testium a Triario productorum, qui, antequam solemne *Arbitror* pronuntiarent, iureiurando fuerant adacti.

Impetum istorum) Ambrosianus *impetum istum illorum*, quod orationis impetum frangit.

Vnus mihi quisque) Ambrosianus

trahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum: tota est acies illa uno impetu prosternenda [1].

21 Est enim unum maximum totius Sardiniae frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogavit; quod genus uno testimonii foedere et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, iudices, ut me totius nostrae defensionis quasi quaedam fundamenta iacere patiamini; quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert, posita et constituta, nullam accusationis partem

(1) Hoc dicit quum sint impudentissimi testes, non debere singulis respondere, sed universis simul. Schol.

unus quisque mihi. Lectio Taurinensis longum taedium notat Oratori atque iudicibus devorandum, si testes singillatim protraherentur.

21. *Totius Sardiniae*) Non significat crimen, quo tota Sardinia reum arguat, sed quod sit maximum criminum cunctorum, quae in Sardinia, frumentaria provincia, perpetrari possint. Heinr.

Totius Sardiniae frumentarium crimen) Hinc prorsus apparet, hanc Scauri causam partim saltem fuisse frumentariam; quod nondum liquebat. Nam Asconius in argumento edito tantum dicit: «*Ex praetura Scaurus provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter.* Liber tertius Ciceronis in Verrem totus est de re frumentaria in Sicilia. In quibus igitur capitibus Tullius Verrem toto eo libro pro Siculis accusavit, in iisdem eum hac oratione Scaurum contra Sardos defendisse puto. Et bene paulo infra haec causa Sardiniensis a Cicerone comparatur cum Sicula, siquidem idem Tullius oratione pro lege Manilia c. 12, Sardiniam et Siciliam inter frumentaria subsidia reipubl. numerat. Iam praefecti rei frumentariae dicebantur, quibus cura erat conquirendi in provinciis frumenti, quod in horrea publica conveheretur: quod munus quantis criminibus esset obnoxium facile patet. De frumento decumano, empto, et aestimato, deque fraudibus in his exactorum vide iam laudatum lib. III orat. in Verrem. Mai.

Uno testimonii) Taurinensis *unum*. In Ambrosiano vix supersunt vestigia literae N.

Peto a vobis) Taurinensis *petavobis*.

Fundamenta iacere) Ambrosianus *iacere fundamenta*.

Posita) Cum Taurinensi consentit Ambrosianus, quamvis Cl.us Mai ediderit *postea nec constituta illam accusationis*. Inde illae coniecturae, quibus Cramerus, Heinrichius, et Schütz. depravatum locum emendare

22 pertimescam. Dicam enim primum [1] de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro: quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidulosum frumentarium crimen accedam.

23 Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum, ut inquisitum non ieris, quae fuit ista tam ferox, tam explorata huius opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor L. Aelium libertinum hominem,

(1) Propositio. In.

satagebant. — Schützius quidem hoc modo: *quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert, constituta, postea nec illam accusationis partem pertimescam.*

22. *Formidulosum*) Sic uterque codex.

23. *Quod est*) Ambrosianus *quodecst*.

Triari genus) Taurinensis *Triarii* casu genitivo, sed improbabili.

Inquisitum non ieris) Reprehendit Cicero Triarium accusatorem, qui damnari Scaurum vellet, licet in Sardiniam ad inquirendum non ivisset. Quod de eodem Triario narrat etiam Asconius in Argumento. Mai.

Ferox — fiducia) Taurinensis *ferax — fidicia*.

Laelium) Ambrosianus, edente Cl.° Mai *Vaelium* habet; mihi tamen vocalis A dubia videbatur. Contra Taurinensis insignem habet *Laelium*, quod nomen *L. Aelium* quoque legi potest. De Vaelio haec adnotabat Cl.us Mai = Lucem aliquam affert huic loco Cicero ipse in fragmentis orationis *pro Fundanio* quum ait: *Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest.* Nec non Horatius lib. I, sat. 2, v. 64 et seq. *Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno Nomine deceptus poenas dedit* etc. *Huic si Mutonis verbis mala tanta videntis Diceret haec animus* etc. Mihi enim *Muto* in loco Horatiano videtur nomen viri, quidquid ibi contra dicant Acro et Porphyrio, quos recentiores interpretes gregatim sequuntur = Hucusque Vir Cl. Allata Ciceronis et Horatii loca innuunt Villium libidinosum hominem infelicem fuisse Faustae amatorem; dubitari autem iure potest, utrum esset libertinus. Iam si cum Taurinensi legas *L. Aelium*, nomen cum epithetis ipsis recte cohaeret. Nam L. Aelius eques romanus fuit *eruditissimus et Graecis literis et Latinis*, Romanae antiquitatis scriptorumque veterum peritissimus; scripsit orationes, Varronem habuit discipulum, eumque Cicero adolescens audire perstudiose solebat: lege Cicer. *Brut.* 56. Sane habuit servos. Suspicor vero horum unum ceteris ingenio praestasse, operamque suam in re literaria probasse patrono; atque adeo manumissum, ut mos erat libertorum, ad patroni praenomen et nomen dictum fuisse L. Aelium. En libertinum literatum, quem viderat Tullius adolescens. Contra praeplacent quae Cl.us Mai de Q. Mutone disputat. Huic a

literatum ac facetum, quum ulcisceretur patroni iniurias, nomen Titi Q. Muttonis hominis sordidissimi detulisse: a quo quum quaereretur, quam provinciam, aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro bovario inquireret, postulavit. Hoc 24
tu idem tibi in M. Aemilio Scauro putasti esse faciendum. Delata enim, inquit, causa ad me Romae est. Quid? ad me? Siculi nonne Romam causam Siciliae detulerunt? Atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi; tamen ego mihi provinciae causam in provinciam ipsam cognoscendam et discen-

sordidissima libidine agnomen seu cognomen *Muttonis* vel *Mutonis* factum fuisse persuadet codex Taurinensis scribens *Titi Q. Muttonis.* Eumdem furem etiam audivisse colligo ex his Lucilii verbis *et Mutonis manumperscribereposse tagacem;* vide Festum Pompeium ad v. *tagax.*

Ac facetum) Desunt haec in Ambrosiano. Rem facetam ita illustrat Heinrichius = Nomine delato, Praetor dabat *inquisitionem*, id est, ut olim in foro dicebant, permissionem informaodi; et hic noster accusator Mutonis, quum facta in provinciis crimina detulisset, tamen parum definite, in qua provincia deberet potissimum fieri inquisitio, significarat. Ex accusatore igitur quaerebat Quaesitor, *quam provinciam* peteret ad inquirendum, aut, si profectione forte non opus esset, *quam diem testium*, qua praesentes testes exhibere interrogarique vellet — Iam ille reum contemnens, rogat ioco acerbo, non provinciam, sed *forum boarium*, nec praefinitam diem testium, sed illius diei *horam octavam*, quum, peractis solito tempore diurnis negotiis, posset lustrare forum boarium: ibi inter bubulcos et de sordida plebe circumforaneos facile inventurum se esse, quos dignos Mutone eiusque facinorum conscios proferret. Notat Orator accusatorem *libertinum hominem* propter impudentiam talis apud Praetorem convicii. De *hora octava* conf. Horat. I, Epist. 7, 47, et Martial. IV, 8, 4.

Quaereretur) Ambrosianus *quaeretur.*

Postularet) Taurinensis *postulare.*

24. *M. Aemilio*) Ambrosianus *Aemilio.*

Ad me Romae) Verba *ad me* absunt a Taurinensi.

Romam) Ambrosianus *Romae.*

Atqui homines) Cl. Mai *Adque hominis prudentis*, rectius vero in prima editione scripserat *atqui.* Sane Ambrosianus habet *adqui homines prudentes prudent's*; sed alterum *prudentes* reiiculum est. Taurinensis *usuodoctrina*, vocali O perperam insita.

Provinciam ipsam) Sic uterque codex. Cl. Mai *provincia ipsa.* Orator exemplum suae inquisitionis in causa Verris oppositurus levitati Triarii narrat se inquisiturum maleficia Verris in Siciliam navigasse.

25 dam putavi. An ego querelas atque iniurias aratorum non in segetibus ipsis arvisque cognoscerem? Peragravi, inquam, Triari, durissima quidem hieme, valles Agrigentinorum atque colles. Campus ille nobilissimus ac feracissimus ipse me causam paene docuit Leontinus; adii casas aratorum; a stiva ipsa homines
26 mecum conloquebantur. Itaque sic fuit illa expressa causa, non ut audire ea quae dicebam indices, sed ut cernere et paene tangere viderentur. Neque enim mihi probabile, neque verum videbatur, me, quum fidelissimae atque antiquissimae provinciae patrocinium recepissem, causam tanquam unius clientis in cubiculo meo discere.

27 Ego nuper quum Reatini, qui essent in fide mea,

Et discendam) Desiderantur in Ambrosiano.

Paragravi) *Ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque litaras iniuriosque cognoscerem* in Verr. Act. I, 2: postulaverat autem centum et decem dies, vide ib. Act. II, lib. I, 11.

Valles) Codex *vallis* — *aq. collis.*

Leontinus) Haec ita laudat Rufinianus n. XXXVIII: « Apud Tullium: Campus ipse me causam paene docuit Leontinus. » Atque Fortunatianus Art. Rhet. III, p. 91: *ipse me causam campus paene docuit Leontinus.* Lege Ruhukenium ad Rufinianum. Ipse Cicero sic in Verr. Act. II, lib. III, 48: *Meae diligentiae pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adiuverunt.*

Adii) Codex *odoii.* Locus corrupte servatus est in Frontonis exempl. elocut. p. 492 litt. A ed. Mediol.: *Adii causas oratorum.*

A stiva) Locum servaverat Servius ad Georg. I, 174 his verbis *ob stiva ipso mecum homines conloquebantur;* de quo ita recte auguratus fuerat cl. Niebuhr p. 31: « in lacuna quae inter 3 et 4 sectionem patet, ea olim locum habebant verba quae Servius attulit: *ab ipso stiva homines mecum colloquebantur;* aratores scilicet a Verre eversi. »

Expresso) « Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi Romani interesse videantur » in Verr. act. I, n. 16.

Fidelissimae) De antiquitate et fidelitate Siciliae copiose dixerat Cicero in Verr. Act. II, lib. II, n. 1; Act. II, lib. III, n. 26, et postremo.

Reatini) « His rebus actis, Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos; quod lacus Velinus a M. Curio emissus, interciso

me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me, neque dignitati praefecturae gravissimae, neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuissent.

Neque tu aliter fecisses, Triari, si te id tui isti 28
Sardi facere voluissent, hi qui te in Sardiniam minime venire voluerunt, ne longe aliter omnia atque erant ad te delata cognosceres: nullam multitudinis in Sardinia querelam, nullum in Scauro odium popu*li*. . .

. . . .

. . .litu Aetnam ardere dicunt, sic Verrem obruissem, 29
Sicilia teste tota. Tu comperendinasti eum, teste pro-

monte, in Narem defluit» epist. ad Attic. IV, 15. Quam causam *nuper* egerat apud Ap. Claudium Pulchrum consulem eodem anno V. C. 699. Lege etiam Varronem de Re rust. III, 2,

Cognosceres) Patet itaque Triarium nunquam in Sardinia querelas Sardorum cognovisse, sed ab iis, qui forte Romae commorabantur; quae erat opinio Crameri. Quare corruit Triarii in Sardiniam profectio, antequam praetor daret inquisitionis tempus; quod Heinrichius excogitaverat.

Aetnam) Comparare Tullium suam cum Verre contentionem cum Aetnae eruptione pronum est, et quemadmodum ille Cyclopum fabrica totas urbes obruerit arena, ita se Verrem tota Sicilia teste obruisse. Cram.

Sic Verrem obruissem — producto) In cod. MS. legitur corrupte *sic Verrem operuissem Sicilia teste tota tua Coperendinastium teste producto*; veram lectionem restituit Heinrichius Schvtz.

Tu comperendinasti eum) Codex *totatuocoperendinastiumteste*. Cl. Mai emendat *comperendinantium*; Cramerus *tota; tu uno comperendinatione teste producto*; Heinrichius, probante Schützio, *sic Verrem obruissem Sicilia teste tota; at tu comperendinasti uno teste producto*. Me vero male habet duplex *at* intro breve spatium recurrens; quare scripsi *tu comperendinasti eum teste producto*. Accusationis genus expendens Orator redarguit Triarium 1.° quod in Sardiniam inquisitum non iverit, contra ac ipse fecerat in causa Siciliae et Reatinorum; 2.° quod primam actionem ita subdole instituerat, ut causa comperendinata post habita comitia consularia disputaretur. Nam III Kal. Quint. (Asconius in Argumento) Scaurus Romam rediit ad consulatus petitionem; coepit ergo invisere, prensare amicos, potentes adulari, corrogare suffragia; quod ut senserunt competitores, dicam ei per Triarium inferendam curarunt; hic nomen ad

ducto. At quo teste, Dii immortales! non satis quod uno, non quod ignoto, non quod levi. Etiamne Valerio teste primam actionem confecisti, qui patris tui beneficio civitate donatus gratiam tibi non inlustribus officiis, sed manifesto periurio retulit? Quod [1] si te omen nominis vestri forte duxit, nos tamen id more maiorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista cele-

(1) Apud antiquos omnino . . . . *mos fuit*, ut etiam ex nominibus sumerentur auspicia. Vnde apud eos consul factus si coepisset colligere milites et novum sibi exercitum scribere, laborabat ut haec duo nomina prima induceret: et si non fuissent his nominibus homines, fingebantur. Necesse enim erat, ut haec nomina prima essent in exercitu propter omen, Valerius, et Statorius. Ex Valerii autem nomine hoc omen trahebatur, ut valeret exercitus; ex Statori, ut staret. Dicit Cicero: forte tu ideo primum testem induxisti illum propter omen, ut valeret accusator. Et quoniam hoc nomen faustum semper a maioribus putatum, ad salutem magis debere valere, non ad perniciem. Schol.

praetorem detulit; praetor inquisitionem dedit dierum triginta. Dum ista transigebantur, ventum erat, uti conieio, ad idus Quintiles, iamque post dies quindecim imminebant consularia comitia. Triarius porro metuebat, ne, si ipse usus triginta diebus in Sardiniam se conferret, Scaurus ea pecunia, quam a sociis abstulerat, emeret consulatum, atque magistratum iniret, antequam de eo iudicari posset (Asconius in Argumento), quod a Scauri patre factum esse recens memoria exstabat. Quid ergo? Sustulit inquisitionem, professus se Romae causam omnem facile cognoscere, quin illam in Sardinia disceret. Tum pridie, quam comitia consularia celebrarentur, Triarius defuncturus prima actione, testem unum produxit Valerium, ignotum ac levem, civitate donatum a patre Triarii, atque, uti mea fert sententia, Sardum; satis, ut appareret, se non verum iudicium instituere voluisse, obruisset enim reum multis testibus, uti Cicero Verrem in prima actione obruerat Sicilia teste tota. Valerio producto, primam actionem sustulit Triarius. Quod, qua ratione effecerit, perspectum non habeo; fortasse accusationem non dixit, quae erat longa ac perpetua oratio; vel partem tantum recitavit, causatus maiora, quae diceret, se habere, sed non in promptu; certe usus lege Glaucia reum comperendinavit, quin iudices sententiam ferrent. Sed quum comitia prorogarentur, accusationem tandem recitavit IV non. septembris.

Nominis vestri) Lege Scholium Ambrosianum, atque adde Tullium ideo scripsisse *vestri*, quia *Valerii* nomine appellabatur quum testis, tum accusator P. Valerius Triarius.

ritas ac festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem totam sustulisti, illud patefecit et inlustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc iudicium iudicii, sed comitiorum consularium causa comparatum.

31 Hic ego Appium Claudium consulem fortissimum, atque ornatissimum virum, mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque coniunctum, nullo loco, iudices, vituperabo. Fuerant enim eae partes, aut eius, quem, quum id facere doleret, suspicio sua coëgit, aut eius, qui has sibi partes depoposcit, quod aut non animadvertebat quem violaret, aut facilem sibi fore in gratiam reditum arbitrabatur. Ego tantum 32 dicam quod et causae satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse. Quid enim habet turpitudinis Appium Claudium M. Scauro esse inimicum? Quid? avus eius P. Africano non fuit? quid mihi ipsi

31. *Coniunctum*) Hoc ipso anno V. C. 699 Cicero ad Lentulum scribebat: *Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Caesare et cum Appio esse in gratia*, ad famil. I, 9. Et ad Quintum fr. II, 12: *De Comageno rege ... mihi et per se, et per Pomponium blanditur Appius.* Hic itaque annus finem dedit simultatibus cum Appio, quae P. Clodii causa susceptae, ad multos annos fuerant productae. Nam anno 702 haec Tullius in Epistola ad Appium (ad fam. III, 1) scribebat: « Perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia, et celebritate, et magnitudine officiorum meorum sarciam. » Sed amicitia refrixit anno 702, quo Tullius in provincia Ciliciae proconsul successurus erat in locum Appii; eo spectant pleraeque epistolae libri tertii ad famil. Sed haec triennio post Scaurinam orationem contigerunt.

Doleret) Cl. Mai edidit *dolor et suspicio sua*. Equidem deprehendi hanc luculentam lectionem *doleret suspicio sua*; atque ex ingenio supplevi *quom* ob affinem *quem* facile a librario praetermissum. Eo vero libentius hanc lectionem amplector, quo magis comparata est ad simultates Appii excusandas; illas enim gerere dolebat, quare non ex animo susceperat, sed ex suspicione sola.

Aut non animadvertebat) Taurinensis *aut animadvertebat.*

In gratiam reditum) Taurinensis *reditum in gratia.*

32. *Avos*) Sic uterque codex pro *avus.* — Ipsa porro res ex historia satis patescit. Appii enim Claudii, de quo in hac oratione sermo fit,

idem iste? quid ego illi? quae inimicitiae dolorem utrique nostrum fortasse aliquando, dedecus vero
33 certe nunquam attulerunt. Successòri decessor invidit, et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excelleret: res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiam num et valde pervagata. Neque vero tam haec ipsa quotidiana res Appium Claudium illa humanitate et sapientia praeditum per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudii

avus aut proavus Appius ille Claudius est, qui consulatum anno Vrbis DCXI gessit, et Salassos gentem alpinam domuit. Is antem Appius competitor fuit P. Africani miuoris in censura, quam hic, repulso Appio, admiuistravit anno DCXII. Convicium Appii competitoris in Africanum refert Plutarchus in Aemilio Paulo sub finem, nec non in *praeceptis gerendae reip.* ed. Paris. 1624, t. II, p. 810. MAI.

Quid? an Appius Africano non fuit?) Corruptam lectionem in ipso codice dubiam probabiliter sic emendat Heinrichius: *Quid? an Gracchus Africano non fuit.* Nimirum ut intelligatur. *Ti. Gracchus* pater *Ti.* et *C. Gracchorum.* SCH.

Mihi ipsi) Cl. Mai legit *ipse.* Equidem vidi *ipsi* in Ambrosiano, cui suffragatur Taurinensis.

Successori) Sic Taurinensis; Ambrosianus *successum.* Scauro successionem in consulatu petenti iuvidit decessor Appius; atque adeo voluit illum esse maxime offensum, quo magis ipsius (Appii) memoria excelleret. Enimvero successor, adepto consulatu, ulturus inimicitias decessoris solebat ei dicam aliquam impingere, maxime in assignanda proconsulari provincia: hanc vero si non impegisset, eo magis excellebat memoria decessoris, utpote viri incolpati. Ingeniose simul, simulque cum exquisita in Appium adulatione haec esse dicta quisque videt.

Et voluit) Copula *et* abest a Taurinensi.

Memoria excelleret) Sic Taurinensis; at Ambrosianus perperam *memoriam lacesseret.*

Etiam et valde pervagata) Ambrosianus *etiamnum et vulgata.* Vtraque lectio a Cicerone profecta videtur; nostra diligentior. Ita pro Planc. 19 optimus codex Bavaricus, aliique libri *pervagata declamatione* legunt pro eo quod est in vulgaribus editionibus *pervulgata declamatione.*

Neque vero — fore putabat) Haec servaverat etiam Asconius in commentario legens: *Neque vero haec ipsa quotidiana — nisi hunc Claudii — certum constitutum erat, cum illo.*

Tum) Taurinensis *tamen.*

C. Claudii fratris sui) Ecce praeter binos, quos adhuc e vetustate novimus, Claudios, Appium hoc ipso anno consulem, et Publium Ciceronis inimicum, iam tertium fratrem certo tenemus Caium, tum quidem in Asia pro praetore morantem .... quem quidem Cicero invidiae causa aut dicit, aut fingit, quemadmodum alter frater, ad plebem transitum cogitasse, vere

fratris sui competitorem fore putasset. Qui sive pa- 34

transiisse non dicit, quod nescio an recte dixerit Scholiastes. Cram. Iam iste Caius innotescebat ex argumento Asconii ad Milonianam.

Competitorem) Praestat universam historiam comitiorum consularium anni V. C. 699 exponere, ut sequens locus de Appio Claudio superioribus adnotatoribus non bene compertus illustretur.

Consulatum affectabant Messala et Scaurus patricii, Domitius et Memmius plebeii (ad Attic. IV, 17). Messalae favebant Cicero atque Caesar (ad Quintum fr. III, 3 et 8). Scauro studebat Pompeius, sed utrum fronte an mente dubitabatur (ad Attic. IV, 15); res tandem perspicua constavit, quum Pompeius illum abiecit (ad Quint. fr. III, 8); habebat tamen aedilitas eius memoriam non ingratam, eratque pondus apud rusticos in memoria patris Principis Senatus (ad Attic. IV, 17). Domitius valebat amicis (ibid.). Memmius commendabatur Caesaris militibus, et Gallia transpadana (ibid.); multam etiam spem habebat in Caesare mox venturo, sed frustra (ad Quint. fr. III, 2 et 8). Ἐξοχὴ in nullo erat, pecunia enim omnium dignitatem exaequabat (ad Attic. IV, 15). Ambitus vero adeo ardebat, ut nunquam fuerit par, et foenus ex triente ibid. Quintil. fuerit bessibus (ad Quint. fr. II, 15; ad Attic. IV, 15). Uberior quidem erat liberalitas Scauri populo tributim domi suae satisfacientis; gratior tamen videbatur largitio aliorum candidatorum, qui occupaverant (ad Attic. IV, 16). Tantam porro competitorum contentionem ineunte mense Quintili coeptam haud otiosi spectabant consules Appius et Ahenobarbus, qui provincias consulares non sortiri volebant lege curiata, sed quam quisque maxime optabat illam obtinere. Appius enim in sermonibus primum dictitabat, postea dixit etiam in Senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, atque Lentulo in Ciliciae provincia successurum (ad Famil. I, 9). Quare exeunte mense septembri cogitabat sine lege curiata, suo sumptu in Ciliciam se conferre (ad Attic. IV, 16), quam provinciam sibi exoptatissimam demum habuit post comitia. Quid ergo consules? Coitione facta cum Memmio et Domitio pactionem ineunt, uti ambo HS quadragena consulibus darent, si essent ipsi consules facti; nisi tres Augures dedissent, qui se affuisse dicerent, quum lex curiata ferretur, quae lata non esset; et duo consulares qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, quum omnino ne senatus quidem fuisset (ad Attic. IV, 18). Suam ergo gratiam et auctoritatem Appius pro Cilicia cum Memmio et Domitio pactus, fieri haud poterat, quin inimicitiam Messalae et Scauro indiceret, quos a consulatu submovendos per fas et nefas satageret. Quid enim? Appium illum, qui, pactione iniquissima bonis omnibus et Ciceroni (ad Quint. fr. III, 1) exosa, leges non latas ementiebatur, senatus consulta nuspiam scripta fingebat, corrumpebat porro augures et consulares viros, ut consulatum venderet, non censebimus, inquam, Appium illum extremas quasque tentasse vias vel iniquissimas, dummodo ne Scaurus nobilitate praestans et patris memoria consulatum adipisceretur?

Tentavit enimvero; atque, Memmio et Domitio conspirantibus, dicam Scauro per Triarium inferendam curavit. Curasse equidem coniicio; at Triorii accusationem consilio suo texisse, auctoritate confirmasse, omnique ope tutatum esse non augnror coniectura, sed declarat sequens Scauriuae locus. Inquisitionem et primam actionem unico teste confectam sustulit maxima celeritate Triarius, compereudinavit reum, comperendinationem ad IV nonas septembris prorogavit, inusitato accusationis genere et subdulo est usus. Equidem universa haec artificia auctoritate consulis composita et perfecta existimo comitiorum gratia. Merito itaque Tullius de accusationis genere comitiorum causa suscepto disputans mentionem iniicit Appii Claudii. Iam ad candidatos redeo. Appii pactio moture iunotoit Ciceroni, de illa enim sic ad Atticom IV, 15 scribebat aote diem V Kal. Sextil.: « Cum eo (Memmio) Domitium consules iunxerunt: qua pactione, epistolae committere non audeo ». Scilicet Cicero simul pertimescens Appii potentiam atque amicos, simulque se illi maxime probare studens, timebat, ne, si epistola in alienas manus forte incidens significaretur Appio, consulis odium vix restinctum iterum incenderet. Eumdem etiam Ciceronis animum erga Appium declarant epistolae libri tertii ad Familiares; hominem enim produnt, qui malebat superbum pati ingenium Appii aegre novo proconsuli provinciam tradentis, congressum studiose vitantis, iniquissimas querelas adhibentis, multa iunovantis, quam uti verbo paulo duriusculo in Appium. Quae quum ita siot, nune censebimus Ciceronem patrocinaturum causam M. Scauri voluisse unquam Appii pactionem iudicibus revelare, ut inimicitiarum causa facilius patesceret? *Hic ego*, inquit, *Appium Claudium — nullo loco, iudices, vituperabo — Ego tantum dicam quod et causae satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse.* Nempe possem equidem Appio obiicere coitionem cum Memmio et Domitio factam, possem pactiones turpissimas retegere, unde omnis Appii in Scaurum inimicitia dimanat; sed nolo quidpiam durom aut asperum in consulem dicere. Illum nullo loco vituperabo, quamvis vituperationi amplissimus patcat locus; dicam tantum quod causae satis esse possit. Iam causae facturus satis quodnam artificium excogitavit Tullius? Vtrumque cavere studens, tum ne Appii inimicitia ubesset causae clientis, tum ne, revelato pactione, omicitiam vix redintegratam rumperet; excogitavit verisimilem hauc de Caio consulatum petente historiam, ita ut Caii nomine innueret Memmium et Domitium. Verisimilem, inquam, non veram. Ciceroni enim res illorum comitiorum diligentissime exponenti in multis epistolis (ad Attic. IV, 15, 16, 17, 18; ad Quint. fr. II, 15, 16; III, 1, 2, 3, 8) uuspiam Caius commemoratus est, eiusque nomen ita reticent scriptores universi, ut vix inuotescat. Quid plura? Haec sibi obiicit Tullius *at enim frater iam non petit.* Cuustabat enim inter omnes Caium Romae non esse, in sua Asiae provincia versari, nullas largitiones eius nomine fieri, Appium fratrem, quo maxime valere poterat, aliis candidatis studere. Quam obiectionem ut dilueret, figmentis figmenta cumulans, ait Caium a tota Asia supplice retentum, commoda provinciae honori suo anteposuisse. Quantam animi magnitudinem! quam incredibilem! Ratum itaque habeo Cicero-

tricius [1], sive plebeius esset, nondum enim certum

(1) *Centum Senatores creavit Romulus, mox totidem adlegit:* postea Tarquinius Priscus addidit alios centum *eosque* conscripsit. Eone vocabulo conscriptis patribus dicti sunt conscripti? Post placuit populo addi familias plebeias ad senatum, et facti sunt senatores plebei. Tria sunt ergo genera, quae venerunt ad senatum: primum patrum genus, secundum conscriptorum genus, tertium plebeium. Sed conscriptorum et patriciorum unum est meritum. Non licebat patricium petere tribuniciam potestatem, sed si plebeius esset, petebat. Patricius senator fuerat Clodius *qui pepulit* in exsilium Ciceronem. Isti Claudii tres erant senatores fratres; unus qui modo consul est, alius qui Asiam tenebat praetorio imperio, tertius ille Claudius, qui se de patricio plebeium fecerat. Pontifices non fiebant, nisi de patriciis. Certi pontifices in saliatu mensam, et in ceteris quibusdam sacerdotiis, quae solent administrare patricii, ubi administrassent haec sacerdotia, fiebant consules. Lex erat autem (favens) colonis, ut unus fieret de patriciis, alius de plebeis. Lex etiam erat, ut liceret duos plebeios ... nem narrasse verisimilem historiam, quae ad clientis causam patrocinandam par momentum habebat, seu, ut aius utar verbis, causae satis esse poterat. Declarabat enim, quod verissimum erat, Appium aliis candidatis fraterno plane amore studere; hos vero quippe plebeios anteferri non posse Scauro nobili viro, nisi iste aliquo aut metu aut infamia percelleretur; quare universam Appii inimicitiam cum Scauro comitiorum gratia susceptam esse. Quae si vera sunt, uti verissima equidem propono ingenti animi confidentia, qua voce credemus Tullium pronuntiasse, quo gestu ornasse illa verba: *Ego tantum dicam quod et causae satis, et in illum minime durum aut asperum possit esse;* tum alia *de quo plura iam non dicam; quamquam ea quae dixi non secus dixi, quam si eius frater essem.*

Nondum enim) Ita Taurinensis et Asconius; Ambrosianus *non enim.* Mordat P. Clodium, qui, ut tribunus plebis crearetur, e patriciis exierat in gentem Fonteiam per adoptionem. Iam vero quamvis consulatus fuisset plebeiis communicatus lege Licinia, patricii tamen plebi praestabant, quia illum *nobilitas inter se per manus tradebat* Sallust. Iug. 63. Caius itaque sive patricius esset ob generis vetustatem, sive plebeius ob fratrem Clodium, putabat sibi cum hoc Scauro contentionem fore; Appios vero putabat *hoc* Caio Scaurum *maiorem etiam*, meminerat enim patricium fuisse in Pontificatus petitione, Saliatu, ceterisque. At Caius ne patricius esse desierat, quia Clodius frater ad plebem migraverat? Nam Appiorum gens Scaurinae genti cedebat quum generis antiquitate, tum meritis maiorum? Tullius ergo haec de genere patricio disputans, revera innuebat Memmium et Domitium plebeios homines, quibus adeo gravis erat competitoris Scauri nobilitas, ut necessarium foret hunc percellere metu, aut infamia, qua ab insita nobilitatis commendatione deiiceretur.

Certum) Ita indubie; quod adverbii instar occurrit etiam apud Horatium Serm. L. II, 6, 27, *quod mi obsit clare certumque locuto.*

constituerat, cum hoc sibi contentionem fore putabat; ' Appius autem hoc maiorem etiam, quod illum in Pontificatus petitione, in Saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. Quamobrem, se consule, neque repelli fratrem volebat, neque ipse si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc aliquo aut metu aut infamia perculisset. Ego id fratri in honore fratris amplissimo non concedendum putem? praesertim quum quid amor fraternus valeat paene praeter ceteros sentiam? At enim frater iam non petit.

beios esse, non liceret duos patricios. Ergo necesse fuerat (ut) unos fieret plebeius, unus patricius. Priores quidem coosules fiebaot plebei, sed pat icius administrabat in(fi)nita sacedutia, seroqua perveniebat ad consulatum. Coutra plebeius cito veniebat. Sed melioris loci est patricios consal, quam plebeius. Scaurus (antea pa)tricius fuerat . . . Claudius, qui frater est Claudi cousalis, aeque patricius fuit. Ambo patriciis e *familiis migraveraut* . . . ant ad m . . orare qui patricil erant. Clodius nondum . . . . (aude)bat competere . . . . eruam putabat C. Claudio ul perven . . . .adhuc ad consolatus petitionem de gradu patricio. Scauro autem . . . . erant . . . os . . . mo . . . Claodi . . . patricius esset an plebeius si . . bat, nec sciebat quid . . . . nam si pec . . . . bat . . . . patricius el melior erat . . . . o gradu petere cousulatum non poterat . . . at inveniebat ante se Scaurum. Ideu vo*l*ebat accusationem intendere Marco Scauro, quod ei nou poterat competere aut quasi patricius aut quasi plebeius. (Id. *minutis sed quadratis literis.*) Quod scholium adeo est obliteratum, et superinductione scripturae alterius obrutum, ut Clus Mai integrom haud potuerit describere. Peyr.

(1) Fuerunt enim duae Claudiae familiae: earum, quae Marcellorum appellata est, plebeia: quae Pulchrorum, patricia. Sed hoc loco urbane Cicero lusit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat. Nam quia Caius P. Clodii erat frater, qui ex patricia in plebeiam familiam transierat per summam infamiam, se quoque dubitare adhuc dixit. Asc. Vulgatus autem textus habebat *Nam quia is* P.; ambrosianorum vero Codicum, monente Clo Mai, alter legebat *Namque is in P.*; alter *nam quis is P.* Iam Heinrichius adnotaverat pronomen *is* pertinere ad Caium fratrem. Clus vero Mai emendaverat *C. Claudius*; equidem scripsi *Caius*. Appius ipse, praeter duas sorores, *duos fratres* testatur sibi esse apud Varronem *de Re Rust.* III, 16, 2.

Sibi contentionem) Ita Tauriocnsis et Asconius. Ambrosianus ex superiore linea adsciscens incommodum *certum* habet *sibi certum contentionem.*

Qum) Ambrosianus *qui.*

Quid tum? si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus sociis, civibus exoratus anteposuit honori suo commoda salutemque provinciae, propterea putas semel exulceratum animum tam facile potuisse sanari?

Quamquam in istis omnibus rebus, praesertim apud 36
homines barbaros opinio plus valet saepe, quam res
ipsa. Persuasum est Sardis se nihil Appio gratius esse
facturos, quam si de Scauri fama detraxerint: mul-
torum etiam spe commodorum praemiorumque du-
cuntur: omnia Consulem putant posse, praesertim
ultro pollicentem. De quo plura iam non dicam.
Quamquam ea quae dixi, non secus dixi, quamsi eius 37
frater essem, non is qui et est et qui multa dixit, sed
is qui ego esse in meum consuevi. Generi igitur to-
tius accusationis resistere, iudices, debetis; in quo
nihil more, nihil modo, nihil considerate, nihil in-

Si a negotiatoribus) Taurinensis *ianegotiatoribus*.

Putas semel exulceratum) Cl. Mai legit *putassem et exulceratum*, quod latinae aures respuunt. Ipse legi in Ambrosiano *putassemelexulceratum*; maxima vero affinitas inter T et L editorem Ambrosianum fefellit. Taurinensis habet *putassentvelexulceratum*, vel etiam *putassenivelexutceratum*; iam quom male me habeat *putas seni vel exulceratum*, praetuli Ambrosianam lectionem.

36. *Persuasum est — detraxerint*) Tres hi versos erant editi etiam inter fragmenta Orationis huius, desumpti nimirum ex Arusiani Messi, seu verius Frontonis, *exemplis elocutionum*, a quo libello olim inedito multa sumpsit Sigonius quom Tullii fragmenta congereret. Eum libellum denique nos edidimus cum reliquis Frontonis operibus, quorum vide pag. 508, io litera D. Mai.

Praemiorumque) Ergo Appius, qui de Scauri fama detractum volebat, ut fidem suam Memmio ac Domitio datam facilius liberaret, simulque ipso novorum consulum ope Ciliciam sortiretur, multa promiserat commoda atque praemia Sardis accusatoribus.

Plura iam non dicam) Possem enim plura dicere, sed quae in Appium essent aspera; quamquom ea quae dixi tanta dissimulatione obvelavi, ac si eius frater essem. Non is frater Clodius, qui et revera est Appii frater, et multa quovis tempore dixit imprudentissime; sed is frater, cuiusmodi ego esse consuevi in fratrem meum coniunctissimus, eiusque famae studiosus.

37. *Non secus*) Ambrosianus *nonsesecus*.

Nihil more, nihil modo) Ambrosianus *nihilmodenihilmodo*. Cl. Mai

tegre, contra improbe, turbide, festinanter, rapide, omnia conspiratione, imperio, auctoritate, spe, minis videtis esse suscepta.

38 Venio nunc ad testes, in quibus docebo, non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium. Etenim fidem primum ipsa tollit consensio, quae patefacta est compromisso Sardorum et coniuratione recitata; deinde illa cupiditas, quae suscepta est spe et promissione praemiorum; postremo ipsa natio, cuius tanta vanitas est, ut liber-

emendabat *nihil moderate*. Verum quum quatuor sequantur adverbia *improbe turbide festinanter rapide*, ita ut *improbe* et *turbide* opponantur adverbiis *integre* et *considerate*; tum duo adverbia quaerenda sunt, quae ex adverso respondeant postremis *festinanter* at *rapide*. Ego vero auctore Cl. Niebuhr in literis ad me nuperrime datis, scripsi *nihil more*, *nihil modo*, quae verba coniungit Cicero pro Murena 34 scribens: « Etsi hoc factum a Murena omnino, Iudices, non est; ab eius amicis autem *more et modo* factum est. »

Conspiratione) Conspirant Sardi in testimonio dicendo. Imperio et auctoritate utitur Appius consul. Sperant Sardi promissa commoda, Memmius et Domitius pactum consulatum, Appius provinciam Ciliciae. Idem consul, atque candidati terrent atque minantur Sardos, ni obtemperent. Atque haec de toto accusationis genere Orator dixit; iam ad alterum, quod supra n.° 22 proposuerat, caput transit, nempe ad Sardos testes.

Festinanter, rapide) Cramerus cui assentitur Heinrichius coniicit hic addendum esse *omnia*; ut legatur *festinanter rapide omnia*; *omnia conspiratione* etc. SCHVTZ.

Spe minis) Ambrosianus *speminhis*.

38. *Patefacta*) Cl. Mai legit *late facta*; fateor literam P dubiam esse posse.

Recitata) Cl. Mai legit *regitata*, atque edidit *rogitata*. Quare Heinrichius adnotabat consensionem testium fuisse effectum compromissi et coniurationis, quae late facta est per provincias Sardiniae. Atqui seu accusator, seu subscriptores in Sardiniam inquisitum non iverunt; atqui, uti superius monui, Sardi Romae degentes corrogati videntur. Quum itaque codex, auctore Cl. Mai, habeat *regitata*, seu, uti vidisse videor, *recitata*, delegi hanc lectionem, ex qua apparet Triarium recitasse Sardorum omnium testimonium unica syngrapha iisdemque verbis conclusum.

Ipsa natio) Saepe Cicero in Sardos invectus est. In Oratione de prov. cons. VII dicit eos *mastrucatos latrunculos* (fuit autem mastruca Sardiniense vocabulum scorteae vestis). In epist. ad famil. lib. VII, 24, de Tigellio Sardo ait: *In lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua*. Ibidemque: *Habes Sardos venales alium alio nequiorem*. Tum IX, 7, de Sardinia ait: *Nec ullum habet* (Caesar) *praedium deterius, sed ta-*

tatem a servitute nulla re alia, nisi mentiendi licentia,
distinguendam putent. Neque ego Sardorum quere- 39
lis moveri nos nunquam oportere. Non sum aut tam
inhumanus, aut tam alienus a Sardis, praesertim quum
frater meus nuper ab his decesserit, quum rei frumentariae Cn. Pompeii missu praefuisset; qui et ipse illis
pro sua fide et humanitate consuluit, et eis vicissem
percarus et iucundus fuit. Pateat vero hoc perfugium 40
dolori, pateat iustis querelis: coniuratio vi intercludatur, obsepiatur insidiis; neque hoc in Sardis magis, quam in Gallis, in Afris, in Hispanis. Damnatus est T. Albucius et C. Megaboccus ex Sardinia,

men non contemnit. Quintilianus Inst. XI, 1, sub finem ait: « Quod ad exteras nationes pertinet, Cicero varie detracturus graecis testibus fidem, doctrinam iis concedit ac literas, seque eius gentis amatorem esse profitetur; Sardos contemnit; Allobrogas ut hostes insectatur. » Quorum primum fecit in oratione pro Flacco, alterum pro Scauro (qui locus Ciceronis hactenus latuerat in ambrosiano codice), tertium pro Fonteio. Mai.

39. *Neque ego*) Cl. Mai ex coniectura legebat *aio oportere.* Heinrichius idem additamentum deprehendit in voce *ego*, atque reposuit *Neque aio Sardorum.*

Frumentariae) Huius vocis feliciter a Cl. Mai suppletae vix tenue vestigium superest in codice = Vide epistolas plures Marci Ciceronis lib. II ad *Q. fratrem* in Sardinia degentem. Iam vero ex hoc loco orationis patet quod olim Paulus Manutius in commentario ad epist. I huius libri II, opinatus fuerat, Q. nempe Ciceronem non alia quam rei frumentariae causa a Pompeio in Sardiniam fuisse missum. Et quidem Pompeium praefectum fuisse rei frumentariae patet ex orat. pro Domo X. Mai.

Vero) Non uti adverbium habet Heinrichius, sed *dolori* iungit, ut sit verus dolor oppositus simulato (adsentiente Schützio. *T.*).

Obsepiatur) Cl. Mai legit *obsidiatur*, atque emendavit *obsidietur*. Verbi *obsidiari* forma usum esse Columellam lexica indicant. Quid igitur? An eo passive usus erit Tullius? Mira quoque foret locutio *obsidiari insidiis*, nempe pura putaque tautologia. Quare Heinrichius reponebat *obsidatur*. Atqui ego legi in Ambrosiano *obsediatur*; pronum ergo est *obsepiatur*, quod apprime consonat antecedenti verbo *intercludatur*.

L. Albucius) In unius eiusdemque, ut plane videtur, viri Albucii praenomine scripta veterum vehementer discrepant. Apuleius in Apologia (edit. Paris. an. 1688, pag. 511) scribit *Aulum Albucium*. Cicero de Offic. II, 14, *Marcum*. Idem Cicero in Pis. XXXVIII, de Oratore II, 70; III, 43, Orator 44, nullum eius usurpat praenomen. Nunc codex noster antiquissimus manifesto habet *Lucium*. Et

nonnullis etiam laudantibus Sardis: ita fidem maiorem varietas ipsa faciebat; testibus enim aequis, tabulis
41 incorruptis tenebantur. Nunc est una vox, una mens, non expressa dolore, sed simulata, neque huius iniuriis, sed promissis aliorum et praemiis excitata. At creditum est aliquando Sardis. Et fortasse credetur aliquando, si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicuius impulsu, si soluti, si liberi. Quae si erunt, tamen sibi credi gaudeant et mirentur; quum vero omnia absint, tamen se non respicient, non gentis suae famam perhorrescent.

quidem etiam Varro de re rust. III, 2, haec scribit: *Nonne item L. Albutius homo, ut scitis, apprime doctus, cuius Luciliano charactere sunt libelli, dicebat* etc. Verum nihilominus Albucii praenomen puto fuisse *Titum*, non tam quia ita scribitur a Cicerone in Bruto XXVI et XXXV, Divin. in Verr. XIX, de prov. cons. VII, Tusc. v. 37; sed propter Lucilii versos apud eundem Ciceronem de Finib. I, 3: Χαῖρε, inquam, Tite, lictores, turma omni, cohorsque, Χαῖρε, Tite, hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

Fuit autem Albucius accusatus a C. Iulio (nempe Strabone Caesare, ut ait Suetonius in Caes. LV), qui dicebat pro Sardis, ut patet etiam ex Cicerone Divin. in Verr. XIX, secus atque videtur in loco corrupto eiusdem Ciceronis de Offic. II, 14. Denique Albucius dicitur damnatus Romae in Pison. XXXVIII, exsul philosophatus Athenis Tuscul. V, 37. Mai. Equidem legi etiam L, quae litera cum paulo differat a T in antiquissimis hisce schedis, facile amanuensem decipere potuit. Peyr. — Vitium in praenomine haerere Heinrichius vidit. Legendum *T. Albucius*. Schutz.

C. Megaboccus) Cicero ad Attic. II, 7: *Megaboccus et haec sanguinaria iuventus inimicissima est.* Megaboccum commemorant Plutarchus in Crasso, et Appianus de Bello Parth. III, 46 et 50 ed. Schweigh. virum animi magnitudine, et vi corporis insignem, qui in infesta pugna cum Parthis ad Carrhas se ipsum confodit. Haec monumenta de Megabocco, vel Megabaccn collegit Cl. Mai, nec maiora addidit Heinrichius.

Sardinia) Codex *Sarnia*.

Laudantibus Sardis) Mos fuit ut reus, praeter patronos, laudatores etiam adhiberet. Hi fuere interdum, si res ita ferret, homines provinciales, quos singulae civitates ab eo administratae, cum publica laudatione ad sublevandum rei periculum mittebant. Vide Sigonium de Iudiciis lib. II, cap. XIX, et ex. gr. laudationes Flacci in orat. pro eo cap. XL. Mai.

At) Codex *ad*.

Tamen) Heinrichius mallet *tum*.

Perhorrescent) Haec interrogantis modo dicta credit Cl. Mai, eique suffragantur Germani Duumviri.

Fallacissimum genus esse Phoenicum omnia monu- 42
menta vetustatis, atque omnes historiae nobis prodiderunt. Ab his orti Poeni multis Carthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus, nihil se degenerasse docuerunt. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam, atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni.
Quare, quum integri nihil fuerit in hac gente plena, 43
quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi ignoscet Cn. Domitius Sincaius [1] vir ornatissimus, hospes et familiaris meus; ignoscent Delicones ab eodem Cn. Pompeio civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur; ignoscent alii viri
boni ex Sardinia, credo enim esse quosdam. Neque 44
ego quum de vitiis gentis loquor, neminem excipio.

(1) Quem Pompeius civem Romanum fecerat. SCHOL.

Phoenicum) Codex *Foenicum*; mox *phoeni*, *poenis*. T.

Rebellionibus) Codex *rebelliensibus*.

A Poenis) Hanc Sardorum originem testatur etiam Pausanias Phoc. XVII. Tum et aliam Afrorum exscensionem in Sardiniam memorat ibidem Pausanias. Et quidem Strabo lib. V diserte scribit: Ὕστερον δὲ Φοίνικες κατεκράτησαν οἱ ἐκ Καρχηδόνος, *postea Phoenices Carthaginis incolae eam* (Sardiniam) *obtinuerunt*. MAI.

Amandati) Codex *amendati*.

Plena) Si vox *plena* genuina est, metaphoram sumpsit Cicero a lagenis solo vino plenis, cuius pars si transfundatur, eique alii liquores admisceantur, acorem contrahere solet. Heinrichius corrigit *in hac gente pura*. Mihi quidem vox *plena* non arridet, sed emendatio *pura* nimis distare videtur.

Sincaius) Ita legi, ut *Sencaius* quoque esse possit. Cl. Mai *Singaius*. Natione Sardus, Romana civitate donatus a Pompeio. Nam *lex Gellia et Cornelia definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat*. Cicero pro Balbo 14.

Delecones) En certas literas D ONES, mihi etiam apparebat C; reliquae tres sunt ex genere literarum E, F, I, L, P, T in hisce schedis maxime affinium. Cl. Mai in prima editione lucem huic nomini ex geographia Sardiniae exspectandam esse dixerat. At recte Heinrichio adnotatum fuit contextum *alii viri boni* — *Neminem excipio* — *fortasse aliqui*, innuere Sardos homines eiusdem familiae; maxime quum Tullius mox testetur Sardiniam nullam habuisse amicam populo romano ac liberam civitatem.

Sed a me est de universo genere dicendum; in quo fortasse aliqui suis moribus et humanitate, stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt. Magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et coniunctione nominis nostri res ipsa declarat. Quae est enim praeter Sardiniam provincia, quae nullam habeat amicam po-
45 pulo romano ac liberam civitatem? [1] Africa ipsa parens illa Sardiniae, quae plurima et acerbissima cum maioribus nostris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a societate Punicorum bellorum, Vtica teste, defendit. Hispania ulterior Scipionum int [2]. . . . .

. . . .

46 Vndique mihi suppeditat quod pro M. Scauro di-

(1) Aliae civitates sunt stipendiariae, aliae liberae. Stipendiariae, quae bello subiugantur; liberae, quae ad amicitiam sponte veniunt. Dicit Cicero: in omnibus provinciis, quae contra nos bella gesserunt, invenimus aliquas civitates liberas, quae ad amicitiam nostram sponte venerunt: sola Sardinia est, in qua nulla civitas nobis amica sit. Schol.

(2) Scipiones quum gererent in Hispania bellum occisi ambo sunt. Deficientibus tunc omnibus Hispaniae civitatibus ab amicitia populi Romani, Gaditana sola civitas in fide mansit, defectumque ac sine imperatoribus romanum suscepit ac fovit exercitum. Idem.

A me est) Codex *amenest*; sed additilia litera N obelo configitur.

Res ipsa) Codex *reipsa*.

Amicam) Codex *amica*.

Regnis) Puta Masinissae. Mai.

Vtica teste) Tertio bello punico incipiente, Vtica maxima post Carthaginem urbs Africae ad Romanos a Poenis descivit. Vide Appianum de reb. pun. c. LXXV, Polybium *legat.* CXLII, Livii epitomem lib. XLIX. Mai.

Hispania) Lacunam incommodam codicis ambrosiani explet quodammodo locus Tullianae Orationis pro Cornelio Balbo c. XV: « Duris quondam temporibus reipublicae nostrae, quum praepotens terra marique Carthago, nixa duabus Hispaniis huic imperio immineret; et quum duo fulmina nostri imperii Cn. et P. Scipiones extincti occidissent; L. Marcius, primipili centurio, cum Gaditanis foedus icisse dicitur. » Mai.

46. *Vndique mihi*) Postremum Taurinensis codicis folium incipit a verbis *uisse templo videtur in vestro conspectu iudices*. Atqui haec habet Asconius ad h. or.: Versu a novissimo CLX: « Vndique mihi suppeditat quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum

cam, quocunque non modo mens, verum etiam oculi
inciderint. Curia illa vos de gravissimo principatu
patris fortissimoque testatur; L. ipse Metellus, avus
huius, sanctissimos Deos illo constituisse templo vi-
detur in vestro conspectu, iudices, ut salutem a vo-
bis nepoti suo deprecarentur [1], quod ipsi saepe multis
laborantibus atque implorantibus ope sua subvenis-
sent. Capitolium illud templis tribus inlustratum, pa- 47

(1) Castoris et Pollucis templum Metellus, qoem nominat, refecerat. Asc.

etiam oculi inciderint. Curia illa vos de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur, L. ipse Metellus, avus huins, sanctissimos deos illo coustitoisse in templo videtur, in vestro eouspectu, iudices, ut salutem a vobis nepotis aui deprecarentur. »

Aseonii ergo fragmentum cum Taurinensi coniungitur. Postrema hacc est pars perorationis, in qoa Seaurum laudat Cieero a maioribus auis, pracsertim vero ab avo L. Metello, et patre Aemilio Seauro. Hoc fragmentum innuebat Quintilianus VI, 1, *de peroratione* scribens: « Periclitantem vero commendat dignitas, et studia fortia, et susceptae bello cicatriees, et oobilitas, et merita maiorum. Hoc, quod proxime dixi, Cieero atque Asiuius certatim sunt nsi: pro Scanro patre bie, ille pro filio.» Quam vero apposita ad captandum indieum favorem haeo a Tullio dicta fuerint, iotelligimus a Valerio Max. VIII, 1, 10: « M. quoque Aemilius Scanrus repetondarum reus — perditam et comploratam defensionem in iudieium attulit — tamcu propter vetustissimam nobilitatem, et recentem memoriam patris absolutus est. »

Illa vos) Ita duo codices Ambrosiani Aseoniii, et aliquot antiquac editionea, uti Cl. Mai testatur.

Principatu patris) M. Aemilius Scanrus fuit priuceps senatus.

Sanctissimos deos) Castorem et Polloecm, quibus aedem extruxit L. Metellus Dalmaticus suis manubiis in bello Dalmatico captis; vide Ciceronem in Verr. I, 59. Hic porro fuit avus maternus Scanri; nam, ut apposite monet Asconius ad fragm. 12, *paternus avus proavusque Scauri humiles atque obscuri fuerunt.*

Templo) Asconius *in templo.*

Nepoti suo deprecarentur) Asconius *nepotis sui deprecarentur.*

47. *Templis tribus*) Cicero de Nat. Deor. II, 23: « Fides, Mens, quas in Capitolio dedicatas videmos proxime a M. Aemilio Scauro; ante autem ab Atilio Calatino erat fides cooscerata.» Idem templum Menti cousecratum ab Aemilio Scauro commemorat Plutarchus de Fort. Roman. tom. II, p. 306 ed. Wyttenb. Verum quum a T. Otacilio praetore iampridem dedicatum foerit (vid. Liviom XXII, 10; XXIII, 31), eqoidem coniicio illud vel ampliatum, vel restitutum, neutiquam ex inchoato extruetum fuisse a Scauro. Restituit etiam aedem Fidei ab Atilio conseeratam. Quoduam fuerit tertium templum a Scauro illustratum, videant alii.

ternis atque etiam huius amplissimis donis ornati aditus I. O. M., Iunonis Reginae, Minervae, M. Scaurum apud. . . . .

48 illius L. Metelli Pontificis Maximi, qui, quum templum illud arderet, in medios se iniecit ignes, et eripuit flamma Palladium illud, quod quasi pignus nostrae salutis atque imperii custos, in aedibus Vestae continetur. Qui utinam posset parumper exsistere! Eriperet ex hac flamma stirpem profecto suam, qui eripuisset ex illo incendio di . . . .

49 .... tum. Te vero, M. Scaure, quidem vidi. Video, inquam, non cogito solum, nec vero sine magno animi moerore ac dolore, quum tui filii squalorem aspexi. De te recordor. Atque utinam, sicut mihi tota in hac causa versatus ante oculos, sic nunc horum te offeras mentibus, et in horum animis adhaerescas! Species me dius . . . .
etiamsi forte non nosset, tamen principem civitatis esse diceret.

Quo te nunc modo appellem? Vt hominem? At non
50 es inter nos. Vt mortuum? At vivis, et viges; at in omnium animis atque ore versaris, atque divinus animus mortale nihil habuit, neque tuorum quicquam potuit emori, praeter corpus. Quocumque igitur te mo*do* . . . .

CETERA DESIDERANTVR.

Sopra pag. 470, post illa verba *Hispania ulterior Scipionum*, in Schützii editione haec leguntur: ...*bono quanti quod habebnt veniret.*
Agedum ego defendi Scaurum ... Triari: defende tu matrem ... interpretari non solvendo fuisse bona. Denique reus bona ... proscripta esse bonis .....: quae nullibi in Peyroni editione potui deprehendere. TYP.

48. *Templum illud*) De aedium Vestae conflagratione, *quo incendio Metellus inter ipsos ignes raptum Palladium incolume servavit*, ut ait Valerius Max. I, 4, 4, lege Livii *Epitomem* XIX, Plinium VII, 45, Ovidium Fast. VI, 437, Dionysium Halic. lib. II, Senecam Controvers. l. IV, 2.
Custos in aedibus V.) Sic, suadente Peyrono V. Cl., rescripsi. Codex *custodis Vestae*.
M. Scaure) M. Aemilium Scaurum clientis patrem ante multos annos defunctum alloquitor.
De te recordor) Tria haec verba servaverat Fronto in Exempl. elocut. ed. Med. pag. 541.

ORATIONIS

PRO

M. AEMILIO SCAVRO

PARTES OLIM EDITAE

CVM Q. ASCONII PEDIANI COMMENTARIO

Fronto] Nihil Sardos Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint.

CIRCA VERS. A PRIMO XL.

QVVM ENVMERARET IVDICIA, QVAE PATER SCAVRVS EXPERTVS EST.

Ascon.] 1. Subiit etiam populi iudicium inquirente Cn. Domitio Tribuno pl.

Cn. Domitius, qui consul fuit cum Cassio, quum esset tribunus pl. iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum et multam irrogavit, quod eius opera sacra multa populi romani deminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica populi romani Deum penatium, quae Lavinii fierent, opera eius minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXVII (1) absolveretur et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent.

(1) In recentioribus editionibus legitur XXXII. Sed uterque codex ambrosianus cum antiquis editionibus habet XXXVII. Et quidem extra solemnem numerum τῶν XXXV aliquam praeterea tribum exstitisse exploratum est. Mai. Ceterae etiam adnotationes ad commentarium Asconii auctorem habent clarissimum Mai. Peyr.

Ibidem.

Idem] 2. Reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, quum iudicia penes equestrem ordinem essent, et P. Rutilio damnato, nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.

Q. Servilius Caepio Scaurum, ob legationis asiaticae invidiam et adversus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius, Claudia Graccbia. Scaurus tanta fuit continentia et animi magnitudine, ut Caepionem contrarium detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, ut iudicia commutaret.

Ibidem.

Idem] 3. Ab eodem etiam lege Varia custos ille reipublicae proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno pl. est non multo ante.

Italico bello exorto, quum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus pl. legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum romanum arma sumpsissent. Tum Q. Caepio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi eius, egit ut Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iuberet anno LXXII. Ille per viatorem accersitus, quum iam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate invidiae populi obiiceret; innixus nobilissimis iuvenibus processit in forum: deinde, accepto respondendi loco, dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse; M. Scaurus princeps senatus negat: testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere? qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.

DICIT ITERVM DE PATRE M. SCAVRI.

Idem] 4. Non enim tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, sed etiam praecipue dilexi. Primus

enim me, flagrantem studio laudis, in spem impulit, posse virtutem sine praesidio fortunae, quo contendissem, labore et constantia pervenire.

Possit aliquis quaerere, cur hoc dixerit Cicero, quum Scaurus patricius fuerit: quae generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit. Verum Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, et nullam vitae industriam, honores adepti sunt. Itaque Scauro aeque ac novo homini laborandum fuit.

Sever] Et quoniam congesta est accusatio [1] magis acervo quodam criminum, quam distinctione aliqua generum et varietate.

Idem] Bostarem igitur quendam dixit Norensem, fugientem e Sardinia Scauri adventum.

Idem] Prius illum sepultum, quam huic coenam esse sublatam.

Ascon.] 5. Si, mehercule, [2] iudices, pro L. Tubulo dicerem, quum unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem,

(1) Severianus rhetor Latinus, ubi agit *de disponendis criminibus* ita scribit: *Cicero pro Scauro reprehendit adversarii confusam criminationem. Ait enim: « Et quoniam congesta fuit accusatio etc. »* Sigon.

(2) Vt dixi supra caedes etiam obiectae sunt Scauro, ut caedes Bostaris de qua Quintilianus lib. IV, c. 2: *Pro Scauro Cicero circa Bostaris mortem in matrem crimen avertit.* Et lib. V, c. 13: *In contradictionibus interim totum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro circa Bostarem fecit, velut orationem diversae partis imitatus.* Hoc autem loco refellere videtur Cicero Bostarem Scauri opera esse interfectam, quod neque ex eius morte commodum Scaurus speraret, neque ei infensus esset, quibus duabus causis potissimum homines ad eiusmodi facinora solent impelli. Quod ergo non timerem de Tubulo homine sceleratissimo, inquit, si pro eo dicerem, multo minus de Scauro viro optimo timendum videtur. Marcianus Capella libro V significat hac oratione Scaurum defensum de Bostaris nece, de Arinis uxore, de decimis tribus. *Multiplex*, inquit, *ex pluribus quaestionibus causa consistit, ut repetundarum omnes Verrinae, et pro Scauro de Bostaris nece, de Arinis uxore et decimis tribus exquiritur.* Sig.

venenum hospiti, aut convivae si diceretur coenanti ab illo datum, cui (1) neque heres neque iratus fuisset.

L. hic Tubulus praetorius fuit aetate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia, quum de exilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit (2).

Idem.] Quae quidem suspicio valuit etiam ob hanc causam, quod quum agerent parentalia Norenses.

PORPH. *Sat.* 2. *l.* 2] Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.

FRONTO] Copiis inops, gente fallax.

CIRCA TERTIAM PARTEM.

A primo.

ASCON.] 6. Sic, inquam, se, iudices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quaesitum ab aliis est. Illa (3) audivimus, hoc vero meminimus, (4) ac pene vidimus, eiusdem stirpis et nominis P. Crassum ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse.

Hic Crassus fuit pater Crassi eius, qui aemulus potentiae Cn. Pompeii fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnae, quum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit.

(1) Alter e codd. ambrosianis pro *cui* habet *quom*. MAI.

(2) Tubuli scelera saepe commemorat Cicero, nempe de Fiuib. II, 16; IV, 28; V, 22; de Nat. D. I, 23; III, 30.

(3) Hucusque verba Tulliana huius oci praetermittuntur ab utroque codice ambrosiano. Ea tamen occurrunt nobis inferius n. 7.

(4) Haec exempla sunt eorum, qui sibi in bello manus attulerunt, ut P. Crassi, qui in bello Aristonici in Asia captus, barbarum, a quo captus erat, ut se interficeret, provocavit, aut alterius P. Crassi, qui in dominatione L. Cinnae, ne in manus inimicorum incideret, sibi mortem conscivit. Quos tamen neque M. Aquillius, neque Iulii duo, neque M. Antonius potuerant imitari. Hoc est autem, quod scribit Quintilianus lib. IV, c. 1, Ciceronem pro Scauro repetundarum reo usum esse exemplis. SIG.

Statim.

Idem] 7. Ac neque illius Crassi factum superioris, iisdem honoribus usus, qui fortissimus in bellis fuisset, M. Aquilius potuit imitari.

Haec verba, quibus Cicero nunc utitur, *AC NEQVE*, eam videntur habere naturam, ut semel poni non soleant, quia *NEQVE* est coniunctio disiunctiva, et semper postulat ut rursus inferatur, ut quum dicimus: *neque hoc, neque illud.* Quo autem casu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita usus sit, praesertim quum adiecerit illam appositionem, et nomen intulerit postea alterum, neque perspicere potui, et attendendum esse valde puto. Moveor enim merita viri auctoritate: neque ignoro, aliquando hoc verbum *neque* vel semel poni, ut in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit: *Sic, inquam, se, iudices, res habet; neque hoc a me novum disputatur, sed quaesitum ab aliis est.* Sed hoc loco et sine praepositione illius verbi videmus esse positum, et tamen post secundum aliquid inferri (1). Nam quum dixerit: *neque hoc a me novum disputatur*, infert, *sed quaesitum ab aliis est.*

Paulo post.

Idem] 8. Quid vero? alterum Crassum temporibus eisdem num (2) aut clarissimi viri Iulii, aut summo ingenio praeditus M. Antonius potuit imitari?

Hic alter Crassus idem est de quo supra diximus. *Alterum* autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Crassi, qui fuit pontifex maximus, et bello Aristonici in Asia dedit operam ut occideretur. *Iulios* autem quum dicit, duos Caesares fratres Caium et Lucium significat: ex quibus Lucius et praetor et consul fuit. Caius aedilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fuerit. Nam et sperabat et id age-

(1) Ab altero codice ambrosiano tota abest haec particula orationis: *Sed hoc loco* etc. In altero vero sic: *Sed hoc loco ut sine praepositione illius verbi videamus esse positum, et tamen quo sit secundum* etc.

(2) Codd. ambr. et aliquot editiones antiquae *nam.*

bat Caesar, ut omissa praetura consul fieret: cui quum primis temporibus iure Sulpitius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores, et tragicus poeta bonus admodum habitus est: huius sunt enim tragoediae, quae inscribuntur *Iulii*. Et hi autem Iulii et Antonius ab satellitibus Marii sunt occisi, quum Crassus, ut supra diximus, eundem casum sua manu praevenisset

Prisc. *l.* 6) Quum dare nollet *Aris* (1), clam ex Sardinia est fugere coactus.

Idem] *Aris* uxorem pellicatus dolore concitatam (2)

Idem l. 7] Arinis uxorem.

Circa medium.

Ascon.] 9. Neque vero haec ipsa quotidiana res

(1) Loquitur de Arinis uxore, quam a Scauro corruptam fuisse obiiciebant eius inimici. Sensus est: quum Aris nollet uxorem Scauro dare, coactus est clam ex Sardinia fugere. Est enim verisimile post caedes adulteria obiecta eum purgasse. Sig.

(2) Sic reposui ex vetere Prisciano, quum antea *Arinis uxorem pellicatus dolo concitatam* legeretur. Nam quod primam quidem vocem attinet, praeter veterem, ut dico, scripturam, ipsa quoque Prisciani illius loci sententia ita legendum esse evincit. Tractat enim eo loco Priscianus nomina in hanc terminationem desinentia, qua est *delphin*, in *is* quoque terminari, ut *delphin* et *delphis*, *Eleusin* et *Eleusis*. Et quidem sic ut Graeci scriptores terminatione *IS* magis delectentur, Latini terminatione *IN*. Haec quum ita dixisset Priscianus, subdit: *Quamvis*, inquit, *Cicero pro Scauro IS etiam terminatione Graecis quam Latinis usitatiore, uti maluerit*, *inquiens:* QVVM DARE NOLLET ARIS CLAM etc. *Et in eadem*, inquit Priscianus, ARIS VXOREM PELLICATVS DOLORE CONCITATAM. Ex cuius ratione sententiae plane constat ARIS nominativo casu, hoc quoque, ut superiore fragmento legi oportere, sensu imperfecto, ad hunc fortassis modum perficiendo: ARIS VXOREM PELLICATVS DOLORE CONCITATAM RELINQVERE NECESSE HABVIT. Quod autem deinde idem Priscianus libro septimo genitivum casum dum format, ARINIS ab ARIS nominativo genitivum auctoritate Ciceronis comprobet, qui in eadem oratione ARINIS VXOREM dixerit, ea re quidem mihi sane auctor fuit, ut id quoque fragmentum a superioribus diversum inter cetera reponerem. Videtur autem reliquis, quae de Arine sunt, praeponendum, si quis modo hac sententia prolatum esse ab oratore existimari velit. Obiiciunt etiam adversarii Arinis uxorem a Scauro corruptam extitisse. Patr.

Appium Claudium, (1) illa humanitate et sapientia praeditum, per se ipsa movisset, nisi hunc Claudii (2) fratris sui competitorem fore putasset: qui sive patricius, sive plebeius esset (3); nondum enim certum constitutum erat, cum illo sibi contentionem fore putabat.

Fuerunt enim duae Claudiae familiae: earum, quae Marcellorum appellata est, plebeia: quae Pulchrorum, patricia. Sed hoc loco urbane Cicero lusit in Claudium (4), cum quo in gratiam non redierat. Nam quia (*C. Claudius* (5) P. Clodii erat frater, qui ex patricia in plebeiam familiam transierat per summam infamiam; se quoque dubitare adhuc dixit.

Isid. *l.* 19, *c.* 23] Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca *tentavit?* (al. mutavit) (6).

(1) Significat *Ap. Claudium Pulchrum*, tum quum loquebatur, consulem, P. Clodii fratrem de quo dubitat, patriciusne an plebeius *sit*, quia quum esset patricius, in plebeiam familiam Fonteiam se adoptaverat. Innuit autem Ap. Claudium egisse, ut Scaurus accusaretur, ne cum Clodio fratre contenderet. Sig.

(2) Palimpsestus antiquissimus ambrosianus in hac oratione c. VI, p. 9 evidenter habet, *nisi hunc C. Claudi* etc. At in Asconii codd. ambrosianis nec non in eiusdem editionibus legitur, *nisi hunc Claudii* omisso praenomine. Et quidem facile fieri potuit ut in codicibus una e tribus continuis *C* praetermitteretur.

(3) Plebeium de patricio se fecit P. Claudius. Cicero autem num id ipsum facturus sit C. quoque Claudius dubitare se fingit iocans, quoniam is P. erat frater, uti Asconius explicat.

(4) Nempe in P. Claudiam perpetuum Ciceronis inimicum.

(5) Corruptus videtur in editionibus hic locus nempe: *Nam quia is P. Clodii erat frater.* Quam lectionem si retineremus, Claudius quidem, cuius ante tria verba mentio fit, non Publius sed Caius esset, quod a veritate abhorret: siquidem Publius erat inimicus Ciceronis. Codicum quoque ambrosianorum alter habet: *namque is in P. Clodii frater erat.* Alter vero, *nam quis is P. Clodii erat frater.* Iam quod editiones a codicibus discrepant, atque ipsi codices inter se, id scilicet argumento est, locum in mendo cubare. Nostram autem emendationem satis commodam visum iri speramus.

(6) Haec ad quaestionem de furto pertinent. Scribit enim Asconius Sulla Scauri vitrico victore, et in socios victoriae munifico, Scaurum ita abstinentem fuisse, ut nihil, neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Ex quo effici vult Cicero, multo minus eum vilibus Sardorum vestibus potuisse corrumpi. Hinc est,

Marcell. *l.* 22] Vos quoque de familia nobili, cum auctoritate orbis terrarum sentire debetis.

Idem] Scaurum defendens Tullius imperat Sardis, ut de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentirent.

POST DVAS PARTES ORATIONIS DICIT DE SCAVRO, QVEM DEFENDIT.

Ascon.] 10. Nam quum ex multis unus ei restaret Dolabella, paternus inimicus, qui cum Q. Caepione propinquo suo contra Scaurum patrem suum obsignaverat; ceteras (1) eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas etc.

Ne forte erretis, et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Caesaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse et praenomine et nomine et cognomine; Dolabellas. Horum igitur alterum Caesar accusavit, nec damnavit: alterum M. Scaurus accusavit et damnavit.

POST TRES PARTES QVO LOCO DEFENDIT QVOD TAM MAGNIFICAM DOMVM SCAVRVS HABERET.

Idem] 11. Praesertim quum propinquitas et celebritas loci suspicionem desidiae tollat aut cupiditatis.

Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, quum ab sacra via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est. Possidet eam nunc Longus (2) Caecina, qui consul

quod Quintilianus lib. I, c. 9, ait: *Mastruccam, quod Sardum est, illudens Cicero de industria dixit.* Et Cicero de prov. consular. *res in Sardinia cum mastruccatis latrunculis gesta.* Sig.

(1) Editiones habent, *obsignaverat stateras.* Codex alter ambrosianus *obsignaverat; steteras eas* etc. Alter vero optime, *obsignaverat. Caeteras eas* etc. Nimirum *obsignaverat* hoc loco significat, ut arbitror, *testis adfuerat*, sive *annulo accusationem in Scaurum obsignaverat.* Quare *staterae* ab hoc Ciceronis loco removendae videntur.

(2) Seu potius *Largus:* qua super re vide locum dissertationis nostrae, ubi agimus de Asconii aetate.

fuit cum Claudio. In huius domus atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae insigni magnitudine, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur: usus erat iis aedilis, ut ipse quoque significat, in ornatu theatri, quod ad tempus per quam ampla magnitudine magne fecerat (1).

QVINT. *l.* 5, *c.* 13] Ego porro, (2) qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.

QVINT. *l.* 9, *c.* 1, 4] Domus tibi deerat? (3) at habebas. Pecunia superabat? at egebas. (4) Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. Depressam, caecam, iacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas aestimasti.

SERV. 1 *Georg.*] Redimunt se ea parte corporis, (5) propter quam maxime expetuntur.

(1) Ita *magne fecerat* cum principe editione codex alter ambrosianus. Alter vero *magnifecerat*, uti mano emendatum vidi etiam in Aldina editione. Reliquae, quas vidi, editiones habent *magnum fecerat*.

(2) Quintilianus lib. V, c. 13: *non nunquam*, inquit, *elevandae invidiae gratia, quae asperius dicta sunt, eluduntur, ut a Cicerone Triarius. Nam quum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixit, ego porro, inquit, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi*. SIG.

(3) Haec ex oratione sua citat Cicero in Oratore. Videntur autem sumta esse ex hac parte orationis pro Scauro, qua Triario respondit, qui columnas et domum Scauri exagitaverat. Simile illud pro Roscio Am. *Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur.* ID.

(4) Haec verba praeter Ciceronem ipsum, etiam refert Quintil. lib. IX, cap. 2 et 4, et Capella ubi *de figuris elocutionis*, et Aquila Romanus c. 22 in *antitheto*, et Diomedes c. II, p. 461. P. Victorius in variis lectionibus lib. XVIII, c. 9 putat in illo verbo *Alienos*, quod statim sequitur inesse vitium. Nam ego utrumque fragmentum coniungo. PATE. Equidem Victorio assentior, corruptum esse *alienos*; idemque ad illum locum professus sum mihi videri legendum esse *in antis aeneis insanis insanisti*. S.

(5) De castoribus loquitur, de quibus in hunc modum Plinius VIII, 30: *Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri, periculo urgente, ob hoc se peti gnari. Castoreum id vocant medici.* SIG. Castoris hanc esse naturam etiam Iuvenalis non dissimulavit in Satyra ..... *qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damnu Testiculi.* Huius fragmenti ite meminit etiam Servius Georg. I. *Fibri*, inquit, *canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt medicamentis, propter quod, ubi se quaeri sentiunt, eos secant. De quibus Cicero: Redimunt se ea parte corporis propter quam maxime petuntur.* Apertius autem Isi-

Ab ipsa stiva mecum homines loquebantur.

Fronto] Retineret id, quod praecipue semper studuit.

Sequitur.

Ascon.] 12. Haec quum tu effugere non potuisses, (1) contendes tamen et postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, sordidissimae, levissimae, vanissimae genti, ac, prope dicam, pellitis testibus condonetur (2).

Avum nunc Scauri maternum significat L. Metellum pontificem maximum quem postea quoque nominat: nam paternus avus proavusque Scauri humiles atque obscuri fuerunt.

Vers. a novissimo CLX.

Idem] 13. Vndique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocunque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Curia illa vos de gravissimo

dorus lib. XII, c. 11. Testator enim ex Scauriana somtum esse. Non possum autem hoc loco praetermittere quae scribit Plinius de elephantis lib. VIII, c. 3 in eandem prope sententiam: *Circumventi*, inquit, *elephanti a venantibus, primos constituunt, quibus dentes sunt minimi, postea fessi impactos arbori frangunt, praedaque se redimunt. Haec Plinius.* Quod nisi esset aperta Servii et Isidori sententia, de *Castoribus* hic a Cicerone sermonem esse, dubitare sane potuissemus, an non de elephantis haec prolata fuissent. Nam et apud Plinium, qui de elephantis loquitur verbum est *redimere*, idem illud quo hic Cicero utitur. Patr. Ceterum inter nostros physiologos constat illam opinionem veterum de Castoribus meram esse fabulam, praesertim quum castoreum illud quod dicitur non testiculis fibrorum, sed potius aliis quibusdam vesiculis, contineatur. Sch.

(1) Significat Triarium in suspicionem criminis delapsum tam vehementer Scaurum accusare non debuisse. Domum autem Triario videtur Cicero inter alia obiecisse quum dixit: *Domus tibi deerat? at habebas.* Sig.

(2) *Pelliti* dicuntur ferarum pellibus amicti: Tunicas enim ex pelle olim extitisse, demonstrat Iulius Pollux VII, 15. Hicque adeo eiusmodi habitus priscorum quondam passim fuisse videtur hominum illorum, quos Ennius *Caseos* vocabulo sabinas, ut sentit Varro, originis appellat: quorum quum simplex in universum ipsa vita esset, simplex etiam et parabilia tam cibus, quam vestitus exstiterit

principatu patris (¹) fortissimoque testatur, L. ipse

necesse est. Itaque Lucretius lib. V de priscis hominibus loquens quum paulo ante dixisset: *Nec dum res igni scibant tractare neque uti Pellibus*, statim infert: *Inde casas postquam ac pelles igneamque pararunt*, eiusque rei rationem postea aliquanto exponit, inquiens: *Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat*, et concludit: *Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis Exercent hominum vitam, belloque fatigant Pellis enim cecidit vestis contemta farinae* etc. Idem Propertius nota illa de antiquitate Romae elegia, significat, inquiens: *Pellitos habuit rustica turba patres*. Et idem Festus quoque lib. IX his fere verbis: *Pellibus*, inquit, *antiqui intuebantur, ob id et nova nupta in pelle lanata solet considere*. Et libro item XIV, *Hercules ob id quoque*, inquit, *pellem habere fingitur, ut homines cultus antiqui admoneantur*. — Tacitus quoque in libello de populis et ritibus Germaniae vestitum eiusmodi Germanis attribuit, quod ipsum Caesar quoque lib. VI de bello Gallico scriptum reliquit, qui eos parvis rhenonum tegmentis usos fuisse scribit. Itemque Sauromatis vestitum eiusmodi attribuit lex XXV, *D. auro et argento legato*. Item Scythis Iustinus lib. II, c. 5. Item Getulis Varro lib. II de R. R. c. ult. et omnino Septentrionalibus omnibus Virg. lib. III Georg. *Hyperboreo septem subiecta Trioni Gens effrena virum vicino tunditur Euro Et pecudum fulvis velantur corpora setis*. Et Ovidius ipse saepe, dum suos Getas modo *pellitos* modo *hirsutos* vocat. Postmodum hic habitus rusticis tantum et lugentibus, et omnino tenuioris fortunae hominibus erat relictus. De *rusticis* testatur Homerus lib. XIV Odyss. non uno in loco, et Propertius in dicta elegia, *Verbera pellitus setosa movebat arator*. De *lugentibus* tradit Festus eodem illo libro XIV, qui diebus luctus lugentes omnes in *pellibus* esse consuevisse scribit. De *egentibus* autem ex illo Q. Aelii Tuberonis facto cognosci potest, qui in epulo, quod tum Q. Maximus dabat Africani patrui nomine, lectulos punicatos *pellibus hoedinis* stravit, et pro argenteis vasis *Samia* exposuit, quasi videlicet paupertatem suam repraesentare vellet, de quo praeter ceteros scribit Valerius lib. VII, c. 5, et Cicero pro Murena c. 36. Ex quibus quidem ad hunc modum expositis rebus *pelliti* sane hoc loco dici viderentur pro rudibus quibuscumque et gentibus ac barbaris hominibus; nisi quod ego de Sardis ipsis proprie dictum fuisse existimo, quos *pellitos* appellat propter *mastrucam*, peculiarem ipsorum vestem, quae ex *pellibus ferarum* conficiebatur, ut adnotat Isidorus. Ergo *pellitis testibus* intelligo *Sardis testibus*, quos alioqui quum de bello loquitur *mastrucatos latrunculos* vocat, in ea de provinciis consularibus. Lego autem quoque pro *condonetur*, *condemnetur*. Pata.

(1) *Principatum senatus* intelligit, quod mihi quidem vox *curia* visa est indicare. Erat enim Scauri huius pater, quem Cicero defendit *senatus princeps*, quod superius etiam ex Asconio attigimus, et loci sunt qui demonstrent Sallustii primum in Iugurtha, deinde Plinii Hist. nat. lib. II, c. 54, Valerii lib. IV, c. 4, postremo autem Ciceronis quoque ipsius, de Orat. II, c. 47, ubi de Norbani seditione. Est autem h. l. *principatus* sic dictus, quemadmodum *tribunatus* aut *consulatus*, dignitas videlicet princi-

Metellus, avus huius, sanctissimos Deos illo constituisse in templo (1) videtur, in vestro conspectu, iudices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecarentur.

Castoris et Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecerat.

Laudaverunt Scaurum consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, (2) L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pr., Cn. Pompeius magnus. Horum magna pars per tabulas laudaverunt qui aberant: inter quos Pompeius quoque; nam quod erat pro consule, extra urbem morabatur. Vnus praeterea adolescens laudavit frater eius Faustus Cornelius Sullae filius. Is in laudatione multa humiliter et cum lacrymis loquutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse, permoverat. Ad genua iudicum, quum sententiae ferrentur, bifariam se

pis senatus, in qua quidem significatione haud scio an nullus praeterea locus exstet apud Ciceronem ubi sic accipiatur; quemadmodum etiam *iudicatus* Philipp. I, 8: *Quid? isti ordini iudicatus*, inquit, *lex Iulia non patebat?* Nam apud Gellium quidem lib. XIV, c. 11, ad eundem modum positum reperitur, *Iuravi mihi non liquere*, inquit, *atque ita iudicatu illo solutus sum.* Similiter *centuriatus* pro centurionis munere atque officiu exstat in orationibus pro lege Manilia et in Pisonem. Et *aedilatus* apud Festum lib. I pro *aedilis munere*, quum nunc *aedilitatem* dicimus. Et *optionatus* apud Catonem in libro eiusdem Festi XIV. Est autem *optionatus* optionis officium, id autem est eius, qui a decurione aut centurione optatus est ad privata ministeria, ut est apud eundem Festum libro eodem paulo superius. De *optione* autem *ipso* vide etiam Nonium, quamquam loco non satis elimato. PATR.

(1) De aede Castoris loquitur, ut etiam adnotavit Asconius, ab A. Postumio dictatore bello Latino vota, et ab eius filio IIviro dedicata. Livius lib. II. Quod de Metello dicit, id et exponit satis Asconius, et significat praeterea Cicero ipse alibi Verr. III: *Dubitamus*, inquit, *quid iste in hostium praeda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit.* Quo in loco vide etiam Pedianum. Sed scribit etiam Plutarchus, quod huc propius quodammodo spectare videtur, Caecilium hunc Metellum Florae simulacro, pulcritudine insigni hanc aedem exornavisse. Quod autem inquit *in vestro conspectu* significat in foro fuisse aedem positam, ut idem ait Verr. III, et VII in fine. Dionys. Halic. et Appianus prope aedem Vestae exstructam fuisse significant. PATR.

(2) Si lectio vera esset, M. Perperna qui cos. fuit A. V. 661, hoc anno, quo Scaurus accusatus et defensus est, A. V. 699, annos circiter LXXVII natus fuisset. Itaque Manutio videbatur legendum esse *L. Murena*.

diviserunt qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipse, et M. Glabrio sororis filius, et Paulus, et P. Lentulus Lentuli Nigri flaminis filius, et L. Aemilius Buca filius et C. Memmius Fausta natus supplicaverunt: ex altera parte Sulla Faustus frater Scauri, et C. Aronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupserat dimissa a Memmio, et T. Peduceus, et C. Cato, et M. Olena Scortianus.

Sententias tulerunt senatores duo et XX, equites tres et XX, tribuni aerarii XXV.

Ex quibus damnaverunt senatores IV, equites II, tribuni II.

Cato praeterea (1), quum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitae multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam gravem sententiam habuit.

Subscriptores eius M. et Q. Pacuvii fratres denas, et L. Marius tres graves habuerunt.

Cato praetor iudicium, quia aestate agebatur, sine tunica exercuit campestri sub toga cinctus. In forum quoque sic defenderat, iusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ac Tatii statuae in Capitolio, et in rostris Camilli fuerunt, togatae sine tunicis.

Carisius *l.* 2] Vniverse.

Fronto] Adii casas aratorum.

Idem] De te recordor.

Idem] Hoc nomine audito, quod per omnes pervagatum est.

Idem] In illa bona invadere nullo modo potuisset.

(1) Recentiores aliquot Asconii editiones habent *praetor* corrupte. Sed *praeterea* antiquae editiones cum codd. ambrosianis.

ORATIO

PRO

M. TVLLIO

ARGVMENTVM

P. Fabius emerat fundum in agro Thyrino, cui adfinis erat M. Tullius. De agri finibus primum controversiae exortae sunt; deinde de aedificio in centuria Populiana extructo, quod esse in suo aedificatum contendebat Fabius. Servi ultro citroque missi sunt. Tandem ventum est ad arma. Familia Fabii summo mane ad aedificium venit, servos M. Tullii nec opinantes adoritur, et miseranda caede omnes, Philino excepto, obtruncat, tectum villamque disturbat, omnia dissipat. Priore actione negabat Fabius hanc caedem ad familiam suam pertinere; hac altera confessus est. Quare Cicero totus est, ut evincat caedem dolo malo factam esse. *Damnum passum fuisse Marcum Tullium* (1) *convenit mihi cum adversario; vi hominibus armatis rem gestam esse non inficiantur; a familia P. Fabi commissam negare non audent. Iam dolo malo factum sit ambigitur.* Ita Marcianus Capella lib. V. cap. *de partitione* memoriter recitans huiusce Orationis locum, quem integrum ac sanum servavit Victorinus in I *Rhetoric. Ciceronis* cap. LVII. Contra L. Quintius, vel Quinctius, patronus Fabii contendebat, non iniuria disturbatum fuisse aedificium Tullii, quippe in fundo Fabii extructum; iure occisos esse eos, qui non ita pridem Fabii servum interfecerant, atque ipsum Fabium vita spoliaturi fuissent. Itaque tota causa fuit de verbis interdicti a Lucullo propositi; quemadmodum illa pro Caecina versata est in enarrando Interdicto

(1) Pro *Marcum Tullium* legitur corrupte *Marcum Rullum* in aliquot certe Capellae editionibus. Sed mendum tollitur maxime quidem ab egregio codice Capellae Ambrosiano (F. 119. part. sup.) in quo apertissime legitur: *Cicero pro Marco Tullio ait*, *Damnum passum fuisse Marcum Tullium* etc. MAI.

de vi hominibus armatis. Quare merito Tacitus in Dialogo *de Oratore*, inquit: *Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina, quae pro M. Tullio, aut A. Caecina legimus?* Porro ea dixit immensa quippe quae quum intra claustra interpretationis Interdictorum contineantur, neque ultra illa exspatientur amenis egressionibus, non seque lectu sunt iucunda, ac ceterae orationes, quae in latioribus eloquentiae campis versantur; iam vero quae minus grata nobis contingunt, eadem quoque videri solent prolixa et immensa.

Habita est haec Oratio Marcello Praetore; quo anno non satis constat. Aeque latet qui fuerit M. Tullius. Eum esse M. Tullium Decnlam, qui consulatum, Cicerone adolescente atque ad eloquentiae laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit A. V. 672, opinatur Sigonius, cui suffragatur Vossius *de Analog.* II, 3. Contra Heinrichius p. 58: *Ego non credam, Ciceronem adolescentem ita de cliente, viro consulari, dicturum fuisse, ut nunc legimus initio huius fragmenti. Qui P. Sextium in causa ea, cuius Orationem habemus A. V.* 697, *postulavit de vi, is* quidam *M. Tullius dicitur a Cicerone ad Q. fr. II,* 3, *et erat cognomine Albinovanus. Vid. in Vatinium c.* 1. *Oratoris libertos M. Tullios, Tironem et Lauream (vid. Manut. in Epist. ad famil. V.* 20) *huc non temere quisquam vocarit.* Quum Taurinensia fragmenta maiorem lucem non affundant nomini M. Tullii, praestat rem iniudicatam relinquere. Peyr.

ORATIONIS

PRO

M. TVLLIO

FRAGMENTA

AD FIDEM RECENSIONIS CL. PROF. PEYRONI

1 *Antea sic hanc causam adieram*, Reciperatores, *ut nunquam dic*turos adversarios arbitrarer, tantam caedem et tam atrocem ad familiam suam pertinere: itaque animo soluto a cura et a cogitatione veneram, quod intelligebam, facile id me testibus planum facere posse. Nunc vero, posteaquam non modo confessus est vir primarius L. Quin*ctius*, *verum etiam*

M. Tullio) Hanc orationem ego pro M. Tullio Decula, qui consulatum, Cicerone adolescente, ad eloquentiae laudem virescente cum Cn. Dolabella gessit (A. V. C. 672) dictam suspicor. Defendit autem eum de vi, quantum ex orationis fragmentis intelligere possum. Artificium huius defensionis his verbis expressit Fortunatianus in Rhetorica: *Voluntas legis tertio consideratur, quum exemplo multarum legum probamus, praesentem quoque legem ita sentire, sicut M. Tullius fecit pro M. Tullio.* C. SIGONIVS. Vix tamen mihi persuadeo hanc orationem ab adolescente Cicerone pro viro consulari dictam esse. SCHVTZ.

1. *Antea sic hanc causam*) Has voces videre mihi videor in prima linea. Saltem prima litera A certissima est. Duo versus sequentes ita evanuerunt, ut vix vestigia supersint earum literarum, quas in huiusce folii Imagine repraesentavi. Textum sarcivi probabiliter, meo quidem iudicio; superest ut idem lectoribus probetur. Haec prima esse totius Orationis verba, vel me tacente, quisque intelligit. PEYR.

L. Quinctius) Adversarius Ciceronis in hac causa, et P. Fabii patronus, fuit L. Quintius. De hoc Cicero in Bruto LXII, ait: *Complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus, quo in genere nuper L. Quintius fuit.* Reapse hic idem Quintius patronus fuit Oppianici in horribili illa causa Cluentii. Et eum quidem in ea oratione saepe exagitat Cicero, capite praesertim XL, ubi

*eius testes profitentur apertissime, video aliam mihi defensionis viam esse ineundam. Antea enim in eo la*borabam, ut, quod arguebam, id factum esse ostenderem; nunc in eo consumenda est oratio, ut ne adversarii, quod infitiari nullo modo potuerunt, quum maxime cuperent, id quum confessi sunt, meliore loco esse videantur. Itaque tum vestrum difficilius 2
iudicium, mea facilis defensio fore videbatur. Ego enim omnia in te*stibus ponebam, quorum ipse consensus quasi conflatus iudicandi moram vobis iniiciebat. At confessio adversarii in me rei difficultatem transtulit. Etenim* quid est facilius, quam de eo, qui confitetur, iudicare? mihi autem difficile est satis copiose de eo dicere, quod nec atrocius verbis demonstrari potest, quam reipsa est; neque apertius oratione mea fieri, quam ipsorum confessione factum est.

Quum in hac re, quam commemoravi, mihi mu- 3
tanda ratio defensionis, *tum erga P. Fabium paulo*

eum sic graphice describit: «Facite enim, ut non solum mores eius et arrogantiam, sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.» Mal. Fuit tribunus plebis maxime popularis ac seditiosus a. V. 680. Vid. Pighius ad ann. 679, tom. III, pag. 305. Hunc eundem videri quem Cicero dicit familiarem suum ad Att. VII, 9, vana est Corradi suspicio, quam cum aliis aliorum non melioribus coniecturis nollem Ernestius repetisset in Indice historico. Heinr. In supplenda lacuna id erat curandum, ut versus essent sex, quorum quisque quindecim minimum constaret literis, nec ultra viginti haberet. Mihi quidem eam, quam expressi sententiam, ratio contextus exposcere videbatur; quod si futuri editores meliora dabunt, lubentissime amplectar. Peyr. et sic deinceps, nomine omisso.

Confessi) Codex *confessi*.

2. *Iudicium*) Codex *diudicium*.

Testibus ponebam) Consensus testium quum facilem Tullio defensionem faciebat, tum Recuperatoribus iudicandi difficultatem creabat, suspicionem enim conspirationis afferre poterat; recole fragmenta pro Scauro, et Quintilianum de testibus V, 7. *Consensum conspirantem et paene conflatum* dixit Cicero pro Ligario XII. Iudicandi mora iniicitur iudicibus, quoties alteruter patronus ita causam suam defendit, ut iudices *sibi non liquere* pronuntient; vide pro Caecina 2.

3. *Tum erga*) Nullus dubito hanc fuisse Tullii mentem in versibus de-

remittendum est de illa lenitate, qua priore actione omnia sua tanto studio vel dissimulaveram, vel excusaveram, ut non minus diligenter illius existimationem, quam rem M. Tulli viderer defendere. Nunc, quoniam Quinctius ad causam pertinere putavit, res ita multas, falsas praesertim et inique confictas, proferre de vita et moribus et existimatione M. Tulli, multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere, si minus eius famae
4 parcere videbor, quam antea consului. Pr*iore actione summopere cavi ab offendendo Fabio: sed quando Quinctius, mutato defensionis ten*ore, putavit ad officium suum pertinere, adversario nulla in re parcere; quid me oportet Tullium pro Tullio facere, homine coniuncto mecum non minus animo, quam nomine? Ac mihi magis illud laborandum videtur, Recuperatores, ut, quod antea nihil in istum dixi probrosi unquam,

perditis. Summam *lenitatem* sibi ipse saepe tribuit Cicero.

4. *Priore actione*) Deficiente lacunae mensura, ad quam divinationis meae verba exigerem, haec inserui tantum, ut quivis videat pauca defuisse ante primas Ambrosiani folii voces.

Recuperatores) In causa possessionum recuperandarum dabantur potissimum Recuperatores a Praetore; quare Festus ad voc. *reciperatio* inquit: « Per Reciperatores reddantur res recipianturque, resque privatas inter se persequantur. » Sic, ut praetermittam *recuperatorium iudicium*, de quo Cicero in Verr. III, 11, et illud in causa Caecinae, video Recuperatores datos in causa iniuriarum apud Gellium XX, 1, et lib. de Inventione II; in causa pecuniae creditae apud Plautum Bacchid. II, 3, 36, et arrhabonis accepti apud eundem Rud. V, 1, 2; in decernenda corona murali apud Livium XXVI, 48; in eos, qui iugerum numerum ex edicto praetoris professi non essent, apud Ciceronem in Verrina V. Iudices hi a praetore demandati tres esse solebant. Ambrosianus plerumque scribit *recuperatores*, Taurinensis ut plurimum *reciperatores*, quae vetustior est orthographia.

Ut quod) Ambrosianus *ut quod antea nihil in istum dixi probar* * * * * * *um quam in eo reprehendar*, ita tamen, ut in quinque evanidis literis Cl. Mai hasce deprehendat *eposs*. Revera prima et altera sunt literae longae; tertia exhibet speciem vocalis O. Quare Vir Cl. in prima editione emendabat *ne quod antea nihil in istum dixisse probare possum in eo reprehendar*; in altera vero *ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim quam inique reprehendar*. Guillelmus Cramerus reponebat *ut, quod antea nihil in istum dixi, probare*

in eo reprehendar, quod hoc tempore respondeo. Verum et tum id feci quod oportuit, et nunc faciam quod necesse est. Nam quum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum datum M. Tullio diceremus, alienum a mea natura videbatur quidquam de existimatione P. Fabi dicere; non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit, ingratiis ad maledicendum non soleo descendere. Nunc quum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum verecunde modiceque faciam, tantum ut, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius iudicare, nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat.

possim, quom in eo reprehendos. Mihi vero visum est legere *probrosi unquam.*

In istum) In P. Fabium, ut patet inferius. MAI.

Reprachendar) Cum diphthongo scribunt vetusti codices, vide Niebuhrii *Frogmenta* pag. 47.

5. *A mea natura*) Praepositio *a* aberat a codice.

Res postulare) Namque iudicium de vi hominibus armatis pertinet ad summam deiectoris existimationem, vide pro Caecina 2.

Quid ergo est) Abrupta haec videntur, sed veram in se artem habent. Qualia ni attendis, quid sit orator, non intelligas. Poterat sic decurrere oratio: non, qoia res postulare non videretoe, sed qoia, tametsi postulat causa, tamen nisi plane cogit etc. Eum cursum sistit Orator subito, interrogans: *Quid ergo est?* et nunc denique rationem dicit. HEINR.

Ingratiis) Loquutio est elegans optimaeqoa aetatis, *cogere*, vel *cogi ingratiis* i. e. invitum, repugnantem: quo de verbo vulgatom olim errorem Ob. Gifanii ex eius Indice Lucretiano, alioquin bonae frugis pleno, correxerunt iam dudum Scioppius Verisimil. I, 20, et Vossius de Analog. I, 2 et 47. — Orator pro Quintio c. 14, *extorquendum est invito atque ingratiis*; qood Facciolatus bene explicat: velit nolit. Denique ipsum hoc *cogere ingratiis* dicunt Terentius Heaut. III, 1, 37, et Nepos Themist. IV, 3. *H.*

Modiceque) Codex *modique.* Rectissima coniectura Heinrichius emendavit *modiceque.* Sic pro Sulla 29, *a me timide modiceque dicetur*; pro Caelio 13, *nunc ogam modice, nec longius progredior, quam me mea fides et causa ipsa coget*; et Sen. 1, *modice ferre.* Monuit etiam idem Philologus verba *tantum ut* seiungenda non esse; sic pro Flacco 28, *submissa voce ogam, tantum ut iudices audiant*; pro Caecina 8, *praetor interdixit — sine ulla exceptione, tantum ut, unde deiecisset, restitueret.*

Priore actione) hinc cognoscimus bis Ciceronem dixisse pro Tullio. MAI.

6 Vnum hoc abs te, L. Quinti, pervelim impetrare; quod tametsi eo volo, quia mihi utile est, tamen abs te idcirco, quia aequum est, postulo: ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut his aliquid ad iudicandum relinquas; namque antea non defensionis tuae modus, sed nox tibi finem dicendi fecit. Nunc, si tibi placere potest, ne idem facias, id abs te postulo. Neque hoc idcirco postulo, quod te aliquid censeam praeterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere, verum ut semel unaquaque de re dicas: quod si facies, non vereor, ne dicendo dies eximatur.

7 Iudicium vestrum est, Recuperatores, quantae pecuniae paret dolo malo familiae P. Fabi vi hominibus armatis coactisve damnum factum esse M. Tullio. Eius rei taxationem non fecimus: aestimatio vestra est: iudicium datum est in quadruplum.

6. *Aecum*) Pro *aequum*, uli etiam Bavaricus et Vaticanus codd. apud Garatonium ad Plancianam cap. XV. Confer in fragmenlu Orationis pro Flacco cap. 2, *relicum* pro *reliquum*. Mai. In Taurinensibus membranis vidi *aecum*, *relicum*, tum etiam *aequum*, *reliquum*, *iniquom* incerta plane orthographia.

Vt his) Scil. recuperaloribus. In cod. MS. scriptum est, *is*, pro *iis* vel *his*. Schutz.

Fine dicendi) Sic codex; lege *finem*.

Quod te aliquid) Quum Cl. Mai legisset *quu te aliquid*, Heinrichius malebat *quod*, nec in textum inducere audebat. Revera codex habet *quod*; al litera D, ulpote postrema longi versus, scripta est forma minori.

7. *Iudicium vestrum est*) Haec est formula iudicandi a Praetore data. Cram.

Taxationem) Hinc apparet *taxationem* dici de pecuniae summa, quae a patrono deiecti proponebatur ob damnum datum; *aestimationem* vero de ea, quae a iudicibus post damnatum reum, decernebatur.

Fecimus) Ambrosianus *fecim*; Taurinensis *fecimus*.

Quadruplum) Quum multas leges in hisce fragmentis commemorat Cicero, quae, utpote simillimae, facile legentem possunt in errorem inducere, tum iuvat eas singillatim enarrare.

Lex erat Aquilia, seu verius plebiscitum de damno, cuius capite primo cavebatur, ne damnum inferretur, eaque poena statuebatur, qua laedens tanti condemnabatur, quanti plurimi homo, vel animal laesum eo anno fuerit. Contra inficiantem actio erat in duplum. Vocabulum INIVRIA adeo

erat solemne in hoc plebiscito, ut, si ius occidendi vel laedendi appareret, actio Aquilia prorsus inhiberetur. Vide illam in Digest. lib. IX, tit. II.

Proximum sequitur antiquissimum interdictum *de Vi*, quod a Cicerone his verbis proponitur: «Vnde tu, aut familia tua, aut procurator tuus illum, aut familiam, aut procuratorem illius in hoc anno vi deiecisti, quum ille possideret, nec vi, nec clam, nec praecario possideret, eo illum restituas iubeo,» atque adeo interdictum *Vnde Vi* appellabatur. Porro non *Vis* armata atque solida hic intelligi debet, sed simulata, qua, quum de fundi possessione controversia esset exorta, litigantes inermes, advocatis testibus, ad constitutum experiundi iuris gratia veniebant in rem praesentem, atque petitor alterum deiiciebat. Quae simulata vis dicebatur *vis facta moribus*, *civilis*, *quotidiana*, frequentes enim erant eiusmodi lites, *ex conventu vis facta*; atque ipse conventus appellabatur *deductio moribus facta*. Hac peracta praeparatione, deiectus praetorem adibat, ut interdictum *Vnde Vi* impetraret; uterque ex iure manu conserebat rem quisque suam vindicaturus. In hanc rem formulae verbosae praestitutae erant, quas ridet Cicero pro Muraena XII.

Sed quum propter temporum iniquitatem vis simulata in solidam vim abiisset, ut petitor homines sive servos, sive liberos cogeret, atque vel adversarium, vel adversarii familiam a fundo controverso armis fugaret, latum fuit interdictum *De Vi hominibus armatis*. Rem declarat Cicero pro Caecina 32: «Dupliciter homines deiiciuntur, aut sine coactis armatisve hominibus, aut per eiusmodi rationem et vim. Ad duas dissimiles res duo deiuncta interdicta sunt. In illa vi quotidiana non satis est posse docere se deiectum, nisi ostendere possit, quum possideret, tum deiectum. Ne id quidem satis est, nisi docet ita se possedisse, ut nec vi, nec clam, nec precario possederit,» at cetera quae lege. Interdicto exceptionem quandoque addebat praetor; ait enim Cicero ibid. 8: «Praetor interdixit, ut est consuetudo. *De vi hominibus armatis*, sine ulla exceptione, tantum ut, unde deiecisset, restitueret.» Quae verba ita enarrat Hotmannus in comment. ad h. l. = Pure ac simpliciter decrevit ut restitueret, neque addit quum Caecina possideret, sed sive possideret, sive non possideret, restitui iussit = Quae Hotmanni interpretatio luculenter refellitur a loco mox laudato pro Caecina 32; hoc enim interdictum omnem de possessione controvertendi locum tollebat; quare Cicero *ib.*: *Possedit enim Caecina*, *Recuperatores*; *et id*, *tametsi extra causam est*, *percurram tamen brevi*. Verum exceptionem commemorat ipse Tullius; Epist. ad famil. VII, 13: *Neque est*, *quod illam exceptionem interdicto pertimescas Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris*. Ita enim vi illata propulsata fuisset. Tota Oratio pro Caecina in interpretando hoc interdicto versetur, quare a pluribus abstineo, id monuisse contentus interdictum *de Vi* cum interdicto *de Vi hominibus armatis* in unum titulum coalnisse in Digest. lib. XLIII, tit. XVI, illa vero adi sis leg. 1, §. 41, et leg. 6 de *litis aestimatione*.

Crescente vero temporum iniquitate, hominumque audacia, qua familiae armatae caedes facerent, aedificia incenderent, bona raperent, Lucullus quantum interdictum proposuit, seu verius paulo mutavit praecedens interdictum. Illud autem cum Cramero hisce fere verbis expressum fuisse credo: «Si cui dolo malo ho-

8 Quum omnes leges, omniaque iudicia, quae paulo graviora atque asperiora videntur esse, ex improborum iniquitate et iniuria nata sunt; tum hoc iudicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam constitutum est. Nam quum multae familiae dicerentur in agris longinquis et pascuis armatae esse, caedesque facere, quumque ea consuetudo non solum ad res privatorum, sed etiam ad summam rempublicam pertinere videretur; M. Lucullus, qui summa aequitate atque sapientia

minibus armatis coactisve damni quid factum esse dicetur, in eum, qui id fecisse dicetur, intra annum, quo experiundi potestas fuerit, in quadruplum, post annum in simplum iudicium dabo. » Atqui hoc interdictum paene concinit cum illo *De Vi bonorum raptorum* Digest. l. XLVII, tit. VIII. Enimvero, verba sunt Crameri, utrobique actio est Praetoria, cuius fundamentum damnum alteri datum, causa dolus malus, instrumentum familia armata coactave, finis quadruplicatio damni, ut ovum non sit ovo similius. Cur autem hoc edictum indeque nata actio postmodum adeo evanuerit, ut, si Vlpianum excipias, in iuris libris eius vix vestigium supersit, id non est difficile ad explicandum. Quum enim orta esset his temporibus, quibus per bella civilia nihil non licere crederetur, ubi ad unius imperium rex redacta est, facilius singulorum licentiae frena iniecta fuerunt. ad quam rem non parum profuit Augusto inde miles perpetuus. Iam vero difficilis est rerum memoria, nunquam posthac, vel rarissime, occursantium. Retinuisse tamen et Seneca videri potest, qui Controv. V, 5, *lex*, ait, *fuit, ut qui sciens damnum dederit, reddat quadruplum, qui insciens simplum*, nec tamen iusto. Quidquid vero sit, noster hic Tullii locus oppido est memorabilis. Inde enim discimus et auctorem edicti de vi coactis hominibus, et causam eius occasionemque proponendi, denique et tempus, quo introductum sit. Etenim ille M. Terentius Varro Lucullus, id ipsi plenum nomen, quum Cos. fuerit cum Cassio Vero A. V. C. 681, non ita multo ante Praetura functus fuerit necesse est, quam peregrinam fuisse solum Asconium auctorem habemus. Quod si cui difficultatem moveat e peregrini Praetoris edicto ius inter cives disceptatum fuisse, is cogitet, quum multa ex urbano in peregrinum aut provinciali transierint, nihil obstare, quin et e peregrino aliqua migraverint in urbanum, praecipue e delictorum materia, quae in primis ius gentium attingere videretur, adeoque Hadriani aetate utraque edicta in unum conflata fuisse. Hucusque doctus Iurisconsultus Cramerus in notis ad h. l.

8. *Omniaque)* Sic Taurinensis; Ambrosianus *omninque*, saepe inutiles diphthongi in hisce schedis occurrunt.

Ad summam remp.) I. e. ipsa respublica in discrimen adducta esse

ius dixit, primus hoc iudicium composuit, et id spe-
ctavit, ut homines ita familias suas continerent, ut
non modo armati damnum nemini darent, verum
etiam lacessiti, iure se potius quam armis defende-
rent. Et quum sciret de damno legem esse Aquiliam, 9
tamen hoc ita existimavit, apud maiores nostros quum
et res et cupiditates minores essent, et familiae non
magnae magno metu continerentur, ut perraro fieret,
ut homo occideretur, idque nefarium ac singulare
facinus putaretur*, nihil opus fuisse iudicio de vi
coactis armatisque hominibus; quod enim usu non
veniebat, de eo si quis legem aut iudicium constitue-
ret, non tam prohibere videretur, quam admonere.
His temporibus, quum ex bello diuturno atque do-
mestico res in eam consuetudinem venisset, ut homi-
nes minore religione armis uterentur, necesse putavit
esse, et in universam familiam iudicium dare, quod

videretur. Heinr. Verba haec *ad summam remp. pertinere* laudat, ni fallor, ex Cicerone Victorinus in I *Rhet. Cicer.* cap. XLVII. Mai.

M. Lucullus) Ius inter peregrinos praetor dixit, teste Asconio ad orationem Ciceronis *in toga candida*. Frater Lucii is fuit, ut narrat Plutarchus in Lucullo. Mai. Asconius ad Or. laud. p. 979, Graev. Plut. in Lucullo c. 1. Est hic M. Terentius M.F. Licinianus Varro Lucullus, frater, non germanus, sed consobrinus, si Eutropio fides, L. Luculli, Cos. cum C. Cassio A. V. 681, a quibus Coss. lex frumentaria Terentia Cassia. Vid. Manut. in Ep. ad Q. fr. II, 1. Pigh. ad an. 680, l. III, p. 306, et H. Verheyk. ad Eutrop. VI, 7. Heinr. Ex imagine foliorum patet legendum esse *adque sapientia*; Cl. Mai edidit *ac sapientia*.

Vt homines) Sic Taurinensis; Ambrosianus *ut omnis*.

9. *Quum sciret*) Sic Taurinensis (quod iam viderat Schützius. *T.*); Ambrosianus *quum scirent*.

Vt perraro) Particula *ut* abest a Taurinensi. Huius intra breva spatium repetitae multa exempla ex Cicerone congerit Heinrichius ad h. l.

Videretur) Sic Taurinensis; Ambrosianus *videtur*.

Admonere) Sic prorsus idem Cicero in orat. pro Roscio Amerino XXV de Solone, qui nullum supplicium parricidio statuerat, ait: « Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur ». Mai.

10. *Ex bello*) Taurinensis *et bello*. Mariana et Sullana tempora respicit.

Et in universam) Ambrosianus non habet particulam *et*, quae ma-

a familia factum diceretur; et reciperatores dare, ut
" quam primum res iudicaretur; et poenam graviorem constituere, ut metu comprimeretur audacia; et illam latebram tollere DAMNVM INIVRIA, quod in aliis causis debet valere, et valet lege Aquilia; id ex huiusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset. . . . .

xime opportuna est. Quaestio a iuris peritis instituebatur, utrum legi Aquiliae locus esset, si servus caedem noxamve fecerit. Ita vero Vlpianus Digest. lib. IX, tit. IV, l. 2 rem definit: « Si servus, sciente domino, occidit, in solidum dominum obligat; ipse enim videtur dominus occidisse: si autem insciente, noxalis est; nec enim debuit ex maleficio servi in plus teneri, quam ut noxae eum dedat..... Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam, et legem duodecim tabularum. Nam in lege Antiqua, *si servus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis*, nec dominus suo nomine tenetur; at in lege Aquilia (inquit) dominus suo nomine tenetur, non servi. Vtriusque legis reddit rationem; duodecim tabularum, quasi voluerit servos dominis in hac re non obtemperare; Aquiliae, quasi ignoverit servo, qui domino paruit, periturus si non fecisset ». Lege ergo Aquilia solus tenebatur dominus. Iam vero quum solerent domini illa uti exceptione, qua profiterentur, se inscientibus, damnum a familia datum esse, seu, ut ait Tullius, *quod a familia factum diceretur*; tum Lucullus *et in universam familiam* iudicium ampliavit, ut domini *familias suas continerent*.

Quod a familia) Cl. Mai edidit *siquod*, neutro codice suffragante.

11. *DAMNVM INIVRIA*) Solemnia verba, quibus hoc iudicium designabatur. Sic Cicero *pro Comoedo* XI: *Lite contestata, iudicio DAMNI INIVRIA constituto, tu sine me cum Flavio decidisti.* Vlpianus ad legem Aquiliam Digest. IX, II, 1: *lex Aquilia omnibus legibus, quae ante se de DAMNO INIVRIA loquutae sunt, derogavit*, atque alibi saepe apud iurisconsultos. Cave tamen, ne credas scribendum esse DAMNVM INIVRIAE, phrasis enim elliptica est pro *damnum iniuria datum*. Praeter illud effugium, quod damnum non a domino, sed a familia datum diceretur, quum alia dominis superesset latebra, qua contendebant, noxam non iniuria, sed iure illatam fuisse; tum Lucullus nullam defensionis spem relicturus edixit de INIVRIA non esse quaerendum, quod adeo vocabulum in suo interdicto non admisit.

In aliis causis) Haec et sequentia, quae Taurinensis suppeditat, ita sunt in Ambrosiano obliterata, ut diligentissimos Cl. Mai oculos fallerent; me meliora sed non omnia legisse demonstrat Imago huiusce folii.

Datum esset) Desiderantur septem versus in Ambrosiano.

ne privati ipsi statuerent, quo tempore possent suo iure arma capere, manum cogere, homines occidere. Quum iudicium ita daret, ut hoc solum in iudicium venire videretur, ne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiae datum *esset*, neque illud adderet INIVRIA, putavit se audaciam improborum sustulisse, quum spem defensionis nullam reliquisset. 12

Quoniam quod iudicium, et quo consilio constitutum sit, cognostis; nunc rem ipsam, ut gesta sit dum breviter vobis demonstro, attendite. 13

Fundum habet in agro Thyrino M. Tullius paternum, Reciperatores, quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum eiusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet, quam iure defendere. Nam P. Fabius nuper emit agrum de C. Clau- 14

12. *Ne privati*) Haec addidi ex coniectura.

Quum iudicium ita daretur) Assentior Heinrichio, qui corrigendum censuit *daret*. SCHVTZ. — Consentit etiam Peyronus V. Cl. adeoque rescripsi *daret*; nam forte -*ur* ortum est ab *ut* sequenti. TYP.

Datum esset) Addidi verbum *esset*.

Reliquisset) Codex hic et pag. 502, pro vulgata scriptura *reliq.* habet *relinq.* — de qua consule Brisson. Parerg. cap. 25, et Hagenbuch. in Epist. Epigraph. p. 566 sqq. Adde quos laudat Smalleuburg. ad L. 2, §. 33 D. de Or. Iur. CRAM.

14. *Thyrino*) Antiqua urbs Lucaniae fuit Thurium: quamquam Acro ad Horatii lib. 2, sat. 8, v. 20 dicit Thurium oppidum Calabriae. At noster codex habet *Thyrinum* pro *Thurinum* ex permutatione consueta inter se vocalium eiusdem, aut proximi soni: nam *y* apud veteres sonabat interdum ut u. Citat hunc locum Quintilianus *Instit.* lib. IV, cap. 2 sub finem, ubi ait: » Initium narrationis frequenter et a re (fieri) sicut pro Tullio Cicero: *Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum* ». Institutionum editio Parisiaca anni MDXLII habet *in agro Tigurino*, ut et codex unus Ambrosianus Quintiliani. Verum longe rectius aliae aditiones *in agro Thurino*, quod confirmant tres codd. Ambrosiani eiusdem Quintiliani. Reapse quis praedium divitis viri romani inter montes potius Helvetios, quam in Lucaniae beato agro requirat? MAI.

Iure defendere) Ita in codice certissime. Aliud agebat Cl. Mai exscribens *iure obtinere*.

P. Fabius) Litera P. praenominis omissa fuit a Cl. Mai, est tamen insignis. P. Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore, cui agro Tullius erat fundo adfinis. Pretio autem sane magno, dimidio fere

dio senatore, cui fundo erat adfinis M. Tullius, sane magno, dimidio fere pluris, incultum, exustis villis omnibus, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius *emerat* . . . .
clam circumscripsisse isti a consulari Macedonia et
15 Asia. Etiam illud addam, quod ad rem pertinet. Imperatore mortuo, pecuniam nescio quomodo quaesitam dum vult in praedio ponere, non posuit, sed abiecit. Nihil adhuc m . . . . am calamitatem vicinorum corrigit, et quod stomachum suum damno Tulli *ex*plere conatus est.

16 Est in eo agro centuria, quae Popiliana nominatur,

pluris, emit hunc agrum incultum, exustis villis omnibus; pluris, inquam, emit, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius emerat. Ita construo Tulliana verba. Cl. Mai in prima editione. «Nam Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore (cui fundo erat adfinis M. Tullius sane magno) dimidio fere incultum, exustis villis omnibus, pluris quam quanti integrum etc.» In altera vero editione: «Nam Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore (cui fundo erat adfinis M. Tullius sane magno) dimidiu fere pluris incultum exustis villis omnibus, quam quanti integrum etc.». Quae interpunctio perimit germanum sensum.

C. Claudio) Videtur hic frater Appii et Publii. Confer orationis pro Scauro n.° 33, cum Scholiaste, qui C. Claudium ait etiam tenuisse Asiam praetorio imperio. Asiae autem et heic mentio fit paulo post. Mai.

Emerat) Post *Claudius* facile addas, quod certe hic fuit, *emerat*. Heinr. Desiderantur decem versus.

15. *Circumscripsisse isti a*) Cl. Mai legit *sircumscripsissetetia*, atque reposuit *circumscripsisset etiam*, aquidem uti legi, sic edidi, neque in contextu mutilo quidquam statuo. Paulo infra fortasse distinguendum erat *Et iam illud addam*.

Ponere) Pecuniam *ponere* et *collocare* sunt verba iuris, et pecuniaria, uti vocat Quintilianus. Cram. Homo pecuniam abiecit in praedio conditionis deterrimae, quippe quod pretio emerat insano. Hoc Orator ait ad rem pertinere; quandoquidem hinc hominis stomachus, et rursum ex stomacho facinus. Heins.

Adhuc m....) Desiderantur decem versus.

Calamitatem) Cl. Mai legit *calamitate*, atque ex ingenio supplevit: — *stultitiam* suam calamitate vicinorum corrigit — Perplacent ista; at ego legi *calamitatem*, neque in contextu mutilo quidquam muto.

16. *Popiliana*) Ita codex, atque Heinrichius ex coniectura. Cl. Mai legit *Populiana*, uti inferius ter habet codex.

Reciperatores, quae semper M. Tulli fuit, quam etiam pater pos*sederat* . . . .

posita esse, et ad fundum eius convenire. Ac primum, quod eum negotii totius et emptionis suae poenitebat, fundum proscripsit; eum autem emptum habebat cum socio Cn. Acerronio viro op... . . . .

. . . .

modum proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane 17 adroganter quod commodum fuit respondit. Neque dum fines auctor demonstraverat. Mittit ad procura-

Quae semper) Codex *qui*; dubito tamen in codice esse *quae*, maxime enim sunt affines literae E et I.

Possederat) Ita mutilem vocem optime supplevit Cl. Mai. Desiderantur undecim versus.

Posita esse) Auguror contextum eiusmodi fuisse: — Fabius secum statuit illa arva usurpare; viderat enim in vicinia posita esse, et ad fundum eius convenire.

Emptionis) *Consumptis*, *redempta*, *exemptum*, *emptum* etc. ita veteres scribebant, vide Iavenatiam ad Livii fragment. p. LVIII.

Poenitebat) Codex *paenitebat*.

Proscripsit) Fundum proscribere est venalem proponere. Mai.

Cn. Acerronio) Par nomen est in Lapide Ferentini apud Muratorium Thes. Inscript. p. 1621, 10, et in fastis consularibus ad a. 790.

Viro op . . .) Mutilam vocem ita supplet Cl. Mai, ut sit *optimo*. Desiderantur undecim versus.

17. *Modum proscripsisse*) Lacuna ante haec verba possit expleri in hanc sententiam: — qui tulit indigne, quum audisset, istum suo arbitratu et sua voluntate totam fundi modum proscripsisse — Nam Fabius videtur fecisse, ut socius queri posset tanquam ille apud Plautum in Trinummo I, 2, 130: *Quiarum dum sum ego unos sex dies, Me absente atque insciente, inconsultu meo, Aedis venalis hasce inscribit literis.* Proscripsit tabulam, se fundum venditurum; ex nota formula. V. Epist. ad Q. fr. II, 6, et de Offic. III, 13. 7. Cf. Brisson. Select. Antiq. III, 8, et G. Cuper. Obs. I, 17. Inscripserat iugerum numerum, quo *modus* agri demonstrabatur. V. Digest. tit. de act. empt. vend. (XIX, 1.) l. 13, §. 14, et tit. de evict. (XXI, 2,) l. 64. Heinr.

Iste) Fabius, qui in iudicio adest: sed dictum, ut mox saepius, cum contemptu. Nam aliter, quippe honoris causa, fere dicitur *hic*. Heinr.

Auctor) Scil. Fabiae venditor. Mai.

Fines demonstraverat) Sic rursus postea *fines Acerronio demonstravit*. Res nova apud Ciceronem, sed in iure Romano translatitia. Legitimae sunt locutiones *fines demonstrare*, *ostendere*, vel *nominare*, in agro vendito: quae est extrema auctoris actio. Qui fines demonstrat, tradit fundum. Digest. tit. de evict. XXI, 2, l. 45. Et demonstrantur fines aut per dominum, aut per servum villicum, domini iussu. Digest. tit. de contrah. empt. XVIII, 1, l. 18, §. 1. Heinr.

torem literas et ad vilicnm Tullius . . . . . .
18 facturum negavit, illis absentibus; fines Acerronio demonstravit, neque tamen hanc centuriam Populianam vacuam tradidit. Acerronius quomodo potuit se de tota re ex*cusabat* . . . .
mine eiusmodi semustilatus effugit. Adducit iste interea in saltum homines electos maximis animis et viribus, et his arma, quae cuique habilia atque apta
19 essent, comparat; prorsus ut quivis intelligeret, non eos ad rem rusticam, verum ad caedem ac pugnam comparari. Brevi illo tempore, Q. Cati Aemiliani hominis honesti, quem vos nostis, duo homines occi-

Vilicum) Cum nna *l*, quod et ipsa vidi in aliis antiquis codicibus, et Garatonins ad *Plancianam* cap. XXV magnopere probat. Inferins tamen cap. IX legitur *villam*, non *vilam*, etsi et *vilam* antiquum dicit Garatonins. Mai.

Vacnam tradidit) Venditus ager vacua possessio est, antequam traditus emtori, isque ingressus est possessionem. Hoc in Pandectis vulgatum nunc primum legimus apud Ciceronem. Sed in ipsa re, hac quidem parte narrationis, summa est obscuritas. Heinr.

18. *Se de tota re*) Ipse quoque cum Cl. Mai legi *sedetorare*, sed concoquere nequeo quod Vir Cl. notat Acerronium sedendo supplicasse. Heinrichius emendabat *possedit*; Niebuhrius in epistolis ad me datis mihi auctor fuit de emendatione *se de tota re excusabat*, quam recepi.

Semustilatus) Ita Palimpsestus; ita Varro apud Nonium Marcellum (p. 263, ed. Paris. 1586) ad fidem codicis Merceri. Cl. Mai edebat *semustulatus*. Revera recentiores scribere amant *ustulo*; sed scripturae antiquioris *ustilo* alia quoque vestigia supersunt; sic in Orat. pro Milone 12, codex Lagomarsinianus 54 legit *semiustilatum*; in Svetonio Tib. 75 sunt codices, qui habent *semiustillandum*; Glossae Cyrilli Ἀπόκαυμα *ustilatio*; sic *optumus*, *lubens*, *monumentum* etc. variata orthographia scribuntur *optimus*, *libens*, *monimentum* etc. Coniici quoque posset *ustilo* antiquis scriptum fuisse pro *ustillo* diminutivo verbo, quemadmodum *quaerela* et *quaerella*, *belua* et *bellua* scribitur.

...mine eiusmodi) Cl. Mai supplet *agmine eiusmodi*; Heinrichius vero *ex discrimine eiusmodi*.

Habilia) Ita reposuit Heinrichius pro mendosa codicis lectione *abitalia*. Ennius dixit *habiles gladios filo gracilento*; Seneca de Ira II, 35: *gladium commodum et habilem*; lege Heinsium animadv. ad Tacit. Ann. XII, 67. Contra Livius XXIV, 24 dixit *inhabile telum*.

19. *Q. Cati Aemiliani*) Ignoti hominis nomen.

Duo homines) *Duo* pro *duos*, quod grammatici concedunt. Mai. Nimi-

derunt; multa alia fecerunt; passim vagabantur armati, non obscure sed ut plane intelligere viderentur ad quam rem parati essent; agros, vias denique infestas habebant. Venit in Thyrinum interea Tullius. Deinde iste paterfamilias, Asiaticus beatus, novus arator, et idem pecuarius, quum ambularet in agro, animadvertit in hac ipsa centuria Populiana aedificium non ita magnum, servumque M. Tulli Philinum. *Quid vobis*, inquid, *'stic negoti immeo est?* Servus respondit pudenter, at non stulte, dominum esse ad villam, posse eum cum eo disceptare si quid vellet. Rogat Fabius Acerronium, nam ibi tum erat, ut secum simul veniat ad Tullium. Venitur. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius, ut aut ipse Tullium duceret, aut ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius; vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea condicione Fabius. Mature disceditur.

rum hanc formam, ut etiam *ambo* pro *ambos*, satis comprobat usus in veteribus codd. et monumentis. Vide Vossium de Anal. II, 6; Gronov. ad Liv. XXXV, 21; Oudendorp. ad Suet. Claud. 14; et Caiet. Marinium in opere praeclaro de Monumentis fratrum Arval. P. I, p. 47. HEINR.

Non obscura) Heinrichius mavult *ut non obscura*.

Thyrinum) Codex *Tyrinum*.

Philinum) Codex *filium*; paulo infra *Philinus quem antea nominavi*.

20. *'Stic ... im meo*) Vulgarem pronuntiationem expressit Orator, quam cl. Mai posthabens edidit *istic ... in meo*.

Venitur) Cl. Mai legit *venit*. In Imagine huiusce folii lineam diagonalem repraesentavi a laeva ad dextram descendentem, quae est pars vocalis V; altera vero pars eiusdem vocalis deest, quum membrana perforata sit; tandem sequitur insignis litera R. Codex itaque habet *venitur*, cui consonat sequens *disceditur*.

Deduceret) Fabius ergo usurus Interdicto *Vnde Vi* appellabat, ut moribus deductio fieret. *Deduci* porro dicebatur ille, qui per vim civilem et quotidianam a controverso fundo deturbabatur; idemque subinde apud Praetorem postulabat, ut unde deiectus fuerat, eo restitueretur. Cf. a me superius adnotata ad n. 6.

Vadimonium) En fortissimum argumentum pro sententia Fr. Polleti, et Bav. Voordae D. *de Vadimonio* cap. II, §. 3 promissum fuisse vadimonium priusquam in ius veniretur, quod plerique negant. CRAM.

Mature disceditur) Haec verba omisit in prima editione cl. Mai, in altera ita legit *datur conceditur*. Haud dubito de lectione. Pars consonae M insignis superest; inter R et D spa-

21 Proxima nocte iam fere quum lux adpropinquaret, ad illud aedificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, servi P. Fabi frequentes armatique veniunt; introitum ipsi sibi vi manuque patefaciunt; homines magni pretii, servos M. Tulli nec opinantes adoriuntur, quod facile factu fuit; neque tam multos, neque repugnantes multi armati paratique occidunt; tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent, ne, si quem semivivum ac spirantem etiam reliquissent, minor is honor haberetur; praeterea
22 tectum villamque disturbant. Hanc rem tam atrocem, tam indignam, tam repentinam nuntiat M. Tullio Philinus, quem antea nominavi, qui graviter saucius e caede effugerat. Tullius statim mittit ad amicos, quorum ea vicinitate tum illi bona atque honesta copia praesto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur, cum amici in comm . . . .
23 Dicam vim factam a P. Fabi familia, adversarii non

lium intercedit nulli, nisi lineari literae excipiendae par (lineares literas voco E, F, I, L, P, T, quia vix unica recta linea pinguntur in codice); postrema syllaba DIS meis quidem oculis luculenta apparebat. Sensus ipse postulat vocabulum, quod notet *discessionem*.

21. *Vi manuque*) Codex *ipsisibimanuque*. Suadente Heinrichio, addidi *vi*. Sic pro Flacco 6, *si quid ipsi audistis de vi, de manu, de armis, de copiis*; tum de leg. Agr. II, 36, *vi ac manu perfringi*. Affinis syllaba BI librarium fefellit.

Tam multos) Cl. Mai legit *iam multos*; ipse in codice vidi *tam*, quod malebat Cramerus.

Gurgulionibus) Hic locus citatur a Capella lib. V, cap. de elocutione, omisso nomine huius orationis: sed nunc apparet ex qua citaverit. Iam quod Capellae editiones habent *eiectis*, vel *exoctis* pro *insectis*, id primum corrigitur nunc a Tulliano palimpsesto, tum etiam a codice Capellae ambrosiano (F. 119, part. sup.) in quo legitur *exectis*. Mai.

Etiam relinquissent) Ita codex, quamvis Cl. Mai omiserit vocem *etiam* in utraque editione.

Is honor) Ita cum Heinrichio emendavi codicem legentem *minorhishonor*. Librarius enim aspirationem modo demit scribens *is*, *em*, *tyrinus*, modo addit *minhis*.

22. *Caede*) Codex *cede*.

Illi bona) Codex *illa bona*.

23. *Dicam vim factam — iudicium est*) Hoc fragmentum a Victorino in

negant; damnum datum esse M. Tullio: concedis:
vici unam rem. Vim hominibus armatis factam non
negas: vici alteram. Dolo malo factum negas: de hoc
iudicium est . . . .

. . . .

turbarunt. Audite, quaeso, in eas res, quas comme- 24
moro, hominum honestorum testimonium. Haec,
quae mei testes dicunt, fatetur adversarius eos vere
dicere; quae mei testes non dicunt, quia non vide-
runt nec sciunt, ea dicit ipse adversarius. Nostri
testes dicunt occisos homines, cruorem in locis plu-
ribus, deiectum aedificium se vidisse; dicunt nihil
amplius. Quid Fabius? horum nihil negat. Quid ergo
addit amplius? suam familiam fecisse dicit. Quomodo?
vi hominibus armatis. Quo animo? ut id fieret quod 25
factum est. Quid est id? ut homines M. Tulli occi-
derentur. Quod ergo eo animo factum est, ut homi-
nes unum in locum convenirent, ut arma caperent,
ut certo consilio certum in locum proficiscerentur,
ut idoneum tempus eligerent, ut caedem facerent,
id si voluerunt et cogitarunt et perfecerunt, potestis
eam voluntatem, id consilium, id factum a dolo malo
seiungere? Ad istuc totum DOLO MALO additur in 26
hoc iudicio eius causa, qui agit, non illius, quicum
agitur. Id ut intelligatis, Reciperatores, quaeso, ut
diligenter attendatis; profecto quin ita sit non dubi-
tabitis.

Si ita iudicium daretur, ut id concluderetur quod 27
a familia factum esset, si quae familia ipsa in caede

I *Rhetor. Cicer.* cap. 57 servatum, collocandum esse duxi in hac Orationis parte; est enim veluti propositio sequentis disputationis, in qua Cicero demonstrat dolum malum nec ab indole huiusce iudicii, nec a vi hominibus armatis coactisve facta seiungi posse.

27. *Si quae familia*) Plerique grammatici scribendum praecipiunt *si quas*; contrariae sententiae patroni iam utantur hoc exemplo.

interesse noluisset, et homines aut servos, aut libe-
ros coëgisset, aut conduxisset; totum hoc iudicium,
et praetoris severitas dissolveretur. Nemo enim potest
haec iudicare, qua in re familia non interfuisset, in
ea re eam ipsam familiam vi armatis hominibus da-
mnum dedisse. Ergo id quia poterat fieri, et facile
poterat, idcirco non satis habitum est quaeri, quid
familia ipsa fecisset, verum etiam illud, QVID FAMI-
28 LIAE DOLO MALO FACTVM ESSET. Nam quum
facit ipsa familia vi armatis coactisve hominibus, et
damnum cuipiam dat, id dolo malo fieri necesse est;
quum autem rationem init, ut id fiat, familia ipsa non
facit, fit autem dolo malo eius. Ergo addito DOLO
MALO, actoris et petitoris fit causa copiosior. Vtrum
enim ostendere potest, sive eam ipsam familiam sibi
damnum dedisse, sive consilio et opera eius familiae
factum esse, vincat necesse est.

29 Videtis Praetores per hos annos intercedere hoc
interdicto inter me, et M. Claudium VNDE DE DOLO
MALO TVO M. TVLLI M. CLAVDIVS AVT FAMILIA
AVT PROCVRATOR EIVS VI DETRVSVS EST cete-
ra ex formula, sicut ita interdictum est, et sponsio
facta. Ego me ad iudicem si defendam, *ut* vi me de-
iecisse confitear, dolo malo negem; et quis me audiat?
non opinor quidem. Quia si vi deieci M. Claudium,
30 dolo malo deieci; in vi enim dolus malus inest. Et
Claudio utrumvis satis est planum facere, vel se a
me ipso vi deiectum esse, vel me consilium inisse, ut

28. *Vt id fiat*) Codex *ut ea fiat.*

Actoris et petitoris) Nomina coniungit etiam Cicero Partit. 110: *sed accusatorem pro omni actore et petitore appello.*

29. *Interdicto inter*) Ita supplevi versum, qui in codice desideratur.

M. Claudius) Nuspiam alibi a Cicerone commemoratus.

Vt vi) Deerat particula *ut* absorpta a sequenti *vi.*

Et quis) Hoc esse etymon vocis *ecquis* tradit Priscianus lib. I.

vi deiiceretur. Plus igitur *prodest* Claudio *quum* interdicitur, unde a dolo malo meo vi deiectus sit, quam si daretur, unde a me vi deiectus esset. Nam in hoc posteriore, nisi ipse egomet deiecissem, vincerem sponsionem; in illo priore, ubi dolus malus auditur, sive consilium inissem ut vi deiiceretur, sive ipse deiecissem, necesse erat te dolo malo meo vi deiectum iudicari.

Hoc persimile, atque adeo plane idem est in hoc 31
iudicio, Reciperatores. Quaero enim abs te. Si ita iudicium datum esset, quantae pecuniae paret a familia P. Fabi hominibus armatis damnum M. Tullio *illa*tum, quid haberes quod diceres? Nihil, opinor. Fateris enim omnia, et familiam P. Fabi fecisse, et vi hominibus armatis fecisse. Quod additum est DOLO MALO, id te adiuvare putas; in quo opprimitur et excluditur omnis tua defensio. Nam si additum id non esset, ac tibi libitum esset ita defendere, tuam familiam non fecisse, vinceres, si id probare potuisses. Nunc, sive illa defensione uti voluisses, sive hac, qua uteris, condemneris necesse est. Nisi putamus *eum in iudicium* venire, qui consilium inierit; illum, qui fecerit, non venire; quum consilium sine facto intelligi possit, factum sine consilio non possit. An quod factum eiusmodi est, ut sine occulto consilio, sine nocte, sine vi, sine damno alterius, sine armis, sine caede, sine maleficio fieri non potuerit, id sine dolo malo factum iudicabitur? An qua in re Praetor illi improbam defensionem tolli voluit, in ea re mihi difficiliorem actionem factam putabitis? Hic mihi isti singu-

30. *Prodest Claudio cum*) Ita supplevi versum mutilum.

31. *Illa tum*) In codice erat...*tum*.

32. *Ita defendere*) Codex *defenderem*.

Sive illa) Codex *sibe illa*, cousueta permutatione literarum B et V.

Eum in iudicium) Ita supplevi mutilum versum.

lari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt, et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo volunt delitescere; in quo non modò, quum omnia ipsi fecerunt quae fatentur, verum etiam si per alios id fecissent, haererent ac tenerentur.

34 Ego non in una re sola, quod mihi satis est, neque in universa re solum, *quod mihi satis est*, sed singilatim in omnibus dolum malum exstare dico. Consilium capiunt, ut ad servos M. Tulli veniant, dolo malo faciunt; arma capiunt, dolo malo faciunt; tempus ad insidiandum adque celandum idoneum eligunt, dolo malo faciunt; vi in tectum inruunt, in ipsa vi dolus est; occidunt homines, tectum diruunt, nec homo occidi, nec consulto alteri damnum dari sine dolo malo potest. Ergo si omnes partes sunt eiusmodi, ut in singulis dolus malus haereat, universam rem et totum facinus sine dolo malo factum iudicabitis?

35 Quid ad haec Quintius? Sane nihil certum, neque unum, in quo non modo possit, verum putet se posse consistere. Primum enim illud iniecit, nihil posse

33. *Delitescere*) Codex *delitiscere*.

Quod mihi satis est) Miror, hanc molestam verborum repetitionem cl. Peyronem silentio praeteriisse. Vtrum typothetae verba praecedentia repetivere, an codex ita legit? Typ.

34. *Set*) Ita pro *sed*; inferius n. 37 *illut* pro *illud*. — In his aliisque huiuscemodi, scripturae varietas dubio literarum sono in pronunciando tribui debet; adeoque non ita religiose in his notandis et imitandis immorandum: nam veteres amanuenses mihi videntur haud satis Latine scisse, quin exscribendo frequenter labereul: quod de recentioribus exscriptoribus etiam verius dici potest. Haud ergo mirum si MSS. fere omnes innumeris erroribus scatent, quos doctus vir profecto in exscribendo vitavisset. Typ.

Omnes partes) Hoc spectabat Boëtius de definit. ed. Paris. an. 1544, pag. 23 inquiens: «Hoc etiam pro M. Tullio tenet (*Cicero*), ubi per enumerationem malorum, per quos fit dolus malus, definitio ita fit, ut singulis speciebus dolus malus possit agnosci».

35. *Iniecit*) Multum diuque haesi in hac voce legenda; tandem intercepta spatia, atque ipsa fugientia lineamenta me permoverunt, ut scriberem

dolo malo familiae fieri; hoc loco non solum fecit, ut defenderet Fabium, sed ut omnino huiuscemodi iudicia dissolveret. Nam si venit id in iudicium de familia, quod omnino familia nulla potest committere, nullum est iudicium, absolvantur omnes de simili causa necesse est. Hoc solum bona mehercule, si hoc solum esset, tamen vos talis viri nolle, deseretis maximam rem coniunctam cum summa re fortunisque privatorum, severissimum iudicium maximaque ratione compositum per vos videretur esse dissolutum. Sed non id solum agitur . . . .
ego intelligo; et tamen *di*cendum est ad ea quae di- 37
xit Quinctius, non quo ad rem pertineant, sed ne quid, quia a me praetermissum est, pro concesso putetur.

Dicis oportere quaeri, homines M. Tulli iniuria oc- 38
cisi essent, nec ne. De quo hoc primum quaero, venerit ea res in hoc iudicio, nec ne. Si non venit, quid attinet aut nos dicere, aut nos quaerere? Si autem venit, quid attinuit te tam multis verbis a

iniecit, nempe obiter mentionem fecit. Sic ad Attic. XVI, 5: *Bruto quum saepe iniecissem de ὁμονοίᾳ*; et pro Quint. 21, *id, quod Hortensium quia nuper iniecit.*

De simili) Consona M vix apparet; penultima litera non bene insignis videtur esse L, est tamen ex genere longarum, seu linearium. Cicero ad Q. fr. II, 16, *de praevaricatione absolutus.*

36. *Hoc solum bona*) Haec et sequentia luculenter leguntur in codice, mutila tamen esse quisque videt, neque facile expedio. Sane pro *nolle* reponendum est *nolite*, tum aliquid deest.

37. *Dicendum*) Primam syllabam DI obliteratam supplevi. Posteaquam Orator interdictum Luculli declarasset, atque caedem a familia P. Fabii dolo malo factam esse demonstrasset, progreditur ad obiecta adversarii diluenda.

38. *Quaeri*) Contendebat Quintius aedificium M. Tullii, utpote in fundo P. Fabii exstructum, iure fuisse dirutum. Conquerebatur ergo praetoris iniquitatem, qui vocabulum INIVRIA non admiserat in interdicto, atque appellaverat tribunos plebis. De eiusmodi appellatione ita Cicero pro Quintio 20: « Tribuni igitur appellabantur .... non est istud iudicium pati, neque iudicio defendere, quum auxilium a tribunis petas. »

Ea res) Ita legere videor fugientia literarum vestigia.

Praetore postulare, ut adderet in iudicium INIVRIA;
et, quia non impetrasses, Tribunos plebis appellare,
et hic in iudicio queri Praetoris iniquitatem, quod
39 de INIVRIA non addiderit? Haec quum Praetorem
postulabas, *quum* Tribunos appellabas, nempe ita
dicebas, potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses,
Reciperatores persuaderes, non esse iniuria M. Tullio
damnum datum. Quod ergo ideo in iudicium addi
voluisti, ut de eo tibi apud Reciperatores dicere li-
ceret; eo non addito, nihilominus tamen ita dicis,
quasi id ipsum, a quo detrusus es, impetraris. At
quibus verbis in decernendo Metellus usus est, *ea*
40 ceteri quos appellasti *confirmarunt*. Nonne haec om-
nium fuit oratio, quod vi hominibus armatis coactisve
familia fecisse diceretur, id tametsi nullo iure fieri
potuerit, tamen se nihil addituros? Et recte, Reci-
peratores. Nam quum, perfugio nullo constituto,
tamen haec scelera servi audacissime faciant, domini
impudentissime confiteantur, quid censetis fore, si
Praetor iudicet eiusmodi caedes fieri iure posse? An
quidquam interest, utrum magistratus peccato de-
fensionem constituant, an peccandi potestatem licen-
41 tiamque permittant? Etenim, Reciperatores, non
damno commoventur magistratus, ut in haec verba
iudicium dent: nam id esset, nec reciperatores potius
darent, quam iudicem; nec in universam familiam,

39. *Cum tribunos*) Particula *cum* vix divinando legi potest.

Nempe ita) Lectu difficilia.

Detrusus) En certas literas *E *** S* S, quare legi etiam potest *depulsus*.

Metellus) Opinor esse praetoris nomen, qui interdictum dederat. Iam vero Marcus Caecilius Metellus praeturam gesserat A. V. 684; vide Act. I in Verr. 9 et 10; Q. C. Metellus Celer praeturae munere functus est, Cicerone consule, A. V. 690. At quum suspicari liceat alios etiam Metellos fuisse per illos annos praetores, tum certo statui nequit, quis iste fuerit.

Ea — confirmarunt) In contextu hiante duo haec verba addidi.

40. *Tametsi*) Librarius scripserat *tamensi*, tum emendavit *tametsi*, ita ut litera T lateat in litera N paulo erasa.

sed in eum *qui*cum nominatim ageretur; nec in quadruplum, sed in duplum; et damno adderetur INIVRIA. Neque enim is, qui hoc iudicium dedit de ceteris damnis, ab lege Aquilia recedit, in quibus nihil agitur nisi damnum; qua de re praetor animum debet advertere.

In hoc iudicio videtis agi de vi; videtis agi de ho- 42
minibus armatis; videtis aedificiorum expugnationes, agri vastationes, hominum trucidationes, incendia, rapinas, sanguinem in iudicium venire; et miramini satis habuisse eos, qui hoc iudicium dederunt, id quaeri, utrum haec tam acerba, tam indigna, tam atrocia, facta essent, nec ne, non utrum iure facta, an iniuria? Non ergo Praetores a lege Aquilia reces-

Quicum) Codex *cum*. Ceterum hic legis Aquiliae actio comparatur cum actione *de Vi bonorum raptorum*, seu cum Interdicto Luculli. Nam ex lege Aquilia Digest. lib. IX, tit. II, leg. 32, si familia damnum dederat, persequutio poenae non in singulos dabatur, ne ex uno delicto tota familia dominus careret, sed sufficiebat id praestari, quod praestandum foret, si unus liber dedisset damnum iniuria; haec paene sunt verba Gaii. Contra in actione *de Vi bon. rapt.* Dig. l. XLVII, tit. VIII, leg. 2, §. 14: « Haec actio etiam familiae nomine competit; non imposita necessitate ostendendi qui sunt ex familia homines, qui rapuerunt, vel etiam damnum dederunt. » Apparet ergo Lucullum iudicium dedisse *in universam familiam*.

In quadruplum) Interdicti Luculliani poena erat *in quadruplum*, quod supra n.° 6.

In duplum) Ex lege Aquilia ita poena aestimabatur, *quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum aes dare domino damnas esto*. Tamen *adversus infitiantem in duplum actio* erat, teste Gaio et Vlpiano Digest. l. IX, tit. II, leg. 2, §. 1, et leg. 23, §. 10. Confessus quidem fuerat Quintius altera actione, illam caedem ad familiam Fabii pertinere; at, praeterquamquod iudicium, negante Quintio, institutum fuerat, novimus progressu temporis poenam legis Aquiliae fuisse quandoque duplicatam. Sic Digest. l. XI, tit. III, de Serv. corr. leg. 5, §. 2: *Haec actio etiam adversus fatentem in duplum est, quamvis Aquilia infitiantem dumtaxat coërceat.*

Damno adderetur) Codex *damnum adderetur*. Vocabulum INIVRIA cardo erat, atque fundamentum actionis Aquiliae. Contra in actione *de Vi bon. rapt.* Digest. lib. XLVII, tit. VIII, leg. 2, §. 22: *Non utique spectamus rem in bonis actoris esse; sive in bonis sit, sive non sit — sive bona fide a me possideatur — dicendum est competere mihi hanc actionem*; ita ut ius, aut iniuria nullum habeat locum.

serunt, quae dę damno est, sed de vi et armatis severum iudicium constituerunt; nec ius et iniuriam quaeri nusquam putarunt oportere, sed eos, qui armis, quam iure, agere maluissent, de iure et iniuria
43 disputare noluerunt. Neque ideo de INIVRIA non addiderunt, quod in aliis rebus non adderent, sed ne ipsi iudicarent posse homines servos iure arma capere, et manum cogere. Neque quod putarent, si additum esset, posse hoc talibus viris persuadere, non iniuria factum; sed ne quoddam scutum dare in iudicio viderentur iis, quos propter haec arma in iudicium vocavissent.

44 Fuit illud interdictum apud maiores nostros DE VI, quod hodie quoque est, VNDE TV AVT FAMILIA TVA AVT PROCVRATOR TVVS ILLVM AVT FAMILIAM AVT PROCVRATOREM ILLIVS IN HOC ANNO VI DEIECISTI; deinde additur illius iam hoc causa quicum agitur QVVM ILLE POSSIDERET, et hoc amplius, quod NEC VI NEC CLAM NEC PRAE-
45 CARIO POSSIDERET. Multa dantur ei, qui vi alterum detrusisse dicitur; quorum si unum quodlibet probari iudici potuerit, etiamsi confessus erit, se vi deiecisse, vincat necesse est, vel non possedisse eum, qui deiectus sit, vel vi possedisse, vel clam, vel praecario. Ei qui de vi confessus esset, tot defensiones tamen ad causam obtinendam maiores reliquerunt.

46 Age illud alterum interdictum consideremus, quod item nunc est constitutum propter eandem iniquitatem temporum, nimiamque hominum *licentiam* . . .

Damno est) Erat in codice ESSET, tum syllaba SE deleta fuit.

43. *Quoddam scutum*) Codex *quodtumenescutum*.

44. *Multa dantur*) Scilicet multa conceduntur, multa effugia dantur.

46. *Licentiam*) Hoc verbum addidi recolens n. 7. Puto Ciceronem hic dixisse de interdicto *De Vi hominibus armatis*. Hoc autem fragmentum anteponendum esse censui proxime sequenti, in quo Orator nonnulla

. . . .

boni debent dicere. Atque ille legem mihi de XII ta- 47
bulis recitavit, quae permittit, ut furem noctu liceat occidere, et luce, si se telo defendat; et legem antiquam de legibus sacratis, quae iubeat impune occidi eum, qui Tribunum plebis pulsaverit. Nihil, ut opinor, praeterea de legibus.

Qua in re hoc primum quaero, quid ad hoc iudi- 48
cium recitari istas leges pertinuerit? Num quem Tribunum plebis servi M. Tulli pulsaverunt? non opinor. Num furatum domum P. Fabi noctu venerunt? ne id quidem. Num luce furatum venerunt, et se telo defenderunt? dici non potest. Ergo istis legibus, quas recitasti, certe non potuit istius familia servos M. Tulli occidere.

Non, inquit, ad eam rem recitavi, sed ut hoc in- 49
telligeres, non visum esse maioribus nostris tam indignum istuc nescio quid, quam tu putas, hominem occidi. At primum istae ipsae leges, quas recitas, ut mittam cetera, significant, quam noluerint maiores nostri, nisi quum pernecesse esset, hominem occidi. Primum ista lex Sacrata est, quam rogarunt armati, ut inermes sine periculo possent esse. Quare non iniuria quo magistratu munitae leges sunt, eius magistratus corpus legibus vallatum esse voluerunt. Fu- 50
rem, hoc est praedonem et latronem, luce occidi vetant XII tabulae, quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, NISI SE TELO DEFENDERIT,

obiecta a legibus petita diluens tandem subdit *nihil, ut opinor, praeterea de legibus.*

47. *Et luce*) Codex *et luci*. Hanc legem XII tabularum commemorant Macrobius Saturnal., Cicero pro Milone, Caius ad leg. Aquil. etc. etc.

Pulsaverit) *Religione inviolatos esse eos* (tribunos) *tum lege etiam fecerunt.* Livius III, 55.

48. *Noctu venerunt*) Codex *venerint.*

50. *DEFENDERIT*) Codex *defendit*. Par locus est in Miloniana 3,

inquit, etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit, non occides; QVOD SI REPVGNAVERIT, ENDOPLORATO, hoc est conclamato, ut aliqui audiant et conveniant. Quid ad hanc clementiam addi potest? Qui ne hoc quidem permiserint, ut domi suae caput suum sine testibus et arbitris ferro defendere liceret.

51 Quis est, cui magis ignosci conveniat, quoniam me ad XII tabulas revocas, quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo opinor. Haec enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunae poena repetatur. Tamen huiusce rei veniam maiores non dederunt. Nam lex est in XII tabulis, SI TELVM MANV FVGIT MA*gis quam iecit* . . . .
. . . .

52 Si quis furem occiderit, iniuria occiderit. Quamobrem?

ubi codices, variatis lectionibus, exhibent *defenderit*, *defenderet*, *defendat*. Discrepant etiam veteres, qui hanc legem commemorarunt. Gellius XI, 18: *Furem — occidi permiserunt*, *si — interdiu se*, *quum prenderetur*, *defenderet*. Iulius Paulus V Sent. 23, 9: *Si quis furem — diurnum*, *quum se telo defenderet*, *occiderit*. At Vlpianus VII, 3, Caius IX, Pandect. 2, 4, §. 1, et XLVII, 2, 54, §. 2, legunt *defendat*. Augustinus II Quaest. in Exod. 84, laudans ipsum Milonianae locum ait: *Hoc et in legibus antiquis — invenitur*, *impune occidi nocturnum furem quoquo modo*, *diurnum autem*, *si se telo defenderit*. Sed cum Garatonio (ad hunc Milonianae locum) observandum est, ei verbo congruere tempora oportere, a quo pendeat infinitivus. Iam in Augustino pendet ab *invenitur*, in Gellio a *permiserunt*, in Miloniana a *voluerunt*. Hoc vero Tullianae loco pendet a *vetant*.

QVOD SI) Codex *quos si*, dubito tamen hic quidpiam latere veteris orthographiae. De voce *endoplorato* ita Festus: « *Endoplorato*, implorato, quod est cum quaestione inclamare. Implorare namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis. »

Arbitris) Codex *arbitriis*.

51. *Magis quam iecit*) Cicero Topic. 17: « Nam iacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subiicitur in vestris actionibus, si telum manu fugit magis, quam iecit. » Idem in Orator. III, 39: « Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, *Si telum manu fugit*. Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato. » Ita ergo mutilus contextus supplendus videbatur.

52. *Si quis furem*) Hoc fragmen-

quia ius constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? Non iniuria. Quid ita? quia constitutum est . . . .

53 tamen verum factum esset non modo servos. Tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos M. Tulli occidere iure non potuisti; verum etiam si tectum, hoc insciente, aut per vim demolitus esses, quod hic in tuo aedificasset, et suum esse defenderet, id per vim aut clam factum iudicaretur. Tu ipse iam statue, quam verum sit, quum paucas tegulas deiicere impune familia tua non potuerit, maximam caedem siue fraude facere potuisset. Ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem, quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas, aut sponsione condemneris necesse est. Nunc hoc probabis viris talibus, quum aedificium tuo iure disturbare non po-

tum a Rufiniano in *Apophasi* servatum inserui hoc loco, qui oativus mihi videbatur.

53. *Tamen verum*) Haec torbata esse quisque videt; paria verba *tamen*, et *non modo servos* fefelleruut librarium. Posteaquam Cicero diluerat ea, quae ex legibus opponebat Fabius, in hoc fragmeoto refutat ea, quae ex familia Tullii obiiciebat.

Hoc insciente) *Hoc*, ablativo casu, nempe Tullio.

Per vim aut clam) Quam recte haec affirmasset Cicero, patet ex Vlpiano Digest. lib. XLIII, tom. 24, *quod vi aut clam* leg. 1 : « Hoc ioterdictum restitutorium est ..... et parvi refert, utrom ius habuerit faciendi, ao non; siva enim ios habuit, siva non, tamen tenetur Interdicto, propter quod Vi aut clam fecit .... *Vi factum* videri Quintus Mucius scripsit, si quis coutra, quam prohiberetur, fecerit. » Tum lege 3, § 7: « *Clam facere* videri Cassios scribit eum, qui celavit adversarium, oeque ei deuunciavit: si modo timuit eius cootroversiam, aot debuit timere. Idem Aristo putat, eom qnoque clam facere, qui celandi animo babet eum, qoem prohiturom se intellegerit, et id existimat, aot existimare debet, se prohibitum iri. » Patet ergo *hoc insciente*, ablativo casu iotelligeodum esse.

Paucas tegulas) « Si quis aedificium demolitus fuerit, quamvis non usque ad solum, quin Interdicto teneatur, dobitari desiit. Proinde et si tegulas de aedificio sustulerit, magis est, ot Interdicto teneatur. » Vlpianus lib. I, leg. 7, §. 9, 10.

Restituas) Solemoe hoc Praetoris verbum servat formula Ioterdicti in Digest. l. l. In privatis controversiis consuevisse petitorem sponsione certae pecuoiae adversarium lacessere norunt omnes.

tueris, quod esset, quemadmodum tu vis, in tuo, homines, qui in eo aedificio fucrint, te tuo iure potuisse occidere?

54 At servus meus non comparet, qui visus est cum tuis. At casa mea est incensa a tuis. Quid ad hacc respondeam? Ostendi falsa esse: verumtamen confitebor. Quid postea? Hoc sequitur, ut familia M. Tulli concidi oportuerit? Vix mehercule, ut corium peti; vix ut gravius expostulari; verum ut esses durissimus. Agi quidem usitato iure, et cotidiana actione potuit; quid opus fuit vi, quid armatis hominibus, quid caede, quid sanguine?

55 At enim oppugnatum me fortasse venissent. Haec est illorum in causa perdita extrema non oratio, neque defensio, sed coniectura, et quasi divinatio. Illi oppugnatum venturi erant? Quem? Fabium. Quo consilio? ut occiderent. Quam ob causam, quid ut proficerent? Qui comperisti? Et ut rem perspicuam quam paucissimis verbis agam, dubitari hoc potest, Recuperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad
66 villam venerunt, an qui in villa manserunt? qui oc-

54. *Ad servus*) Ita pro *at*. Inde videre licet servum P. Fabii, qui Tullii familiam adierat, ita ex hominum oculis evanuisse, ut Fabius ratus illum fuisse a servis Tulli interemptum, horum caede ulcisceretur servi mortem. Idem etiam contendebat suam casam a familia M. Tullii fuisse incensam.

Vt corium peti) Ita codex luculentissime. *Corium* pro hominis pelle atque toto corpore quandoque comici scriptores usurpant; ut *petere corium* sit vitam alicuius, vel aliquem aggredi, quemadmodum, metaphora a gladiatoribus ducta, Cicero pro Murena aiebat: *Sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum petere solere.* Verum petebatne Fabius vitam M. Tullii? Nonne contextus exposcit comparativum adverbium ante vocem *peti*, tum etiam *possit*, vel simile verbum? Quare quum unum et alterum vocabulum desit, tum coniicio integrum versum fuisse a librario praetermissum in pervetusto codice, qui fortasse dabat

erilvixmehercululeutco-
tiugatferociusadversa
rium peti etc.

Meliora ab aliis exspecto.

cisi sunt, an ii, ex quorum numero saucius factus est nemo? qui cur facerent causa non fuit, an ii, qui fecisse se confitentur? Verum, ut hoc tibi credam, metuisse te, ne oppugnarere; quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?

CETERA DESIDERANTVR.

56. *Statuit unquam*) Codex *statutumquam.*

Potest ut eum) In his verbis finem facit folium Taurinense. Cetera habui ex Quintiliano Instit. V, 13, qui locum ita recitat: «Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?»

ORATIONIS

PRO M. TVLLIO

ALIA FRAGMENTA

E PLVRIBVS AVCTORIBVS COLLECTA

1. PRISCIANVS *lib.* 6] Hoc iudicium sic exspectatur, ut non unae rei statui, sed omnibus constitui putetur.

2. MARCIANVS CAPELLA. *lib.* 5] Damnum passum esse M. Tullium, convenit mihi cum adversario. Hominibus armatis rem esse gestam, non inficiantur. A familia P. Fabii commissam, [1] negare non audent. Iam dolo malo factum ambigitur.

3. DIOMED. *l.* 1] Plicavi legimus, ut est apud Ciceronem pro Marco Tullio.

4. MACROB.] Cicero pro Tullio explicavit, ait.

(1) Recte Patricius monuit legendum esse *a familia P. Fabii vim commissam*. SCHVTZ.

AD FRAGMENTVM

ORATIONIS PRO L. FLACCO

MONITVM

ANGELI MAI V. CL.

In oratione pro L. Flacco duae sunt insigniores lacunae, una ante caput III, altera ante IX. Censeo fragmentum hoc collocandum ante caput III, ita ut expleat primam lacunam saltem ex parte. Agitur in capite III olim edito de muneribus a Flacco gestis non sine optima fama pluribus in provinciis, et de testium adversariorum iniquitate atque ignobilitate. Atqui in nostro fragmento de his ipsis agitur; ergo huc pertinere putandum est. Et quidem quum in fine fragmenti dicatur Flaccus puer cum patre consule ad bellum esse profectus, in principio autem capitis III olim editi munera, quibus Flaccus in reliqua vita functus est, enumerentur, videtur omnino fragmentum hoc inserendum esse primae lacunae orationis. (*Etsi hoc fragmentum iam sit insertum in corpore orationis* (*tom. VI, pag.* 302), *denuo tamen illud prelo subiiciam, quia in prima editione, Schützium sequutus, minus emendatum et sine notis eum dederam.* Typ. T.)

ORATIONIS

PRO L. FLACCO

FRAGMENTVM AMBROSIANVM

1 . . . externum cum domestica vita naturaque constaret. Itaque non patiar, D. Laeli, te tibi hoc sumere, atque hanc ceteris in posterum, nobis in praesens tempus, legem conditionemque *constituere* . . . .

2 Quum adolescentiam notaris, quum reliquum tempus aetatis turpitudinis maculis consperseris, quum privatarum rerum ruinas, quum domesticas labes, quum urbanam infamiam, quum Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae, quibus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris, tum denique quid Molitae, et Loreni de L. Flacco existiment audiemus.

1. *D. Laeli*) D. Laelius fuit L. Flacci accusator de repetundis ex Asia. Mai.

Constituere) Cl. Mai perfecturus contextum addebat hoc verbum. Desiderantur undecim versus. Peyr.

2. *Hispaniae — vitia*) Nempe vitia atque flagitia in Hispania commissa. De hac genitivi vi multa exempla congerit Heinrichius ad h. l. P.

Molitae) Lege *Tmolitae*. In edita parte huius Orationis occurrit n.° 3 *Tmolites vicanus*, qui testimonium contra Flaccum dicebat; et n.° 19 Hermippus legationem ducit, quam *non accepit a suis civibus, sed usque Tmolo petivit.* Vtrobique sunt codices, qui *Molites*, et *Molo* legant, quemadmodum in Virgilii *Ge.* I, 56 pro ut *Tmolus* multi libri habent *ut Molus*; quod eo facilius contingit, si postrema praecedentis vocabuli litera sit T, vel alia affinis, uti D in nostro. P.

Loreni) Videtur nomen derivatum ab ignobili Asiae pago. Studiose autem Tullius, ut testium infringat auctoritatem, patriae eorum obscuritatem deridet. Mai. Cramerus malebat *Lorymani*, est enim Lorima urbs Cariae; Heinrichius reponebat *Lorymeni*. P.

Quem vero tot, tam gravesque provinciae salvum 3
esse cupiant, quem plurimi cives tota ex Italia devincti necessitudine ac vetustate defendant, quem haec communis nostrum omnium patria propter recentem summi beneficii memoriam complexa teneat, hunc etiamsi tota Asia deposcit ad supplicium, defendam, resistam.

Quid, si neque tota, neque optima, neque incor- 4
rupta, neque sua sponte, nec iure, nec more, nec vere, nec religiose, nec integre, si impulsa, si sollicitata, si concitata, si coacta, si impia, si temere, si cupide, si inconstanter · nomen suum misit in hoc

3. *Gravesque provinciae*) Enumerantur n.° 40 orat. editae. PEY.

Necessitudine) Cl. Mai vulgavit *necessitudinis vetustate*, in altera vero editione monuit codicem habere *necessitudinem vetustatem*. Ipse legi in codice *necessitudine ac vetustatem*, quare suppleo *necessitudine ac nominis vetustate*; vetustatem familiae L. Flacci pluribus exornat Cicero n.° XI. P.

4. *Optima*) Codex OPTIMOS, ita ut puncto expungatur litera S; scripsi *optima*, scilicet *quae optima esset*; rectius scriberetur *optima pars*. Asia enim, quae accusatores miserat, constabat ex *Phrygia*, *Mysia*, *Caria*, *Lydia* n.° 27, quae provinciae pessime apud Graecos audiebant. Contra aliae optimae provinciae pro Flacci periculis laudatores miserant. Cl. Mai subinde legit *incorruptos*, equidem non vidi syllabam *os*, ideoque edidi *incorrupta*. P.

Impulsa) Cl. Mai legit *improvisa*, quod non assequor. In literas certas incertasque codicis SIINIUISA, ita ut 2.a, 5.a, et 7.a sit una ex literis longis E, F, I, L, P, T, quae vix minimis ductibus distinguuntur in codice. Sane Tullius n.° 2 orat. ed. ait: *Non estis de Lydorum, aut Mysorum, aut Phrygum, qui huc compulsi concitatique venerunt*. P.

Cupide) Quum membrana intercisa sit, vix aliqua vestigia supersunt huius vocis, quae mihi diligentissime rimanti innuerunt vocabulum *cupidē*. Cupiditate permotos fuisse testes plus semel affirmat Cicero: vide praesertim n.° 12 orat. editae. Cl. Mai legebat *putide*. P.

Nomen suum) Cl. Mai legebat *nomina*, quin mendum suspicaretur; quare Heinrichius reponebat *omnia*. Codex procul dubio habet *nomen suum*. Iudice Heinrichio, *mittere rem in iudicium* est efficere, ut de re iudicetur. Quum itaque Asia egentissimos testes Romam legasset, misit nomen suum in iudicium, effecit nempe, ut de suo nomine, suaque testimonii auctoritate iudicandum esset, quod praestitit Cicero in multis orationis partibus, vide praesertim n. 25 et 27. Hic porro sensus non extunditur ex lectione *nomina*. P.

In hoc) Membrana lacera integram non exhibet praepos. *in*; superest tamen extrema pars literae N. P.

iudicium per egentissimos testes; ipsa autem nihil queri vere de iniuriis potest? Tamenne, iudices, haec ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt?

Tenebo igitur hunc ordinem defensor, quem fugit inimicus; et accusatorem urgebo atque insequar; et ultro crimen ab adversario flagitabo. Quid est, Laeli? Numquid ead . . d . . ea . . f . . . no? Qui equidem non in umbra, neque in illius aetatis disciplinis artibusque versatus est. Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus. Nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid . . i asus . . . .

Longinqui) Materis haec est triplicis observationis proprietatis Latinae et vere Ciceronianae. Vnam hic sumam; nec frustra. Legitur in Or. pro Quintio cap. 23, consensu MSS. omnium: « Fides huius multis locis cognita, ne perfidia Sex. Naevii derogetur, laborant.» *Multis locis* quod barbare diceres, multis in casibus, Ciceroni bene frequens, ut *nullo loco* in *Fragm. Scaur.* et sic alia. Sed *derogare fidem alicuius*, hoc est imminuere, constructio nimis insolita et non ferenda visa est Graevio atque Ernestio. Ergo corrigendum putarunt; quis altero peius, non indico. Tamen audaciores hinc facti duo nuperi editores certatim, unus Graevio, alter Ernestio auctore, locum aliter scripserunt. Quanto rectius, relicto, quod erat notandum, non mutandum, Facciolatus in Indice: «Constructio haec fortasse singularis est. Fere enim dicimus, *derogare fidem alicui.*» Quod Forcellinus repetiit v. *derogo*. Iam ecce alterum exemplum constructionis eius ex hoc loco, ubi dicitur *rerum fidem derogare*. Et nunc rursus, post hoc repertum, emendandae erunt emendationes istae. Heinr.

5. *Ead* —) In duobus evanidis versibus haec legebat Cl. Mai: *ea —vere — dicis qui equidem* etc. Paulo diversa vidi diffisus et ipse lectione mea; versus enim sunt pessumdati. Sane hic Cicero ad pressiorem clientis defensionem tandem veniens, exordiebatur ab eius adulescentia, quam a Laelio notatam esse scimus (vid. supr. n.° 2), atque purgabat apud Iudices illiberalitatem Flacci bonarum disciplinarum non expertis. Niebuhrius ex coniectura ita supplebat: *ea crimina in Flaccum vere conferri.* Sed tam longum comma non recipit spatium lacunae in codice. Pey.

ORATIONIS

IN P. CLODIVM ET CVRIONEM

FRAGMENTA (1)

CVM VETERIS ANONYMI

COMMENTARIO

ANG. MAII V. C. MONITVM

Tullianae Orationis in Clodium et Curionem *pauca verba in Editionibus, sed uberrima memoria extat. Laudant enim ex ea locos aliquot Nonius Marcellus et Quintilianus, quos vide sis in Fragmentis Orationis olim editis. Meminit eius etiam noster Interpres, quem nunc edimus, ad Orat.* in Vatinium. *Clodiani autem stupri, quod occasionem praebuit huic Orationi scribendae, sexcentis in locis meminit Cicero. Vide, si lubet,* de Provinciis Consularibus X, in Pisonem XXXIX, Paradoxum IV, *et passim* pro Domo sua, de Haruspicum Responsis, *et* pro Milone, *quae tres Orationes magnam lucem affundunt huic ineditae* in Clodium et Curionem. *Sed nusquam enucleatius quam in libro I. Epistolarum ad Atticum res tota evolvitur. Nam Epist. XII ait Cicero: « P. Clodium Appii F. credo te audisse cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, quum sacrificium pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum; rem esse insigni infamia. » Tum Epist. XIII: « Credo te audisse, quum apud Caesarem pro populo sacrificium fieret, venisse eo muliebri vestitu virum, idque sacrificium quum Virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam: postea rem ex senatusconsulto ad pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex senatusconsulto consules rogatio-*

(1) Rectius, ut puto, Vir Cl. haec inscripsisset *Commentarii in P. Clodium et Curionem Fragmenta,* quum ea tantum verba Interpres commentario suo praefixerit, quae veluti materies illius et argumentum essent: quod de duobus sequentibus aeque dici potest. Typ.

nem promulgasse, uxori Caesarem nuntium remisisse.» Historiam controversiae in senatu actae pertexit Cicero Epist. XIV, ubi etiam apparet Curionem stetisse pro Clodio. « Homines ad XV Curioni nullum senatusconsultum facienti assenserunt, ex altera parte facile CCCC. fuerunt; acta res est. Fufius tribunus tum intercessit. Clodius conciones miseras habebat. » Sed descriptionem plenissimam huius causae Clodianae habet Epistola XVI cum particulis ipsius Orationis Tullii in Clodium, et Curionem.

Haec ad declarandum huius Orationis historiam ac paene cursum sufficiant. Prodeunt iam ex nostro Codice integrum Orationis Argumentum, et amplus Commentarius Scriptoris antiqui et inediti, non sine multis et nobilibus Partibus ipsius deperditae Orationis. Scripta est autem haec Oratio Consulibus Pisone et Messala, id est Ciceronis anno XLVI.

Accedit nunc ex Palimpsesto Taurinensi aliud egregium fragmentum, quod complectit simulque connectit ea quae Maius V. Cl. sub capite IV et V ex Ambrosiano codice vulgavit. Typ.

ARGVMENTVM

Apud Graecos *huiusmodi genera orationum* ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα nominantur continentia ferme laudes et vituperationes. Non enim rei postulantur a Tullio vel C. Curio vel P. Clodius; sed quoniam habuerant in senatu quandam iurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et asperitatis et facetiarum, quibus mores utriusque proscindit, et de singulorum vitiis quam potest acerbissime loquitur. Sed enim principium huius offensae fertur a P. Clodi incestu descendisse. Nam visus est in domo Pontificis Maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum fecisse cum eius uxore Pompeia, eo tempore quo per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonae Deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat. Vnde elapso tamen Clodio magna invidia percrebuit et infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur, omni diligentia consulum pervestigandum, siquod esset publicis religionibus inlatum flagitium. Accedebat huc etiam

praeiudicium quoddam C. Caesaris ipsius Pontificis, qui uxorem suam ilico repudiavit. Post quod reus de incesto factus est P. Clodius, accusante L. Lentulo, defendente C. Curione Patre. Nam tres illis temporibus Curiones inlustri nomine exstiterunt, atque ita in libris adhuc feruntur; Curio Avus qui Servium Fulvium incesti reum defendit; et hic C. Curio Pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribuniciūs qui bello civili Pompeiano in Africa periit. *Nam* quum esset partium Caesaris, oppressus est ab equitibus Iubae regis. Sed hactenus de Curionibus dictum sit. Multum diuque habitis concertationibus ante iudicium, P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret, non sine impetu seditionis adiutus est: auctore huius conspirationis Q. Fufio Caleno Tribuno plebis, cuius mentionem creberrimam Tullius in Philippicis orationibus facit, obstante vero paene universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti. Iudices tamen ad extremum dati sunt. Et primo quidem ab senatu praesidium petiverant, *ut* de Clodio potentissimo homine liberius iudicaretur. Verum ita res cecidit ut in eum multi grave testimonium dicerent, quorum in numero Marcus ipse Tullius interrogatus, ait: ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse, millibus passuum ferme LXXXX ab Vrbe disiunctum; quo scilicet videri volebat, incesti Romae committendi facultatem non habuisse. Et post haec ab Iudicibus XXV damnatus est. Praevaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus qui absolverunt. Nam XXX et una pro eo sententiae latae sunt. Inde igitur capitalis inimicus in M. Tullium coepit efferari. Et quum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberrimis eum concionibus lacessebat. Minas quin immo praetendens, ad familiam se plebeiam transiturum, ut tribunus plebis fieret, denuntiabat. Quibus minacissimis territus vocibus, vehementer et acerrimo spiritu has oratione Cicero respondit, duorum tam ipsius quam Curionis.

INCIPIT ORATIO

1. Statueram P. C. quoad reus esset P. Clodius nihil de illo neque apud vos neque alio ullo in loco dicere.

Facere videtor hce *in argumentum* gravitatis ae modestiae suae; verum summa eum asperitate, qoamvis absolutus sit Clodius, tamen incestum vere commisisse adhuc adseverat. Hoc enim testificando, se omni et humanitate et patientia P. Clodio pepercisse, sine dobio confirmat veritatem sui testimonii, ut omnia de illo eom fide dixerit, cui per illud tempus reatus parcendum putaverit.

2. Ac furiosis concionibus indixerat.

Opportune et acriter furiosom P. Clodium dicit, ot io eum suspicio conveniat incesti, cuius ingeninm furore iactetur.

3. Quod simul ab eo mihi et reipublicae denuntiabatur.

Et sone dignitati plurimum dedit, et P. Clodium vehementios accusavit. Nam gloriae Ciceronis accedit, quod seiongi a rep. non potest: invidiae autem P. Clodii adstrnitur, si odisse videatnr in Cicerone remp.

4. Nihil me addere ad alterius periculum.

Satis agit, nt in testimonio non existimatur esse mentitus.

5. Sin esset iudicatum non videri virum venisse, quo iste venisset.

Amaritudo stomachi est in hae sententia, qua perstringit mores P. Clodii scilicet impudicos, ita dicendo: « non videri virum venisse qoo iste venisset. » Quasi hoc pronuneiaverint qui eum sententiis suis liberaverunt, non ut incestum sibi probari non potoisse dicerent, sed ot ipsum virum negarent.

6. Vt ille iudicio tanquam e naufragio nudus emersit.

In loco et ipsorom Iudicom perstringit infamiam, quorum sententiis fuerat absolutus. Nam partim trecena millia, partim vero, secundum opiniones aliorum, quadringena accepisse dieuntur.

Vt ille—emersit) Locus hic paulo liberius laudatur a Quintiliano Inst. VIII, 3, sub finem sic: *Quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit.* Ang. Maivs. et sic deinceps usque ad Fragm. Taurinense, quod elucidat Peyronus V. Cl.

II. 1. Ac vide an facile fieri tu potueris, quum is factus non sit cui tu concessisti. Syriam sibi non extra ordinem polliceri.

Diximus in Argumento, per illud tempus Clodium fuisse quaestorem. Opimas igitur provincias cupiditati suae *blandiente* dicit in animo habuisse: quasi hoc ab senatu consequi posset, quod ipse rapinarum meditatione gestiret.

2. Creditoribus suis spem ostendere provinciae videretur.

Et defaeneratum hac in parte significat.

3. Augent magnum quendam cumulum aeris alieni.

Quod non posset, nisi omnium provinciarum spoliatione dissolvi.

4. Ingemuit gravius timidior quidam creditor.

Ne quaesieris eius personam, de quo videtur hoc dicere. Nam generalim fingit, ut desperatio pecuniae recuperandae consternaverit creditores eius, metuentes scilicet reverlendi larditatem.

5. Confirmat se comitiis consularibus Romae futurum.

Aculeus est asperitatis. Nam plerisque in locis in perversas ab eodem Clodio criminatus est pecunias candidatorum.

6. Tanto prius ad aerarium venit, ut ibi ne scribam quidem offenderet.

Apud aerarium sortiri provincias et quaestores solebant et scribae, ut pro

Ac vide — cui tu concessisti) Loquitur credo de Clodio praeturae candidato, qui annum suum reliquit, ut scriptum est in Miloniana. Significat autem futurum fuisse, ut anno suo, quem praeterierat, praetor non fieret, quia is, cui ille concesserat, factus non sit. Sig.

Ac vide — concessisti) Verba haec laudata a Quintiliano Instit. V, 10, ex oratione in Clodium et Curionem hic addenda videbantur quae a Cod. Ambrosiano absunt.

Apud aerarium — solebant) Ob hanc locutionem *solebant* cave putes idcirco nostrum Interpretem abesse multum a temporibus Ciceronis, quia videatur de usibus eius aetatis tanquam diu praeteritis aut etiam antiqualis loqui. Quippe ita loqui moris est Asconio in iis commentariis, qui sub eius certo nomine circumferuntur. Vide sis ex.gr. ad Divin. in Verr. XV, XVII, Act. I, VI, VIII, XVIII, ad lib. I, 1, IV, X, XIX, XXIX etc.

certu appareret in quam provinciam, vel eum quo praeside proficiscerentur. Ardorem quendam nimiae cupiditatis volens exprimere, festinasse ad aerarium dixit, ut etiam scribarum praeveniret adventum.

III. 1. Quibus iste qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur.

Vt incestum significaret, mediam suspendit elocutionem, non ut religionem praetenderet, sed ut crimen.

2. Quum se ad plebem transire velle diceret, sed misere fretum transire cuperet.

Quoniam patriciis non licebat tribunatum accipere, idcirco se Clodius denuntiaverat in plebeiam familiam transiturum, ut adeptus hanc potestatem, de suis inimicis vindicaretur. De freto autem quod ait, illud significat quo Sicilia ab Italia separatur: in qua se provincia sub C. Vergilio gratularetur idem futurum esse quaestorem.

3. Hanc loquacem Siciliam non despexit.

Loquacem videtur Siciliam dicere quod plerosque de pecuniis repetundis accusaverat, et, ut scimus, ipsum C. Verrem.

4. Accesserunt ita pauci, ut eum non ad concionem, sed sponsum diceres advocasse.

Aere alieno gravatum et supra dixerat Clodium. Solebant autem versuram facientes quasi ad fidem futurae solutionis sponsores dare. Verum hic volens eius perfidiam denotare, ait: non aliter paucos ad rostra venisse, quam si convocasset eos qui pro se spondérent. Multos enim fefellerat, quum periculo sponsionis adstringeret.

5. Cuius satisdationes semper indicuntur induci.

Satisdationes dicit rescindi sententia praetoris. Et hoc in loco significat viros, qui stulte timerent pro Clodio mutuante pecuniam spondere, quum saepenumero experti sint, multos sponsores eius hoc nexu liberatos, quum se circumventos illius fraude docuisset.

Quibus iste — arbitrabatur) Hunc locum citat Quintilianus Inst. IX, 2, sub finem. Et quidem cod. Ambros. habet tantum verba, *qui omnia sacrificia nosset*.

Mediam suspendit elocutionem) Cod. corrupte *significare medies suspendit elocutionem*. Porro ad loci intelligentiam confer similem in hac Orat. inferius VI, 2: « Nolemus verborum medietates elegantissime ab oratore suspendi. » Et eundem nostrum interpretem ad Orat. pro Plancio X, 6.

FRAGMENTVM TAVRINENSE
cum PEYRONI animadversionibus.

*intel*ligo quam in absentem esse dicenda.

Primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense aprili apud Baias essent, et aquis calidis uterentur. Quid cum hoc homine nobis tam tristi ac severo? non possunt hi mores ferre hunc tam austerum, et tam vehementem magistrum, per quem hominibus maioribus natu ne in suis quidem praediis inpune tum, quum Romae nihil agitur, liceat esse, valetudinique servire. Verumtamen ceteris . . . . . . in illo loco nullo modo. Quid homini, inquit,

Primum homo durus — apud Baias essent) Consuetudo erat multis ineunte verno ad aquarum quae sunt in Campania velut fomenta salubria convenire. Igitur intulit personam Clodii quasi priscae severitatis et continentiae viri, cui displiceant, et quae non ad delicatum voluptatem, sed ad valetudinis obtinendae curam fieri soleant, quum sit ipse omnium libidinum cupiditatibus deditus. Et hinc fiet gradus ad ipsius Ciceronis Puteolanas possessiones, in quas devertere ad oblectamentum solebat. Removit ergo impudentiam reprehendentis a moribus suis, ne vel superbus vel nimium delicatus habeatur.

Per quem hominibus — valetudinique servire) Congesta et copiosa defensio est in ipsa propositione: ut eorum moribus nihil oporteat exprobrari, qui certo tempore anni salubres aquas petant; vel quia aetate provecti sint, quuo ferme valetudo parum fida est: vel quia in suis praediis demorentur, quod est legitimae honestatis: vel quia eo tempore, quo sint Romae omnia quietissima, ne quis hoc ad fugiendum laborem civilium rerum facere videatur: vel quod sit omni modo valetudini serviendum, quae non minus ipsis senatoribus, quam reip. necessaria sit; ut fortius possint obire munia, quae gerenda sunt.

In absentem) Vt probabilem sensum exsculperem ita scripsi pro eo quod erat in codice *inabgente*. PEYR.

Per quem hominibus — servire) Hoc item fragmentum est in Scholiaste Ambrosiano p. 74, qui legit *tunc cum*.

Quid homini, inquit) Hanc alter cationem narrans Cicero in epistola XVI, lib. I, ad Atticum inquit: «Surgit pulchellus puer: obiicit mihi, me ad Baias fuisse. Falsum; sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi in operto dicas fuisse. Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit; nosti enim marinas.» Quae quum conceptis verbis non habeantur in nostro fragmento, statuo editam Orationem discrepasse ab Oratione recitata; quod certissimum est de aliis orationibus.

Arpinati cum Bais, agresti ac rustico? Quo loco ita fuit caecus, ut facile appareret, vidisse eum quod fas non fuisset: nec enim respexit, illum ipsum patronum libidinis suae non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quae gustu tamen Harpinatis fuissent. Sed videte metuendam inimici et hostis bilem, et licentiam. Is me dixit aedificare ubi nihil habeo; ibi fuisse qu . . . . enim non . . . atentem adversarium, qui id obiiciat, quod vel honeste confiteri, vel manifesto redarguere possis.

Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam, et mitram, et purpureas fascias habere non possumus. Tu vero festivus, tu

Ita fuit caecus — quod fas non fuisset) De Appii enim Caeci familia genus trahebat. Et praecipitem volens significare atque temerarium, resculpit infamiam illius incesti, quod fecisse in Operto Bonae Deae videbatur, quo viris ingredi non licebat: quasi poenam criminis sui luere iam coeperit nihil providendo quod dicat.

Illum patronum libidinis suae) C. Curionem, qui de proscriptione Syllana fundum emerat in Campania, qui Marii nuper fuerat et ipsius Arpinatis. Quo se exemplo facillime Cicero purgavit, non esse id in se reprehendendum, quod municipi suo C. Mario consulari nunquam fuerit infame.

Tu vero festivus — qui manicatam tunicam) Mixta responsio et facetiis urbanitatis et asperitatis *aculeis* non sine levitie. Defuit enim rusticos et

Ita fuit caecus — non fuisset) Hoc fragmentum servavit Scholiastes Ambrosianus pag. 75.

Illum — suae) Haec verba, demto *ipsum*, recitat Scholiastes Ambrosianos, atque ita illustrat: « C. Curionem etc. *ut supra*. Quare lux iam affunditur verbis Epistolae XVI ad Atticum superius recitatis, uti apposite animadvertit Cl. Mai. Scilicet ait Cicero: quid mihi Arpinati balneas obiicis? obiice potius patrono tuo Curioni, qui Arpinatis hominis fundum et aquas concupivit.

Aedificare) Cicero ad Attic. IV, 5: « Hi subringentur qui villam me moleste ferunt habere, quae Catuli fuerat; a Vettio me emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me aedificare, vendere aiunt oportuisse. »

Nam rusticos — tunicam) Haec recitat Scholiastes Ambrosianus pag. 76, atqoe ita exponit: « Mixta *etc.*

Tu vero festivus — corpus potes) Huius fragmenti pars laudatur a Rufiniano *de figur. sent.*, pars alia a Nonio ad v. *elegantes*, ita tamen, ut Nonius legat *psaltriae, qui levare vultum, mollire vocem potes.*

elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare vultum, attenuare vocem, levare corpus potes.

O singulare prodigium! At o monstrum! Non ne te huius templi, non urbis, non vitae, non lucis pudet? Tu, qui indutus muliebri veste fueris, virilem vocem audes emittere, cuius importunam libidinem, et stuprum cum scelere coniunctum, ne subornandi quidem mora retardavit? Tu ne quum vincirentur

urbanos ita, ut in se ingenium sobriae virtutis, in Clodio indicia foeditatis et dedecora proscribat.

Tu qui — veste fueris) Videtur enim Clodius habitu muliebri sexum mentitus penetrasse domum C. Caesaris, ut incestum sub hac fraude committeret. Id describitur, ut omnia lineamenta turpitudinis detegantur.

Tu ne quum vincirentur — quum strophio accurate praecingerere) Operimenti genus, quo feminae capita velabant, hoc nomine ferebatur. Et Afranius meminit in Consobrinis ita dicens: « CVM MITRIS, CALAUTICIS. » Impudico igitur habitu erubescendi decoris quaedam figura describitur. Atque ita se et in

Quod municipi suo C. Mario — nunquam fuerit infame) Hinc iam explicari videtur Ciceronis locus ep. ad Att. I, 16, cuius sensus nondum interpretes adsequuti fuerant. Ait ibi Cicero Clodium sibi obiecisse delicias: *Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis. Narra, inquam, patrono tuo qui Arpinates aquas concupivit.* Curio Clodii patronus emerat fundum, qui Marii Arpinatis fuerat. Quid mihi Arpinati, inquit Cicero, balneas obiicis? Obiice potius patrono tuo Curioni, qui Arpinatis hominis fundum et aquas concupivit. Commentario nostro quum carerent interpretes alii *patronum* Clodii intellexerunt Clodiam sororem, ut Corradus, Iunius, Gronovius. Alii ignotum quendam ut Malaspina. Casaubonus etiam turpicula quaedam in hunc locum invexit, Arpinates aquas, explicans συνουσίαν. MAIVS.

Vrbanus) De hoc vocabulo, quod Cicero novum credebat, vide Quintilianum VIII, 3, 691.

Levare corpus) Novio teste *levare* pro *minuere* attenuare accipitur; Galli dicunt *taille fine*. P.

At o) Palimps. *ad* o.

Tu ne) Nonius: « Calantica est tegmen muliebre, quod capiti innectitur. M. Tullius in Clodium: Tune quum vincirentur pedes fasceis, quum calanticam capiti accommodares? » Et paulo infra: « Strophium est fascia brevis, quae virginalem tumorem cohibet papillarum — Tullius in Clodium: Quum strophio accurate praecingerere. » Scholiastes Ambrosianus his illustrat fragmentum a se quoque servatum: « *Ornamenti* genus etc. *ut supra* (ubi notanda varietas lectionis *Operimenti*, quam expressi ex editione Schützii. TYP.)

pedes fasciis, quum calvatica capiti accommodaretur, quum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, quum strophio accurate praecingerere, in tam longo spatio nunquam te Appi Claudi nepotem esse recordatus es? Nonne etiamsi omnem mentem libido averterat, tamen ex . . . .

Desinit hic folium Taurinense.

historia temporis huius commemoratio habet. C. Caesaris, pontificis maximi, praetoris domi sacrificium solemne pro populo fiebat. Huc vir ornatu muliebri quod introierat, sacrificium instauratum est. Res ad senatum delata est. Patres conscripti decreverunt, *ut* de ea re non aliter quam de incestu quaereretur. Eo crimine reus factus est P. Cl. Pulcher, delatore L. Lentulo, qui consul fuit post cum C. Marcello: subscriptoribus Co. et L. Lentulis. Aurelia Caesaris mater testis in iudicium accita est. Ea pro testimonio dixit, suo iussu eum esse dimissum. Idem dixit Iulia soror Caesaris. Et tamen post haec absolutus est.

Calvatica) *Calantica* est apud Nonium I. I. et Ausonium Perioch. 5; eadem scribitur *calautica* in Scholiaste Ambr., et Vlpiano scriptura Taurinensis *calvatica* verior videtur, quippe quae propius accedit ad *calvam* superiorem capitis partem, quod est germanum calvaticae etymon. *P.*

Sequuntur reliqua ex Palimpsesto Ambrosiano

V. 4. Sed credo postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti. (1)

Festivissime simul et nobilitatem generis infamatam, et mores femineos in speculi contemplatione detexit, quo ferme ad explorandam curae suae diligentiam mulieres uti solent. Ergo et illiberalem figuram probro dedit (2), et

(1) *Longe te a pulchris abesse sensisti*) In Clodii formam iocatur et in cognomen familiae Pulchrorum. Sig. Et recte quidem ille; nam etiam Att. I, ep. 13, Clodium *pulchellum puerum* vocat. Sch. At vide, sis, adnotationem sequentem. *T.*

(2) *Ergo et illiberalem figuram probro dedit*) Illiberali figura praeditum Clodium diserte aiunt hic Cicero et noster auctor commentarii, qui idem repetit ad orat. de aere alieno Milonis II, 6. Itaque Clodius ironice dicitur *pulchellus* puer epist. XVI, lib. I, ad Attic. Fallitur ergo ad eum epistolae locum Paulus Manutius, qui

maiorum suorum dissimillimum contestatus est. Nam fuit hoc Claudiae familiae cognomen illustre. Quippe antiquitus P. Claudius Appi Caeci filius primus ex isto genere Pulcher appellatus est. Hic consul apud Drapanam adversus auspicia Poenis classe conflixit. Ea pugna Romanorum naves perierunt CXX. Ob id factum dies ei dicta perduellionis a Pullio et Fundanio tr. pl. Quum comitia eius rei fierent et centuriae introducerentur, tempestas turbida coorta est. Vitium intercessit. Postea trib. pl. intercesserunt, ne iidem homines in eodem magistratu perduellionis bis eundem accusarent. Itaque actione mutata, iisdem accusantibus multa inrogata, populus eum damnavit aeris gravis CXX millibus.

VI. 1. At quum, inquit, absolutus novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt.

Victoriam quoque iudicii Orator convertit in dedecus, inopinata inlata huiusmodi responsione. Lites autem damnatis reis aestimabantur, quum taxatio pecuniae fiebat, quae illis adfigeretur. Quoniam e reo non probatione innocentiae sed corruptis iudiciis fuerat Clodius absolutus, idcirco ait absoluto lites aestimatas: hoc est poena quidem liberatum, sed pecunia quodammodo multatum, quam iudicibus pro absolutione numerasset.

2. Quasi ego non contentus sim, quod mihi quinque et XX iudices crediderunt. Qui sequestres abs te locupletes acceperint . . . . . etc.

Notemus verborum medietates elegantissime ab Oratore suspendi. Nam quum prae se ferret Clodius victoriam iudicii, quod liberatus sententiis pluribus videretur, ait Tullius ad confirmandam testimonii sui religionem, XX et quinque sibi iudices credidisse, illos videlicet qui eum damnaverant. Sed etiam illos, qui pro eo sententiam dixerint, ipso Clodio nihil credidisse, quando ab Senatu auxilium petierint, et apud sequestres idoneos illam deponi pecuniam voluerint, ne frustrarentur ea spe, quam, reo paciscente, praesumserant. Et has ergo sententias, quae videbantur Clodio aliquid honestatis adquirere, in vituperationem convertit, ut pars iudicum damnarit incestum, pars vero privatum lucrum praeposuerit religioni. Et hic subest, postulasse iudices ab senatu praesidium, non ut fortiter et libere iudicarent, sed ne illam sibi pecuniam reus absolutus eriperet.

3. Divortium Pontificis maximi.

videtur credere Clodium fuisse pulcrum, ex eo quod Plutarchus in Caesare et Cicerone scribat, ut ipse ait, *facie puellae similem* fuisse. Verum si diligentius loci Plutarchi legantur, patebit in Cicerone dici Clodium tantum *imberbem* ob adolescentiam. In Caesare autem *imberbem et cultu sumpto psaltriae ad Pompeiam accessisse Clodium, referentem specie iuvenculam*, quia nondum scilicet erat barbatus et veste se exornarat muliebri. MAIUS.

Praeferuntur argumenta, quibus incestum P. Clodii potuerit facillime probari, nisi pecunia intercessisset. Nam C. Caesar Pontifex diebus illis repudiarat uxorem. Feminae quoque, quae illi sacrificio interfuerant, de interventu virili testimonium dixerant. Servi etiam, quum peterentur in quaestionem, alienati fuerant, et in diversas provincias ab domino missi. Quinque etenim servi, in quos maxime suspicio congruebat, partim missi sunt ad Appium Claudium, qui frater eiusdem P. Clodii fuerat, et in Graecia tunc agebat; partim ad vilicum Diogenem nomine, qui trans Alpes morabatur. Nec non etiam ancillae in tormenta sunt postulatae, quae propiores ministerio fuerant Pompeiae uxoris Caesaris, quarum fuit e numero Hibera quaedam nomine, cuius in cellam P. Clodius confugisse arguebatur. De stupro autem scelerato quod ait, illud videtur incestum significare, cuius infamia circa sororem Clodiam pervulgabatur.

VII. 1. Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta servavit. Quatuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

Ne quam habeat Clodius absolutus innocentiae dignitatem, facta comparatione numeri, ostendit prope eandem proportionem fuisse, quae damnarit incestum: ne illi integritas sua, sed cuiusdam perexigui numeri felicitas patrociniata sit.

2. Nam L. quidem Cotta.

Hic fuit auctor iudiciariae legis Aureliae, qua senatoribus abrogata est summa potestas iudicandi, et communicata cum tribunis aerariis, ita ut in iudiciis esset minor numerus senatorum.

3. Vt posthac lege Aurelia iudex esse non possit.

Paene quidem verisimile non est, quod prae se tulisse P. Clodium dicit, pecuniam se recepturum, qua sententias emerat eorum, qui se crimine liberasseut. Quid enim esset hoc stultius, quum semetipsum hac praedicatione damnandum fuisse confiteretur, nisi iudices corrupisset? Sed non abhorret a fide hoc dixisse Clodium, eo tamen proposito, quo significaret innocentem se principum vi et inimicorum potentia laborasse, et eo propter pecuniam dedisse iudicibus, ut quoquomodo illorum manibus eriperetur, qui se opprimi vellent. Id ergo hic negat Tullius, iudices illos pecuniam quam acceperint reddituros, ne postea in numero iudicum lege Aurelia esse non possint; sive quod se, pecuniam reddendo, faterentur esse corruptos; sive quod amissis trecenis vel quadringenis millibus, quae a reo acceperant, iu egestatem revolverentur, ac propterea iu iudicum . . . .

Integritas tua — ante acta servavit) Verba haec orationis in Clodium a Quintiliano Inst. VIII, 6, servata mihi in loco hoc collocanda videbantur. *M.*

Alia nonnulla.

QVINT. *l.* 8 *c.* 3] Quo ex iudicio, velut ex incendio, nudus effugit (1).

CIC. *lib.* I *ad Att.*] Erras, Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reservarunt; neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem P. C. erigite animos, retinete vestram dignitatem; manet illa in republica bonorum consensio; dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi, sed quod erat, inventum est; in unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt.

CETERA DESIDERANTVR.

(1) *Quo ex iudicio — nudus effugit*) Desumptum ex Quintiliani lib. VIII, cap. 5, sub finem. *Sunt*, inquit, *et illae breves similitudines, ut illud Ciceronis in Clodium: quo e iudicio velut ex incendio nudus effugit.* De quo autem iodicio loquatur supradiximus. Evasit profecto ex eo Clodius, contra etiam Ciceronis testimonium, ut est apud Valerium et apud Ciceronem ad Att. lib. I, ep. 16. *Effugere* autem *ex iudicio* violentius dicitur, quam *discedere*, sicut loquitur Q. Cic. in libro de petitione consulatus: *Tam egens*, inquit, *ex iudicio discessit, quam quidam iudices eius ante illud iudicium fuerant.* PATR.

ORATIONIS
DE AERE ALIENO MILONIS
PARTES ALIQVOT
CVM ANTIQVO COMMENTARIO
QVI VIDETVR ASCONII PEDIANI

MONITVM
ANGELI MAII V. CL.

Orationis Tullianae de aere alieno Milonis *non modo nullae reliquiae ad hunc usque diem cognitae erant, sed ne memoria quidem supererat. Tantum ex Argumento Asconii ad editam Milonianam constat, Milonem ingentes largitiones fecisse ut consulatum consequeretur. « Dum Milo quam primum Comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum, ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat. » Item Milonis damnati et exulis, scribit Asconius ad Orat. Pro Mil. p.* 205 *bona veniisse semuncia* propter alieni aeris magnitudinem. *V. quoque Cic. II ad Attic. Epist. V. Milonis magnificentiam munerum liberalitatemque naturae narrat Cicero etiam II ad Famil. Epist. VI, et lib. II de off. XVII. Quare haud dubium, quin, quum consulatum peteret, ingenti aere alieno Milo premeretur. Ceterum occasio et materia Orationis* de aere alieno Milonis *diserte explicantur in Argumento, quod ei noster Interpres praeponit. Nos igitur huius Orationis Argumentum, et Commentarium in eandem, licet saepe mutilum, cum interspersis Ciceronis particulis, nunc primum edimus. Patet autem ex ipso Argumento quo anno dicta sit haec causa, nempe anno V. C. DCCII, quo item anno et Clodius deinceps occisus est, et scripta etiam ea defensio Milonis interfectoris, quae in Editionibus exstat.*

ARGVMENTVM

In eundem annum Consulatum petierunt Annius Milo , *et* Q. Metellus Scipio, et Hypsaeos. Quo anno etiam P. Clodius Pulcher inimicus eius in praeturae candidam venerat. Idem qoum petitioni Milonis adversaretur, et comitia multo et vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsaeus et Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam ferret; per hos dies senatus convocatus est: apod quem P. Clodius invectionem sibi non tantum contra Milonem, verum etiam contra ipsnm M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcit, ut ambitnm moveri ab eo diceret, quoniam multis erga remp. meritis praevaleret: vim moliri etiam per armatos homines criminaretur; ad extremum longe minus qnam haberet aeris alieni esse professnm. Nam sestertium sexagies in aere alieno se habere professus Milo secondnm veterem consuetudinem fuerat. Quum igitur obnixe contenderet Clodius, non oportere qui magno aere alieno defoeneratus praedae videretur habiturus esse remp., contradixit eius insectationi M. Cicero, qui familiaritate praecipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suae dignitatis ab eodem tribuno plebis meminerat adiutam. Quanto autem odio habuerit P. Clodium iam compertum est ex orationibus illius plurimis, quibus eius vitam moresque dilacerat. Ex iurgio itaque, quod inter se moverant, oratio ista composita est, cuius inscriptionis titulum, prinsquam commentari adgrediar, explanandum puto: non ab re existimans futorum nostris lectoribus, si orationis titulnm non indocte perspexerint. Qnippe inscribitur INTERROGATIO DE AERE ALIENO MILONIS Interrogationis autem non una species erat, sed varia: nt alia significaret accusationis denunciationem, qualis illa praescriptio est orationis eius, qua usus fuit in eum P. Clodius, *quum* legibus interrogasset. Legibus enim sic interrogabatnr, inquirente accusatore, an omnia secundum legum praescripta gesserit is, cui crimen intendebatur. Erat alia praeterea interrogatio testinm, sicut ipse M. Tullius P. Vatinium testem interrogavit. Proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. Tertia haec est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam. Quando enim aliquis sententiam loco suo iam dixerat, et alius postea

interrogatus quaedam videbatur ita loquutus, ut refutari posse iustissime viderentur, postulabat ille qui iam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est illum redarguere, cuius sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset. Quoniam ergo dixerat Clodius et minus professum aeris alieni Milonem. . . . .

ORATIO

I. 1. . . . . Adversarii.

Nunc ad aliud transit, an aliquid Milo per vim facere conetur. Et hoc similiter refutavit, ut omnis ista suspicio et invidia in Clodium retorqueatur. Ita enim *argumenta* excurrent, quibus et Milonem purget et adversarium praegravet.

2. Eiciundus est ex urbe civis auctor salutis.

Copiosissima et vehemens exsecutio, ut supra dixi, reum de vi constituens P. Clodium, cuius res gestae omnes nihil unquam tranquillitatis habuisse videantur, sed statim coeperit *ab adolescentia furere. Iam* exsilii sui mentionem quam subtiliter et consulte, non specialiter nec nominatim, sed per hanc generalitatem intulit! Quoniam erat aliquid cum sua laude dicturus, eiciendus est, inquit, ex urbe civis auctor et custos salutis, otii, dignitatis, fidei. Haec quoniam *sibi honorifica* erant, quasi de alio loqueretur induxit, ne pro insolenti et iactantissimo haberetur.

3. Includendus intra parietes.

Videtur et Gn. Pompeio idem Clodius insidias paravisse. Itaque oratorie laudem subiecit hoc inferendo:

4. Qui populi romani imperium non terrarum regionibus, sed caeli partibus terminavit.

Hoc enim ita superiectum est, ut et Pompeio blandiretur et Clodium quasi hostem publicum denotaret, qui virum tam necessarium reip., ipsi eripere conatus sit.

II. 1. Nec vero tum timendum fuit quum cessimus.

Bene eloquutus est de exsilio suo, quod maluit discessionem vocare quam poenam. Et *in* aliis Orationibus similiter coloravit, neque metu neque ulla conscientia criminum se maluisse discedere, sed praecavisse potius, ne ad arma per seditionem veniretur.

2. Eosdem ad caedem civium de Appennino deduxisti.

Quasi haec omnia in Catilinam sociom dicerentur, ita mentionem attulit Appennini, quem nuper ille cum exercitu obtinuerat.

3. Lapidibus duo consules caeciderunt.

Gn. Domitium Calvinum et M. Valerium Messalam. Nec alia fuit causa cur senatus convocaretur, quam illa praecipua, quod P. Clodius immissa seditiosorum manu comitia turbavarat, quae habebantur de consulibus creandis, quum esset etiam Milo candidatus.

4. Qui multis inspectantibus caput feriebas, femina plangebas.

Gestum furiosi hominis.

5. . . . ber animose confidens.

In Clodium convertitur, *ut* huiusmodi obsequia humilitatis plenissima in eum verius at probabilius conferantur, qui obiecta omni dignitate ordinis sui Pompeium demissis precibus oraverit, ut ab eo in gratiam reciperetur.

6. Non pudet? Sed quid pudeat hominem non modo sine pudore, verum omnino sine ore?

Multa eum acerbitate insurrexit, et inpudentiam siva infamem turpitudinem sive deformitatem vultus volens exprobrare, non tantum sine rubore verum etiam sine ore P. Clodium dixit. Nom traditur forma iuliberali is fuisse.

7. Sic enim homines egentes et turbarum cupidi loquebantur: O virum usuum!

Rumigerantium sermones retulit, qui quum summum vigorem constantiae Clodio adscripsissent, quod audacius Pompeio repugnaret; post, eundem humili satisfactione depositum contemtui ducerent.

8. Maledicere autem, immo vero domo principem civem vi et metu continere.

. . . Sub eadem figura verbum retraxit per quandam correctionem. Notissimum autem P. Clodium *insidiatum* esse Pompeio. Id ipsum testificatur et in aliis quidem retro habitis orationibus, et multo plenius ac manifestius pro Milone.

III. 1. Vt quas haberet in vestibulo tabulas refigeret.

P. Clodium insidiatum) Vocabulum *insidiatum* prorsus videbatur huic loco inserendum. Sed enim paulo ante lib. 3 dixit noster Interpres: *Videtur et Cn. Pompeio idem Clodius insidias paravisse*, quod hic (si nos recte locum explemus), ait esse notissimum. Vt ergo interpres sibi constet, quidam perdoctus amicus meus censebat τὸ *videtur* positum superiore loco pro *constat*, vel *apparet*. Sane etiam ad orationem in Clod. et Cur. tum in orgumento, tum in commentario V, 2, in re satis explorata utitur noster interpres vocabulo *videri*. Id.

Post eiectum Ciceronem, velut criminum eius elogia perscripserat Clodius, et easdem tabulas in vestibulo domus suae fixerat, de quibus nunc loqui videtur: easque contendit, quoniam falsae sint et calumniosae, pro nihilo esse ducendas, nec ullam sibi ex iis invidiam re pertimescendam, *qui et senatusconsultum nullum mentitus sit* (1), et restitutionem meruerit.

2. Etenim tria, ut opinor, haec in Milonis personam questus es, de aere alieno, de vi, de ambitu. Duo praeteristi: nihil de religionibus violatis, nihil de incestus stupris questus es.

Facta supra *divisione* per eas species, quibus insectatus Milonem Clodius fuerat, subdit Orator etiam duo haec posteriora, sive in ipsum procul dubio adversarium con . . . . lium nomina.

3. Est enim quocumque venit et rerum crimen et iudicum.

Quod pertinet ad reos, illud est: inutiliter loquens adfert illis periculum damnationis. Quod autem refertur ad iudices, hic intelligere debemus magnam illis invidiam simul et infamiam comparari ab litigatoribus, *si* corrupti pecunia existimarentur; quoniam hoc falso iactaverit Clodius pretium sententiarum iudicibus esse tribuendum, quum tamen eandem pecuniam ipse intercepturus acciperet.

4. Tuamque praeturam non tuo more differas.

Hoc in narratione Milonianae defensionis plenius ostendit. Clodium petitorem fuisse praeturae. Quumque animadverteret comitia non sic procedere, ut Kal. Ianuariis posset inire praeturam, maluisse desinere a petitione. Hoc ergo Tullius arripuit, omnibus esse miraculo, quod non differat etiam praesenti anno petitionem, quod iam semel fecerit. Solebant autem impediri comitia per dissensionem magistratuum.

IV. 1. Nec suffragia dabis quibus ostentas.

Comminatur et denunciat se actionibus eius adversarium futurum, nec in legationem cum Pompeio discessurum. Laturus autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem videbatur, ut et istorum in censum aequaliter perveniret.

2. Nec vero illam nefariam libertatem.

Suffragii scilicet libertinorum, cuius legis mentio fit in oratione quae habita est pro Milone:

3. Atque per . . . nostrorum omnium non audeo

(1) Ita Maius censuit legendum, probante Schützio. Cod. *qui et in sen. nihil ment. sit.* T.

totum dicere. Videte quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est [1].

Opinio erat legem . . . praetura serum te . . . . . . liarum.

4. Quis non meminerit pueritiam tuam?

Interrogatio asperitatis invidiaeque plenissima, cum descriptione personae qua mores eius inluminat, quem non magis timeri oporteat, quam despici tot vitiorum foeditatibus inquinatum. Cetera hic explanauda non sunt, quae satis in praecedentibus diximus.

5. Iterum a piratis redemtum. Quo enim nomine appellem eos, qui te pretio accepto liberaverunt?

Significat indices eos qui accepta pecunia reum de incesto absolverant Clodium, ut et ipsi piratae . . . . turae.

V. 1. Nisi vero lineamenta hominis et nomen figuris positum, non naturis putas.

Definiti hominis proprietatem non lineamentis corporum, sed animorum qualitatibus aestimandam.

2. Tum habuisti quasdam formidines, *quae* quasi cornua quaedam exciderunt impleta.

(1) Haec non ad huius orationis Fragmenta pertinere, sed ad Milonianam, perspicue, ut mihi videtur, evincit cl. Peyroni *in*tegra Disquisitio de Lacunis Milonianis, quam orationi praeposui in tomo VII. In hac, etsi nonnulla praetermisi, quae maxime ad hanc quaestionem faciebant, utpote tum a re mea aliena, ad argumentum tamen quod satis est adhuc reperias. Possunt ergo haec accipi uti exemplum ab Interprete ex Miloniana allatum, et reliquo commentario connecti. Typ.

Iterum a piratis redemptum) Narrat Dio lib. XXXV, 17, ad urbis annum 687, Clodium, quum praefectus esset classi in Cilicia a Marcio eius sororis viro, captum a piratis fuisse. Vide eundem Dionem l. quoque XXXVII, 30. Q. autem Marcius Rex ille est, cuius mentionem fecit Cicero in orat. *adversus Clodium*. Eam captivitatem Clodio obiicit Tullius etiam de Harusp. resp. XX, quo in loco prorsus ut hic ob eius pueritiae vitiis ad hanc probrosam captivitatem progreditur. *Qui post patris mortem primam illam aetatulam suam ad scurrarum locupletum libidines detulit: quorum intemperantia expleta in domesticis est germanitatis stupris volutatus: deinde iam robustus provinciae se ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus etiam Cilicum libidines barbarorumque satiavit.* Iterum ei Tullius captivitatem eandem exprobrat ad I, 16: *Narra inquam patrono tuo, qui Arpinates aquas concupivit: nosti enim marinas.* Quo extremo orationis membro Clodio marinam calamitatem in mentem revocat. Maius.

Formidines, quae quasi cornua quaedam exciderunt impleta) Recte

... quae P. Clodio ad ferae alicuius belluae similitudinem adscripsit. Etiam hoc in exitu posuit cornua illi; quae habuisse quondam videbatur, nunc esse dilapsa, ut nimirum sensus ille sit, magis iam contemni Clodium quam timeri.

3. Non enim viderunt, quos ipsi exturbarant, eos in civitatem restitutos.

C. Gracchi et Saturnini exempla intulerat, quorum alter in Adventino interfectus est, alter Capitolio deductus cum Glaucia praetore iugulatus. Post quorum necem restitutos civitatem significat P. Popilium qui Graccho cesserat, et Q. Metellum Numidicum, qui ut violentiam L. Apulei subterfugeret, exulaverat. Gloriatur ergo suo nomine, quod vivente inimico suo Clodio restitutus sit.

4. Qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel, ut opinio tum erat, alienis.

Acerbitas est querelae .... invidiam .... iamdiu ... Milo ... ana ... memoris ... infirmior fides reconciliatae gratiae. Sed hic oratoria valde, nequis existimaret quasi bonum virum iudicatum a Pompeio *eum*, cum quo exercere desierit simultates; invigilavit Tullius, ut eum virum cautissimum diceret, qui non magis de fide Clodii et innocentis, quae nulla sit, quam de providentia habeat securitatem vitae, quum eius insidiis decipi possit.

Scholiastes hic similitudinem a ferae cuiusdam beluae cornibus doctam esse monuit. Vocabulum *impleta*, si modo genuinum est, pertinet ad maturitatem cornuum in cervis, de quibus Plinius lib. VIII, 50: *Cornua mares habeat solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt.* Ceterum dubitanter Cl. Maius ad h. l., *an haec*, inquit, *similitudo petitur a luna cuius cornua tum decidunt, quum ea plena fit?* At enim multo aptior est illa Clodii cum belua quadam comparatio, cui ut cervis, cornua tempore impleto decidunt. *S.*

Vel ut opinio tum erat alienis) Fortasse Caesarem innuit Tullius, qui, ut narrat Plutarchus in Cicerone, Clodium corroboravit in Cicerone expellendo. Maius.

ORATIONIS

DE REGE ALEXANDRINO

PARTES INEDITAE

CVM ANTIQVO COMMENTARIO

QVI VIDETVR ASCONII PEDIANI

MONITVM
ANGELI MAII V. CL.

Ptolemaeus Auletes Aegypti rex, quum sibi timeret a suis, Romam aufugit, ibique effusis largitionibus agere coepit, ut sub Imperii Romani tutela in regnum reduceretur. De re actum est in Senatu, ibique etiam Cicero sententiam dixit, ut ex Epistolis pluribus (Lib. I ad Famil.) ad Lentulum Ciliciae Proconsulem cognoscere licet. Lentulo enim Cicero in Senatu contendebat, ut Ptolemaei regis reductio decerneretur: quod patet etiam ex Epist. II, Lib. II ad Q. Fratrem. Idque prorsus videtur fuisse argumentum huius Orationis Tullianae de Rege Alexandrino*: cuius apud Aquilam voc.* Antisagoge, *et Capellam lib. V. cap.* de sententiarum figuris, *unica et brevis haec Particula extabat: DIFFICILIS RATIO BELLI GERENDI; AT PLENA FIDEI, PLENA PIETATIS. Et quidem Aquila et Capella dicunt hanc Orationem* de Rege Ptolemaeo. *At Fortunatianus, qui bis eam nominat lib. II in* Partitione *et in* Hipophoris, de Rege Alexandrino *nuncupat, ut et noster Codex Ambrosianus. Nos primi plures huius Orationis ineditas Particulas, mutilo Commentario item inedito infusas, in lucem producimus. Constat autem ex Dione Lib. XXXIX, 12, et ex Ciceronis Epist. I Lib. I ad Famil., hanc causam Alexandrinam actam esse anno V. C. DCLXXXXVIII, Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo Coss., ad quam bene cognoscendam multum intererit, conferre eiusdem Tullii Orationem* pro Rabirio Postumo.

ORATIO

DE REGE ALEXANDRINO

.... privatis erubescendum.

I. 1. Vt rapiat, ut latrocinetur.

Vehementibus et invidiosis verbis utitur. Non dixit, ut exposcat hereditatem, ut sibi vindicet; sed quo vel maxime pudor consterneretur audientium, ut rapiat, inquit, et latrocinetur. Quae sine dubio non iuris verba sed sceleris ab huiusmodi cupiditate deterreant.

2. Si hercle in nostris rebus tam ad res, tam ad pecunias adtenti, tam avari soleremus esse.

Dicere quidem generaliter videtur: etiamsi in privatis pecuniis avari homines essent, in publicis tamen disceptationibus non oportere tantam cupiditatem pecuniae profiteri. Sed procul dubio nihil aliud agit, quam ut M. Crassi mores denotet; de quo, praeter historiam praeterque exitum mortis eius, in quam praeceps quodammodo ruit, quum ad diripiendas Parthiae urbes opulentissimas Eufratem transisset, etiam ipse Tullius auctor est libro tertio de Officiis, cuius verba inferam, quo magis quid de moribus eius iudicarit, appareat. Sic enim mihi textum recordor: « Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut si digitos concrepuerit, possit in locupletum testamenta nomen eius irrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. » Deinde subiicit: « At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui revera non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret. »

II. 1. Sed tamen, quae sunt nostra iudicia, tentaverat Crassus adseverare, non semel de hac Aegypti severitate, sed frequentissime praeiudicatum. Ac primo quidem illo tempore, quo pecunia repetita esse ab Tyro, et advecta Romam videbatur, seposita iam nu-

Esse ab Tyro et) Cod. *Apti rei sed* corruptissime. At hunc locum mirifice declarat ipse Tullius Orat. II *adversus Rullum* c. XVI, ubi agit de regis Alexandri, qui mortuus est exsul Tyri, testamento, quo populum romanum regni heredem scripserat, quod tamen regnum Romani, ne avidiores viderentur, Ptolemaeo Auletae permiserunt. *Video qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem exstare hereditatis aditae sentio, tum quando Alexandro mortuo legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent. Haec Lucium Philippum saepe*

per ab Alexa rege. Occurrendum est igitur ut haec refutentur et in ipsa propositione.

Insigniter factum est, quod his verbis ingredi coeperit.

2. Debent esse modestissima; quoniam quidem est hoc summi imperii, nosmetipsos de nostris rebus iudicare.

Nam vult Orator intelligi, paene impudenter senatum de causa sua iudicare voluisse, quum sit naturale, ut unusquisque non possit aequitatem tueri, de lucro suo potissimum cogitans, quod plerumque cogitatur etiam cum improbitate deposcere.

3. Qui ex hereditate tanta unum solum nomen agnoverimus.

in senatu confirmasse memoria teneo. Eum (Ptolemaeum Auletum) *qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque regio animo esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur contra nullum esse testamentum: non oportere populum romanum omnium regnorum appetentem videri.* M.

Seposita iam nuper ab Alexa rege) Petavius de doctr. temp. lib. X, cap. XLVIII, loquens de fratre Ptolemaei Lathuri Alexandro, patre utriusque Alexandri, qui post Ptolemaeum Lathurum secundo regnantem regnaverunt, haec ait: *Nonus ergo regnavit Alexandriae Ptolemaeus Alexander, quem* Alexam *Epiphanius, Chronicon Alex. Cedrenus* et alii nominant. At Cicero hic appellat *Alexam* etiam eum regem, qui Tyri exsul exstinctus est; quem tamen in Agraria superius citata *Alexandrum* dicit. Sed de nomine *Alexas* praeclara est animadversio doctissimi Garatonii ad orationis Tullianae pro Balbo cap. XXII, cuius locum in calce curarum secundarum ad Placianam purgandum censuit. Is postquam ibi pro *Heracliensium legionem* ex MSS. optimis restituit *Heracliensem Alexam* sic pergit: *Nomen* Alexas, *sive, ut in libertinorum titulis apud Bentleium epist. ad Millium* p. 82, Alexa, *deminutum ex* Alexandro *est atque contractum, ut* Alexis *quoque apud Virgilium. Donato in eius vita cap.* 5 *indicante. Id in Aegypto maxime usitatum deminutionis genus, dialecto Alexandrinae a Sturzio tribuitur* pag. 135. *Itaque Alexander ille Laodicensis, de quo Plutarchus in Antonio cap. LXVII et LXXIII, quum esset multum in Aegypto versatus* Ἀλεξᾶς *quoque nominabatur.* Id.

De nostris rebus iudicare) Nempe num testamentum Alexandri regis, quo is populum romanum scripserat regni haeredem, ratum habendum sit necne. Id.

Qui ex hereditate tanta unum solum nomen agnoverimus) *Nomen* hoc loco est *caput rationum*. Dicit Cicero ex haereditate integri regni eam unam pecuniam accepimus, quea de thesauro Alexandri mortui Romam Tyro advecta est. Regnum quippe Romani permiserant Auletae. Id.

Cito rapuit pro se argumentum, iudicasse quodammodo . . . . . . ut bellum gerendum esse censeret, qui mentionem pecuniae fecerat. (1)

4. Sic est iusta causa belli, sicuti Crassus commemoravit cum Iugurtha fuisse.

Notissimum est Micypsa rege Numidiae mortuo trifariam inter Adherbalem Hiempsalem et Iugurtham regnum esse divisum, quos tamen duos ipse Iugurtha partim vi, partim vero insidiis interfecit. Haec illi fuit causa praecipua bellum gerendi adversus populum Rom. Qui tamen post multos imperatores graviter adflictos, ad extremum C. Mario imperatore superatus est.

III. 1. Non patiar hanc exaudiri vocem huius imperii: Ego te, nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem et socium et amicum iudicabo.

Ad tuendam rationem pudoris exsequitur non decere populum Rom. has potestates regias nundinari, ut obiecta quadam senatui facie turpitudinis, id vel maxime faciendum esse persuadeat, quod sit congruens honestati.

2. Quum ille rex sit interfectus, hunc puerum in Syria fuisse.

Haec sumuntur de locis coniecturalibus, qui sunt primi videlicet in huius status divisione, a voluntate et facultate. Nam quod peritiam facit meliorem voluntatis, est, non potuisse Ptolemaeum capitalibus odiis dissidere, quem puerilis infirmitas ab huiusmodi obstinatione revocaret. Facultatis est autem, quod ait in Syria fuisse, ut absens moram non habuerit illius interficiendi, quem dicebatur interemisse.

3. Atque illud etiam constare video, regem illum quum reginam sororem suam, caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse impetu multitudinis.

(1) *Qui mentionem pecuniae fecerat*) Suspicor hoc etiam dictum adversus Crassum, cupidissimum hominem. Sane is bellum quoque Parthicum, una pecuniae aviditate, invitis ipsis Romanis, nullam causam praebentibus barbaris, suscepit, ut luculenter testantur Plutarchus et Dio et Cicero etiam de Finibus III, 22. Maius.

Socium et amicum iudicabo) Haud scio an ad hunc orationis locum Fortunatianus respexerit, quum in *hypophoris* scripsit: *In hypophoris quae cavenda sunt? ne plene et copiose ponatur: quod tamen aliquando facimus duabus ex causis aut irridendi adversarii gratia, si hoc augeat, de quo nulla quaestio est, ut pro Cornelio maiestatis; aut si discrepans aliquid ostentatur, ut de rege Alexandrino.* Quippe hypophora est adversarii oratio. His autem orationis verbis Cicero adversarios sibi in causa Alexandrina loquentes inducit. Id.

Congestis valde praeparationibus fidem facit, ut hanc caedem a populo magis Alexandriuo factam probaret, non Ptolemaeo iubente commissam. Notemus enim gradatim fieri argumenta, quae praegravent suspicionem ad populares impetus pertinentem. Nam coepit ad hunc modum « atque illud etiam constare video » ut de veritate non sit ambigendum, si constet apud omnes. Dein subdidit « cum regiuam sororem suam » ut atrocitas parricidii, et multo maior in exitio reginae omnibus fuerit horrori. Post haec adiecit eandem « causam . . . . .

CETERA DESIDERANTVR.

ORATIO

PRO L. VARENO (1)

1. SEVERIAN.] Amici deficiunt, cognati deserunt.

(1) L. Varenum videtur Cicero iisdem prope temporibus inter sicarios defendisse, quum ei obiiceretur, quod C. Vareno necem attulisset, quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam avertit. Quintil. VIII, 2: *Interdum*, inquit, *in certam*, *in extrariam*, *aut in eius ipsius*, *qui periit voluntatem crimen transfertur*, *in quibus similis atque in ἀντικατηγορίᾳ personarum*, *causarum ceterorum comparatio est; ut Cicero pro Vareno in familiam Ancharianam avertens crimen facit*. Et paulo post: *Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine*. Et lib. VI, c. 2: *Egregie Cicero contra iuvenem, cuius subinde vulnus in iudicio resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane*. Et lib. VII, c. 1: *Anteactae vitae crimina plerumque prima purganda sunt*, *ut id*, *de quo laturus est sententiam iudex*, *audire propitius incipiat; sed hoc quoque pro Vareno in ultimum distulit*, *non quid frequentissime*, *sed quid tum expediret intuitus*. Et lib. IV, c. 2: *Ergo hae quoque quaestiones vim prooemii obtinebant*, *quum omnes iudicem praepararent. Sed aliter pro Vareno reo postea quoque narravit*, *quum obiecta diluit*. — Huius etiam orationis meminit Plinius epistolar. lib. I: *Testes sunt multae multorum orationes*, *et Cicero pro Murena*, *pro Vareno*, *in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur*. Ex his apparet illum permulta dixisse, quum ederet, omisisse. Damnatum autem eum esse tradit Quintilianus lib. XII his verbis: *Quod Cicero vehementissime multis orationibus tractat*, *praecipue tamen pro Vareno*, *qui omnibus malis premebatur; nam et est damnatus*. Sig.

Amici deficiunt) Haec et sequentia ex prooemio videntur sumta. Severianus id ostendit, quum ait: « Sunt etiam alii loci communes, qui principiis aptantur, ut misericordiam captent, quum aut adversariorum calumnias, factiones, solitudinem suscepti, vel cetera eius infortunia memoremus. Sic pro Vareno: *Amici deficiunt*, *cognati deserunt*; et rei aut accusatorum calumniam prodimus, ut in eodem loco: *In inimicissima civitate urgent*, *instant* etc. » Sig.

2. PRISC. *lib.* 7.] In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur studio, multitudine, pecunia, periurio pugnant.

3. *Ibid.*] C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate.

4. *Ibid.*] In praefectura Fulginale.

5. QVINT. *lib.* 5, *cap.* 13] Quum iter per agros et loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt. Deinde Populenum occisum esse, illico Varenum vinctum, adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet.

6. QVINT. *lib.* 7, *cap.* 1] In legem de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, et Cnaeum vulnerando, et Salarium item occidendo, cadit.

7. QVINT. *lib.* 4, *cap.* 1] Tum C. Varenus, is, qui a familia Anchariana occisus est. (Hoc, quaeso, iudices, diligenter attendite.)

8. QVINT. *lib.* 8, *cap.* 3, *et* PRISC. *lib.* 3] L. ille

Insequuntur studia) Patricius sic interpungendum censet: *insequuntur: studia, multitudine* etc.

Quum iter per agros) Quintilian. V, 13: *Praeterea in contradictionibus interim tatum crimen exponitur, ut Cicero pro Scauro contra Bastarem facit, velut orationem diversae partis imitatus, aut pluribus propositionibus iunctis, ut pro Varena « Quum iter per agros* etc. » *Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidem perditurus.* SIG.

In legem de sicariis) Quintilian. lib. VII, c. 1: « Intentio simplex, *Occidit Saturninum Rabirius*; coniuncta: *Lege de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo et Cn. vulnerando et Salarium item occidenda cadit.* » Gesnerus comparata diversa MSS. lectione legendum censet: *Nam C. Varenum occidendum, et Cnaeum vulnerandum, et Salarium item occidendum curavit.* Vid. Spalding. ad h. l. SCH.

Tum C. Varenus) Quintilianus lib. IV, c. 1: *Iudices et in narratione nonnunquam et in argumentis, ut attendant, rogamus: quare est Ciceronis pro L. Vareno: « Qui a familia Anchariana occisus est, hoc, quaeso, iudices, diligenter attendite »* et lib. IX, c. 2: *Brevior illa, ut ait Cicero, a re digressio fit multis modis: sed haec exempli causa sufficient « Tum C. Varenus, is qui a familia Anchariana occisus est, hoc, quaeso, iudices diligenter attendite.* SIG.

L. ille Septimius diceret) Vix satis

Septimius diceret. Etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis. Erucius hic noster, Antoniaster est.

9. PRISC. *lib.* 12] Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, quia interfuit, non ei, quia nihil interfuit.

10. QVINT. *lib.* 5, *cap.* 10] Optio vobis datur, utrum velitis, casu illo itinere Varenum esse usum, an huius persuasu et inductu.

11. PRISC. *lib.* 7] Deum fidem.

ORATIO

QVVM QVAESTOR LILYBAEO DECEDERET (1)

12. FRONTO] Quod non detrectare militiam, sed defendere provinciam iudicata est.

decerni potest, utrum haec Septimii cum L. Crasso oratore comparatio serio an per ironiam instituta sit. Erucium vero, quem Sigonius fortasse eundem esse dicit, cui Cicero ipse respondit pro Roscio Amerino, *appellat Antoni astrum, i. e., simiam Antonii oratoris et malum imitatorem.* SCH.

Erucius) Meminit huius Erucii etiam Augustinus de Vtilitate credendi c. 68: *Numquid imperitorum perterriti multitudine, quicumque boni oratores evadere volunt, Caecilii sibi potius aut Erucii orationibus, quam Tullianis navandam operam existimant?* Et sicut hic Antoniaster, sic in epist. ad Att. Fulviaster. GRAEV.

Ea caedes si potissimum) Videtur legendum: *ea caedes si crimini datur, detur ei potissimum, cuia interfuit* etc. PATR.

Optio vobis datur) Quintilian. V, 10: *fit ex duobus (quorum necesse est alterum verum) eligendi adversario potestas, efficiturque, ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Vareno: « Optio vobis datur* etc. » *deinde utraque facit accusatori contraria.* SCH.

(1) Vestigia huius orationis ex Asconio apertissime deprehendi possunt, tum in praefatione in divinationem Ciceronis, tum paulo post, in explicatione illorum verborum *saepe esse pollicitum.* Quibus utrisque ex locis apparet institutam a Cicerone hanc fuisse orationem, ut quaesturam suam rebus et officiis multis hactenus Lilybaetanis commendatam, verbis etiam ad extremum commendatam redderet; atque adeo significaret, se etiam absentem non modo coeptam erga provinciales homines benivolentiam Romae conservaturum, sed eam quoque libenter omnibus suis et assiduis officiis auctiorem facturum esse; si modo unquam tempus aliquod idoneum

ORATIO

PRO P. OPPIO (1)

13. QVINT. *lib.* 5, *cap.* 10] Vtrum quum Cottam appetisset, aut quum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est?

inciderit declarandae suae in illos perpetuae voluntatis: editam autem ab illo eo consilio putem, quo postea etiam orationes suas consulares ediderat, nimirum ut quemadmodum illae consulatus, sic haec quaesturae ipsius quasi monumentum exstaret; in quo primo veluti gradu honorum administrandaeque reipublicae tantam sibi continentiae diligentiae humanitatisque laudam sibi comparasse videbatur, ut nullam unquam ullius quaesturam praestantiorem et clariorem fuisse existimaret. Qua de re Plutarchus in eius vita, et ipse Cicero in defensione Plancii. Tempus porro, quo ea oratio habita est quum ex iisdem, quorum paulo ante meminimus Pediani locis colligi, tum ex ipsa quoque orationis inscriptione et libro de *claris oratoribus* plane cognosci potest. SCVTZ.

Quod non detrectare) Hoc fragmentum eruit Patricius ex Frontonis libro, qui continet exempla elocutionum. ID.

(1) P. Oppium M. Cottae fuisse quaestorem eius qui cum L. Lucullo consul Propontidem et Bithyniam sortitus bellum adversus Mithridatem Ponti regem parum feliciter est molitus, eumque Cottam ob insidiarum suspicione a se removisse tradit Dio lib. XLVI. Defendisse autem hunc videtur de maiestate, quum crimini daretur, quod de cibariis militum detraxisset, idque crimen M. ipsius Cottae testimonio premeretur. Haec autem ex verbis maxime Quintiliani colliguntur qui lib. V, c. 13 ita scribit: *Obiicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxit; asperum crimen: sed contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores obiecerunt Oppio, quod is voluerit largiendo corrumpere exercitum.* Et Fortunatianus: *Praeparosceve est, qua iudicem nobis praeparamus, quum aut quaedam nobis obsunt, et illis primum occurrendum est; ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottae auctoritatem.* Item Quintilianus lib. XI, cap. 1: *Cicero quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem*; et lib. V, c. 13: *Fortissime invaseris quod est iudicibus ipsis periculosum, et pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant.* SIG.

Vtrum quum Cottam) Quintil. lib. X, c. 10: *Fit etiam ex duobus (quorum necesse est alterum verum) eligendi adversario potestas, efficiturque, ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio; «utrum quum Cottam appetisset etc.» Haec autem ad purgandas insidias, quas Oppius Cottae fecisse insimulabatur pertinent.* Quo pertinere arbitror verba illa ex III libro historiarum Sallustii prolata a Nonio: *Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pu-*

14. QVINT. *ibid.*] Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit?

15. QVINT. *lib.* 11, *cap.* 1] At enim verisimile non est, tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum?

16. FRONTO] Questusque mecum est.

17. MARCELL. *lib.* 30] Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit.

18. QVINT. *lib.* 9, *cap.* 2] O amorem mirum! o benivolentiam singularem!

ORATIO

PRO C. MANILIO (1)

19. NONIVS *Confiteor*] Hoc ego non solum confiteor, verum etiam profiteor.

gionem expedire conatus a Cotta Vulscioque impeditur. SIG.

Quos educere invitos) Quintilianus eodem in loco: *Non dubito haec quoque vocare consequentia, quamvis ex prioribus dent argumentationem ad ea, quae consequuntur, quorum quidam duas species esse voluerunt actionis, ut pro Oppio: Quos educere invitos* etc. Haec vero eo spectat, ut Oppium non a Cotta dimissum, sed invito Cotta profectum esse ostendat. SIG.

At enim verisimile non est) Quint. lib. V, c. 13: *Communem, qui prior dicit, contrarium facit. Est enim contrarius, quo adversarius bene uti potest: « At enim non verisimile est* etc.» Lib. VI, c. 6: *Infinitum est enumerare ut Cottae detraxerit auctoritatem*; et V, 13: *Superba, ut in Oppium ex epistola Cottae reum factum.* Addit Severianus, *misericordiam nos movere, si ab iis nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse deberemus, ut Cicero pro Oppio, quod contra Cottam dictum videtur.* SIG.

Etenim multum posse] Sumitum ex Marcellino lib. XXX: *Isocratis vox est perpetua*, inquit, *docentis, ignosci debere interdum armis superato rectori, quam iustum quid sit ignoranti. Unde motum*, inquit, *existimo Tullium praeclare pronuntiasse, quum defenderet Oppium: « Etenim multum posse* etc. PATR.

(1) Manilium hunc accusatum fuisse constat, vel quod iudicium Cornelianum per operarum duces turbavisset, Cominiisque Cornelii accusatoribus mortem intentasse diceretur, ut Pedianus significat in praefatione Cornelianae primae, vel, ut Plutarchus

ORATIO

PRO M. FVNDANIO (1)

Deest principium.

20. PRISC. *lib.* 7] Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest.

21. PRISC. *lib.* 16] Essetne id, quod Meno nuntiasset.

22. SERVIVS 2. *Georg.*] Arcades se proselenos esse asserunt.

scribit in vita Ciceronis, repetundarum. Defensum fuisse a Cicerooe illud quodammodo fragmentum indicio est, quod io prima Coroelianá exstat his verbis: *Petivisse a se sive Cornelium*, ut expooit Ascooios, *sive populum ipsum, ut scribit Plutarchus, ut causam Manilii defenderet. Idem autem aperte significat, tum Plutarchus ibidem, tum etiam fragmentum orationis huius. Quum iudicio non respondisset, damnatus est*, ut scribit ibidem Asconius. Quo quidem in loco qoaeri potest, quando videri possit a Cicerone esse defensus, quum iudicio non respooderit. Qoa de re ego saue ita statuerem, vel revera non respondisse eum iudicio, atque ita Ciceronis orationem hanc scriptam tantum ad Coroelii petitionem, et deinde in commentarios ipsos cum multis aliis orationibus relatam, non etiam habitam fuisse; vel qooniam habitam fuisse oratiooem Plutarchus scribit, quum priore actione respondisset, ad quam fortassis maiore spe patrono Cicerone accesserat, altera non respondisse, neque ad iudicium deinceps adfuisse: quum iam videlicet non obscure intelligeret ex iis, quae priore actione non difficile aoimadverti poterat, se omoino iudicio coodemnatum iri. Sicut Verrem quoque fecisse Pedianus extrema sua in secundam Verrinam commentatione scribit. PATR.

(1) Orationis pro M. Fondauio, qoamquam tenuis, tamen certa memoria est. Primum eoim Quiotilianus lib. I, c. 6 ita ait: *Cicero pro Fundanio testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet.* Deinde Servius in II Georg. ita: *Arcades se proselenos esse asserere, id est, ante lunam natos esse Cicero in Fundaniana commemorat.* Qoin etiam Priscianus lib. VII ex oratione pro Fundanio verba, *Non modo hoc — probari potest*, profert, et Boëthius in libro de definitionibus ait, hanc descriptionem Ciceronem pro Fundauio adhibuisse. M. deoiqoe Fundaoii a Cicerone defensi meminit Q. Frater in libello de petitione consulatus. SIG. Habita est haec oratio bieunio illo ante cousolatum Ciceronis, quod apparet ex eod. loco Q. Fr. de pet. Cous. PATR.

Arcades) Ausûs sum hoc fragmentum recipere, Servii auctoritate commotus in lib. II Virg. Georg. De antiquitate Arcadum sic canit Ovid. I Fastorum: *Orta prior luna de se si*

23. SERVIVS *in* 9 *Aeneid.*] Commissura.

24. ACRO *in Poet.*] Puncta.

25. BOET. *de definit.*] Descripsistine eius necessarium, nostrum competitorem? istum ipsum, cuius nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est.

ORATIO

PRO C. CORNELIO I.a (1)

cuius fragmenta servavit Asconius.

creditur ipsi *A magno tellus Arcade nomen habet.* Et lib. II: *Ante Iovem genitum terras habuisse feruntur Arcades et luna gens prior illa fuit.* Meminit huius loci etiam Lactantius Placidus ad illud Thebaid. Stat. IV: *Arcades hac veteres astris lunaque priores* Cicero pro Fundanio opinionis eius meminit, quum de nobilitate tractaret. Vnde vides qua occasione Arcadum proseleuurum mentionem fecerit. GRAEV.

Commissum) Ausus sum et hoc item alterum adiicere ex eodem Servio in IX Aeneid., ubi Servius *commissuram* tabularum coniunctionem exponit ex auctoritate Ciceronis in Fundaniana. Vtitur autem praeterea commissurae vocabulo Cic. de N. D. l. I, c. 56, et de Vniversitate. PATR.

Puncta) Acron in Horatii ep. ad Pisones, *puncta*, inquit, *dicuntur populi suffragia. Vsus est hoc verbo Cic. in Fundaniana.* ID.

(1) Nobilissima in primis haec causa putatur quam Cicero dixit pro C. Cornelio de maiestate, quod quum ex Asconii elegantissimo commentario intelligi potest, tum vero etiam ex aliorum multorum, quorum verba non pigebit afferre. Ac primum quidem, quod exstat apud Lactantium lib. VI, cap. 2, Ciceronis ipsius iudicium debet esse gravissimum, apud quem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus praeferens, malle se dicit vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio, quasi vero haec Corneliana defensio longe inter omnes alias maximis eloquentiae laudibus abundaret, et eiusdem in Oratore qui in exemplum earum defensionum quae varietatem haberent, hanc ipsam attulit. Adde huc testimonium Cornelii Nepotis, qui, ut scripsit Hieronymus adversus errores Ioannis Hierosolymitan., memoriae prodidit, se praesente iisdem paene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio seditioso tribuno defensionem peroratam. Quid de Tacito dicam? qui in dialogo *de oratoribus* scripsit ita: *Satis constat C. Cornelium, et M. Scaurum, et T. Milonem, et L. Bestiam, et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos.* Possum etiam commemorare, ut huius causae saepe meminerit Quintilianus atque exempla artificiosae eloquentiae inde saepe petierit, quod non nisi cognita et testata eius nobilitate fecisset. Hinc enim illa sunt (Lib. V): « Nec fortibus modo, sed

etiam fulgentibus armis proeliatus est in causa Cornelii Cicero» qui non assecutus esset docendo iudicem tantum, ac Latine perspicueque dicendo, ut populus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur.» Praeterea lib. VI, c. 6, ita ait: *Infinitum est enumerare, ut Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit.* Et lib. V, cap. 13: *Testes in Cornelium accusator lecti a tribuno codicis pollicetur; facit hoc Cicero supervacuum quia ipse fateatur.* Item: *Quod autem posui, referre, quo quidque accusator modo dixerit, huc pertinet, ut, si est minus efficaciter loquutus, ipsa eius verba ponantur; si aeri et vehementi usus fuerit oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus, ut Cicero pro C. Cornelio: « codicem attigit.»* Et l. IV, c. 3: *Pro Cornelio*, inquit, *popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio, in quam ille divinus orator, velut numine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone, divertit.* Hoc autem credo fecit, quod C. Cornelius Pompeii quaestor fuerat. De quaestione porro huius causae idem lib. VII, cap. 4: *Est enim interim certa finitio, de qua inter utramque partem convenit: ut Cicero dicit: Maiestas est in imperio atque in omni populi romani dignitate; quaeritur tamen an maiestas minuta sit, ut in causa Cornelii quaesitum est.* Hanc autem causam in duas partes fuisse divisam, praeter Asconium, Cicero etiam ipse et Priscianus significant: Cicero enim in Oratore se ipsum in secunda Corneliana citat. Priscianus Ciceronis exempla profert in hunc modum: *Cicero pro Cornelio in primo et in secundo.* Iam vero causam quatriduo peroratam ostendit etiam Plinius libro primo epistolarum quum scribit: *Cicero pro Cluentio ait, se totam causam vetere instituto solum perorasse, et pro Cornelio quatriduo egisse;* ne dubitare possimus, quae per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa, ac purgata in unum librum, grandem quidem, unum tamen coarctasse. At aliud est actio, aliud oratio. Ex his autem intelligi potest, quum longam orationem pro Cornelio in Hortensio dixit, priorem intellexisse. Quin etiam huius orationis meminit Boëthius libro de differentiis Topicis: *Cicero*, inquit, *pro Cornelio, quid sit maiestatem minuere tractat, quod malam legem tulit, quod legendo codicem intercessionem sustulit, quod seditionem fecit.* Postremo de accusatore etiam Cornelii P. Cominio sic ipse scriptum reliquit in Bruto: *Itaque ne hos quidem equites romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi Cornelium, in quo et compositum dicendi genus, et acre et expeditum fuit.* Quod autem in argumento Asconius Cotta et Torquato coss. hanc habitam scribit, post annum, quam superiores, intelligit eas, quas pro Q. Gallio, M. Fundanio et A. Cluentio dixit, ut supra ex libro de petitione consulatus significavimus. Quod vero in eodem argumento vulgo legitur: *Eam tulit invitis optimatibus, qui vel paucos gratificari solebant*, satis certum est legendum *qui vel pauci*; nam et sensus hoc postulat, et loquendi antiqua ratio. Sensus ex prioribus verbis exprimitur: *Eaque ipsa senatusconsulta per paucos admodum fiebant.* Locutionem comprobat Livius lib. X: *quod populi ius sit, iubeat potius, quam patres gratificentur.* Quod scriptum est praeterea, *sequente deinde anno L. Torquato Cos. quo haec oratio a Cicerone praetore dicta est*, satis ap-

paret, quum anno ante Cicero praeturam gesserit, *praetorio* non *praetore* esse legendum. Quod etiam post scriptum est: *Ex S. Cos. praesidebant et iudicio*, malim ita legere: *Ex S. C. consules aerario praesidebant et iudicio*; hoc enim post etiam factum *est Pompeio consule in iudicio Milonis*. Sig.

Haec oratio implere poterat, ut ex Asconio coniicio, viginti amplius folia excusa, qua quidem magnitudine nullam fere reperies inter eas orationes, quae Ciceronis numeraretur. Itaque non immerito in Hortensio hanc istam orationem longam vocat, et Plinius lib. II epist. in hunc grandem librum omnia quae per dies quatuor latius dixerit coarctasse dicit Ciceronem. Nunc si frusta omnia lacera sparsimque dispersa unum in locum congerantur, vix folium ex ea retinemus. Meminit huius quoque orationis Fortunatianus lib. II Rhetor. *Hypophorae*, inquit, *plenae copiosaeque ponuntur irridendi adversarii gratia, si hoc augeat, de qua nulla quaestio est, ut Cicero pro Cornelio maiestatis.* De dispositione autem eius orationis sic scribit Martianus Capella lib. V, ubi agit de dispositione: *In oratione*, inquit, *pro Cornelio primo refutata sunt crimina, quae sequuta sunt tribunatum, post ad ipsum tribunatum recursus est factus; quae dispositio*, inquit, *artificialis, ut diximus, nominatur.* Patr.

ARGVMENTVM ASCONII.

Cornelius homo non improbus vita habitus est. Fuerat quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus pl. C. Pisone consule, biennio antequam haec dicta sunt. In eo magistratu ita se gessit, *ut iustior* (1), *sed pertinacior videretur*. Alienatus autem a senatu ex hac causa. Retulerat ad senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia mutua magna daretur usura, turpiaque et famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. Cuius relationem repudiavit senatus: et decrevit satisfactum videri eo S. C. quod ante annos aliquot Cn. Domitio, C. Caelio consulibus factum erat, quum senatus ante pauculos annos illo S. C. decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius ea re offensus senatui, questus est de ea re in concione, exhauriri provincias usuris, providendum ut haberent legati unde in praesentia pecuniam creditoribus darent: promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur: quod antiquo quoque iure erat cautum. Itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adiici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim

(1) *Ut iustior sed pertinacior*) Manutius coni. *ut iusto pertinacior*.

ferri erat desitum, resque iam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adiiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per paucu los admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentissimi quique ex senatoribus, quorum gratia magnopere minuebatur. Itaque P. Servilius Globulus tribunus pl. inventus erat, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit, et praeco subiiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subiicere et praeconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit, quod quum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tollique ea re tribuniciam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est. Et quum ille eos, qui sibi intentabant manus, prendi a lictore iussisset, fracti eius fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in consulem iacti. Quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. Actum deinde eadem de re in senatu est magnis contentionibus. Tum Cornelius ita ferre rursus coepit, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC affuissent, neve quis, quum solutus esset, intercederet, quum de ea re ad populum ferretur. Haec sine tumultu res acta est; nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus esse eam legem, sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci senatusconsultum facere solebant. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Quae res tum gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere assueverant, sustulit. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit: quibus plerique collegae intercesserunt: per quas contentiones totus prope tribunatus eius peractus est. Sequenti deinde anno M. Lepido, L. Vulcatio Coss. quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Caius, et quum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est; adesse iussisset, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam, seu gratificans reo: circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent. Quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati rei descenderant. Et quum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultaverunt, deinde per tecta vicinarum aedium profugerunt ex urbe. Postero die quum P. Cassius assedisset, et citati accusatores non adessent,

exemptum nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato Coss. quo haec oratio a Cicerone praetore dicta est, quum prima pars M. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, * *deinde quod ex S. C. anno* Coss. praesidebant, et iudicio non respondisset, atque esset damnatus, * recreavisset, iam accepta pecunia tollere ait Cornelium lege maiestatis. Res acta est magna exspectatione. *Paucos ante me ergo* Cornelius, perterritus Manlii exitu, in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem illius ab advocatis eius oriretur. Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M. Lepidus. Dixerunt autem hoc, vidisse se, quum Cornelius in tribunatu codicem pro rostris ipse recitaret: quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur; volebant videri, se iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutae maiestatis tribuniciae pertinere. Etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare id factum esse, eo confugit, ut diceret, non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribuniciam potestatem. Qua vero arte et scientia orationis? ita ut et dignitatem clarissimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, et tamen auctoritate eorum laedi reum non pateretur. Quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit. Adiumentum autem habuit, quod, sicut diximus, Cornelius, praeter districtum propositum adversus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat, quod magnopere improbaretur; praeterea quod ipse Globulus, qui intercesserat, aderat Cornelio, et quod ipsum quoque diximus, quod Cornelius Pompeii Magni quaestor fuerat apud duas praefecturas equitum Rom. et tribunos, et ex tertia quoque parte apud plerosque exceptis iis familiaris principum civitatis. Res acta est magno conventu, magnaque exspectatione, quis eventus iudicii futurus esset. A summis viris dici testimonium, et id quod ii dicerent, confiteri reum animadvertebant. Exstat oratio hominis accusatoris: quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro

Deinde quod ex S. C. anno Coss. praesidebant et iudicio) Legendum opinor, *deinde quod ex S. C. eo anno Coss. praesidebant iudicio.* Popma malebat *ex S. C. ambo Coss.* Sch.

Paucos ante me ergo) Legendum videtur *paucos amicos ergo.* Id.

Cornelio habemus, sed etiam propter semetipsam: Cicero ipse significat, quatriduo Cornelium defendisse, quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. Iudicium id exercuit Q. Gallius praetor.

26. PRISC. *lib.* 6] Vt ab Iove optimo maximo, ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petamus. *Hoc fragmentum orationis Cornelianae ad primam refertur a Graevio.*

ASCONIVS

Versu a primo circiter CLXI

Postulatur apud me praetorem primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur. Videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum proiectos.

Quid? Metellus summa nobilitate ac virtute, quum

Videlicet homines foeneos) Simulacra effigiesque hominum ex foeno fieri solebant, quibus obiectis ad spectaculum praebendum tauri incitarentur. Asc.

Quid Metellus? — omnibus rebus ornata] Hoc exemplum affert hoc loco, quod vult probare, desistere eum debere ab accusatione, quamquam neque accusaverit, neque fecerit pactionem. Nam Metellus et postulaverat Curionem, et destiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem et ad C. Curionis industriam, ut tegeret id, quod illi utilius, quam honestius fecerant. Res autem tota se sic habet, in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit. Fuerunt enim tunc plures Q. Metelli. Ex quibus duo consulares, Pius et Creticus. De quibus apparet, eum non dicere duo adolescentes; duo autem adolescentes, Nepos et Celer. Ex quibus nunc Nepotem significat. Eius enim patrem Q. Metellum Balearici filium, Macedonici nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit. Isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem accusatorem suum accusaret, et id facturum iureiurando adegit. Metellus fecit reum Curionem; quumque interim quendam civem idem Metellos servum esse contendens vi arripuisset, ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit. Dein, quum appareret eum exitum iudicii illius futurum, ut liber is iudicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat: inter Metellum et Curionem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perstaret in accusatione Curionis; eaque pactio ab utroque iuramento confirmata est. Hoc ergo illud

bis iurasset: semel(*) privatim a patre, iterum publice:

pertinet, quum iurasse dixit, semel privatim, et iterum legatum (1), scilicet quum in Curionem calumniam iuravit. Cum hoc autem Metello Cicero posteu simultates gessit; evasit enim Metellus malus atque improbus civis. Asconius.

(1) Asconii hunc locum alii aliter emendant. Ego sic legendum puto; *semel privatim et iterum lege coactum*. Hoc enim Asconius his verbis vult ostendere: Metellum bis iurasse, *semel privatim*, quum eius patrem Q. Metellum Curio accusasset, isque Metellus moriens peteret ab hoc filio suo Metello, ut Curionem accusatorem suum accusaret, et id facturum esse, iureiurando udegit. Iterum *lege coactum*, *scilicet quum in Curionem calumniam iuravit*, *se non calumniandi causa Curioni litem movere*, *sed quod existimet sese iustam causam fovere*. Nam et actores quoque, qui litem aliis inferunt, ad iuris iurandi de calumnia vitanda praestationem lege teneri, manifestius est, quam ut probari debeat. T. Popma.

(*) *Semel privatim a patre iterum publ.*) Vulgo sic legitur: *Quid Metellus summa nobilitate? quum his iurasset, semel privatim privatum parte publice legis deiectus est ratione an vi an vero*, mendose sine dubio, sed quae iocnda ex commentatione Asconii fortasse tolli possit hoc modo: *semel privatim*, *iterum publice lege deiectus est*. Sic enim ait Asconius. Huc igitur illud pertinet quum *iurasse* dicit, *semel privatim*, *et iterum lege*, tum scilicet, quum in Ciceronem calumniam iuravit. Sic enim hic locus sine dubio legendum est, non ut vulgo: *Et iterum legatum scilicet* quod sine ullo loci sensu fiebat. Sig. — Locum esse vitiosum asterisci indicant, qui plurimi sunt in meo Asconio. In restituendo primum sensus ipse requirit verbum *iterum*, idque etiam aperte est in commentario Asconii. Cetera attingere vix audeo. Quid tamen si sic? *Quum bis iurasset*, *semel privatim*, *iterum aperte et publice*, *tamen is deiectus est accusatione an vi*, *an veritate*. *In quo suspicionem omnem tollit C. Curionis virtus etc.* Expono: Metellus bis iuravit Curionem accusare, semel privatim, a patre moriente adactus, ut testatur Asconius, verbum *iterum* aperte et publice, *legatus* ut habent vulgares libri in Asconii commentario, ut ego autem legendum existimo, *lege actus* (respondet enim illi *a patre adactus*, significatque iuramentum calumniae, de quo multa in libris ICtorum) et tamen destitit accusatione, sive vi (metuabat enim ipse quoque Curionis accusationem, de qua Asconius in commentario) sive veritate, ut qui Curionem non tam ob ipsius culpam ullam, quam ob patris sui imperium, accusaret (quamquam hoc quidem ab oratore causae iuterim serviente dictum existimari debet): *Quin tu igitur quoque*, *o Comini accusator*, *destitis*, inquit, *accusatione tua? praesertim quum in hoc Metelli facto*, *ne quid prorsus turpe subesse existimare possis*, *ipsius faciat et Curionis probitas acta et perspecta*. Hoc enim addidit teste Asconio, *ut tegeret* (sic enim lego, non ut est in omnibus quae vidi exemplaribus *legeret*), id quod illi utilius inter se, quam honestius fecerant. De hac autem eiusdem transactione vide lu Cod. *de transactione* L. *Transigere*. Haec quum ita scripsissem, venit in mentem alia lectio, haud multum etiam ab hac

a lege coactus destitit accusatione. An vi, an veritate? In quo suspicionem omnem tollit C. Curionis virtus ac dignitas, et Q. Metelli adolescentia, ad summam laudem omnibus rebus ornata.

Legem, inquit, de libertinorum suffragiis Corne-

Legem inquit — quae paucis his annis non modo scripta sed etiam lata esset] P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem tulisse significavit. Tulit autem Sulla, qui postea Felix sppellatos, Q. Pompeio coss. ante XVI sooos quam haec dicta sunt, quum per vim rempublicam possedisset, ab initiis bonarum actioonm ad perditos progressus. Quod et ioitium bellorum civilium fuit, et propter quod ipse Sulpicius consulis armis iure oppressus esse visus est.

differeos sic: *Metellus summa nobilitate ac virtute quum bis iurasset, semel privatim a patre, iterum publice lege aduetus, deiectus est.* Celern ad eum modum, quem dixi. Erroris occasio fuit, quod librarius verbum *privatim*, modice commutatum bis inaniter repetierat, et pro *patre*, *parte* reposuerat, et ante id verbum particulam *a*, post id autem verbum particulam *iterum* omiserat et pro *adactus* quod erat proximum, *deiectus* quod erat remotius posuerat, et *omnem* in *animi* commutaverat. Sigonius ad restituendum eum locum haoc in posteriore editione lectionem attulit: *semel privatim*, *iterum publice lege deiectus est ratione an vero? Suspicionem enim tollit* etc. Nos utramque io medio relinquimus, nec praeter additum verbum *iterum*, quod et sensus requirit, et Asconius suggerit, et recipit Sigonius, in contextu ipso quidquam mutavimus; ut videlicet tanto expeditior ceteris quoque deliberandi facultas relioquatur, si praeiudicium veluti nullum adferatur. Sed postquam semel in eius loci emendationem ingressus sum, conabor adhuc si potero opem ferre Asconio. Is ita loquitur in eorum verborum expositione. *Hoc exemplum*, inquit, *affert hoc loco, quod vult probare, desistere eum debere ab accusatione quamquam neque accusaverit neque fecerit pactionem.* Puto enim pro *accusaverit*, *accusatus fuerit* esse reponendum. Nisi forte activum usurpaverit pro passivo, ut saepe alias usurpasse antiqui reperiuntur. Patr. — Fulvius Vrsinus ita legere malebat: *Quum bis iurasset, semel privatim patri, iterum publice legi, is deiectus est ratione an vi? an varii suspicionem animi tollit* etc. Sch.

Legem inquit—Cornelius cum Manilio dedit) Legendum ex ipsa loci sententia: *Cornelius C. Manilio dedit*; et post quum ait *nam tulisse ridiculum est*, pro *tulisse* legendum *dedisse*. Id quod Paulus Maontius vir acutissimo iogenio praeditus, vidit. Sigon.

Legem inquit) Haec ad confutationem videntur pertinere. Verba enim adversarii recitari, verbum *inquit* iodicio est, qui ultra institutam accusationem maiestatis criminabatur etiam fortassis, legem *de libertinorum suffragiis* a Manilio tribuno latam a Cornelio suggerente desumptam fuisse. Vereor modo, ne pro *tulisse*, aliud quippiam sit reponendum, utpote

lius cum Manilio dedit. Quid est hoc, DEDIT? an tulit, an rogavit, an hortatus est? nam tulisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam. Quae lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset.

In quo quum multa reprehensa sint, tum inprimis celeritas actionis.

Petivit tamen a me praetore maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem.

Versu a primo DCCCCI.

Dicit de eodem Manilii tribunatu.

Nam quum is tribunus plebis duas leges tulisset in

Tum inprimis celeritas actionis] Celeritatem actionis significat, quia Manilius, sicut iam ostendimus, post paucos statim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit.

Petivit tamen a me praetore] C. Cornelium significat, sicut iam ante dictum est.

Nam quum is tribunus plebis] Dictum est enim supra de his legibus, quarum una de libertinorum suffragiis, quae quum S. C. damnata esset, ab ipso

docuisse, vel *suasisse*, vel quid eiusmodi. Sic enim distinguo: *Quid hoc est, dedit? an tulit? an rogavit? an hortatus est? nam docuisse quidem ridiculum est.* videlicet verbum *dedit* quo usus erat adversarius, quadrifariam interpretatur: ut sit *dedit*, vel *tulit*, vel *rogavit*, vel *hortatus est*; vel denique ut nos legendum exempli causa suspicamur, *docuit*, vel *suasit*. Et quoniam postremam maxime ex adversarii sententia esse videbatur, idcirco veteres interpretationes omittere, hanc autem postremam ridiculi appellatione explodere atque reiicere videtur. Quod autem *legem* nominat *de libertinorum suffragiis; illam significat, de qua scribit Pedianus in Milonianam, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset.* PATRICIVS.

Petivit tamen) Haec etiam ex adversarii obiecta criminatione repeti videtur de Cornelio. Quum enim defendisset orator, legem ipsum Manilio non dedisse respondendum fuit, cur causam tamen Manilii sic curae haberet, ut eam a Cicerone praetore defendi cuperet. Cui ego rei statim responsum fuisse credo. PATRIC.

Nam quum is tribunus plebis) Non immuto, quod vir doctissimus Sigonius reposuit. Admoneo tantum apud me in Asconio sic legi: IN VESTRI ORDINI * FVIT. *Dictum est etiam supra dictis legibus.* Vt verbum FVIT videri possit non ad Ciceronis sed ad Asco-

eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam: quod summam rempublicam laesit, id ab ipso tribuno abiectum est. Bonum autem in summa republica manet.

Dicit de disturbato iudicio Maniliano.

Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum iudiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt.

Versu circiter CXI.

Possum dicere, hominem summa prudentia clarum, C. Cottam, de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse.

quoque Manilio abiecta est; altera autem defensa est de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem maudando, ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat.

Aliis ille — meis alienissimum rationibus cupierunt] L. Catilinam et Cn. Pisonem videtur significare. Fuit autem Catilina patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum, quum provinciam Africam obtinuisset, et consulatus candidatum se ostendisset. Accusator erat eius P. Clodius adolescens, ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. Cnaeus quoque Piso adolescens potens et turbulentus, familiaris erat Catilinae, omniumque eius consiliorum particeps, et turbarum auctor.

C. Cottam] Hic est Cotta, de quo iam saepe diximus, magnus orator habitus, et compar in ea gloria P. Sulpicio et C. Caesari. Videntur autem in rebus parvis fuisse leges illae, quas quum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum. Nam neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud nii commentarium pertinere. Illud autem IN VESTRI UADINI * aliquo fortassis alio modo corrigi possit. Nam quod Asconius EXTRA UADINEM habet, non cogit nos illud in Ciceronem recipere. Sed tamen, ut dixi, nibil muto, quia et sententiam habet. SCH.

Possum dicere — ad senatum tulisse) Haec ad illud pertinere videntur. Quum enim Cornelius maiestatis esset accusatus, idque ex eo primum, quod significat Boëthios in libro *de differentiis topicis*, quod malam legem tulisset, necesse fuit oratori ad eam obiectionem respondere, etsi legem malam tulisset, tamen maiestatem populi non minuisse Cornelium, quod quidem hoc loco exemplis legum Aureliarum duarum et Liciniae Muciae demonstrare conatur. PATRICIVS.

Sequitur.

Possum et eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis anno post, quam lata sit, a fratre eius abrogatam.

Statim.

Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed perniciosam reipublicae fuisse.

Quatuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per senatum, more maiorum, statatur aliquid de legibus. Vnum est eiusmodi, placere legem abrogari: ut Q. Caecilio, M. Iun' consulibus, quae leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur.

Alterum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri

Fenestellam ullius alterius latae ab eo legis mentio, praeter eam, quam in concione tulit, repugnante nobilitate, magno populi studio, ut iis, qui tribuni pl. fuissent, alios quoque magistratus capere liceret; qood lex a dictatore Sulla paucis ante annis lata prohibebat. Nequa eam Cottae legem abrogatam esse siguificat.

Possum et eiusdem Cottae] M. Cottam significat. Fuerunt autem tres. Duo hi, C. at M., tertius L. Cotta, qui lege sua iudicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos aerarios; adeptique sunt omnes consulatum.

Legem Liciniam et Muciam] L. Licinium Crassum oratorem, et Q. Mucium Scaevolam Pont. max. eundemqua et oratorem et iurisconsultum significat. Hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis iu sna civitate sociis, in suo consulatu tolerunt. Quum enim summa cupiditate civitatis romanae Italici populi tenerentur, et ob id magna pars eorum pro civibus romanis se gererent, necessaria lex visa est, ut in suas quisque civitatis ius redigeretur. Verum ea lage ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea val maxima causa belli Italici, quod post trienuium exortum est, fuerit.

Quatuor omnino genera sunt] Q. Caecilius Metellus Numidicus, M. Iunius Silanus, de quibus facit mentionem, consules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prava simul et infeliciter gestum est. Atque ipse quoque hic Iunius male rem adversus Cimbros gessit, ac plures leges, quae per eos annos, quibus haec sic gerebantur, populo latae erant, quibus militiae stipendia minuebantur, abrogavit.

Alterum quae lex] Puto vos reminisci, has esse leges Livias quas illis

populum teneri : ut L. Marcio, Sex. Iulio consulibus, de legibus Liviis.

Tertium est de legum abrogationibus, quo de genere persaepe Senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quae derogaretur.

P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus est, quod, quum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari.

cousulibus M. Livius Drusus tribuuus pl. tulerit; qui quum senatus partes tuendas suscepisset, et leges pro optimatibus tulisset, postea eo liceutiae est progressus, ut nullum in iis morem servaret. Itaque Philippus consul, qui ei ioimicus erat, obtiuuit a senatu, ut leges eius omues a seoatu tollerentur. Decretum est enim coutra auspicia esse latas, ueque iis teneri populum.

De ipsa lege Calpurnia) Lex baec Calpurnia de ambitu erat. Tulerat eam ante bieunium C. Calpurnius Piso cos., in qua, praeter alias poenas, pecuniaria quoque poena erat adiecta.

P. Africanus ille superior) Hoc factum est secuudo consulatu Scipionis, post septimum auuum quam Carthaginieusibus bello secuudo data est pax. Factum id esse autem Autias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles eurules Attilius Serranus, T. Scribouius Libo; id eos fecisse iussu censorum Sex. Aelii Paeti, C. Cornelii Cethegi. Et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem sequutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem, secerni a cetero consessu spectacula senatorum. In ea autem, quam post aliquot auuos habuit de haruspicum responso non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum seuatoribus, videtur significare. Verba eius haec suut: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in palatio nostri maiores ante templum Matris Magnae fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus II. Cos. et collega eius Sempronius Longus hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium.* Aediles enim eos ludos facere soliti erant. Votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus Coss. fecerunt. Non praeterire autem vos volo, esse oratoriae calliditatis, ut quum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur. Nam quum secundum Ciceronis opiuionem auctore Scipione consule aediles secretum ante omues locum spectaudi seuatoribus dederiut, eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratioue, quia causa popularis erat, premebaturque seuatus auctoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis quam possit maxime elevari causae expediebat, pocuituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri, in ea oratione de haruspicum responso, quia in senatu babebatur, cuius auribus erat blaudiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse daudi, nam id erat levius, sed ipsum etiam dedisse dicit.

Circa medium

Quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, iubest dicere.

Est utique ius vetandi, quum ea feratur, quamdiu non perfertur: quamdiu qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc et illuc transferuntur; dum privati dicunt; dum tabellae diribentur; dum sitella defertur; dum aequantur sortes; dum sortitio fit: et si qua sunt huius generis alia.

Est utique ius vetandi — et si qua sunt huius generis alia) His peractis, quum id solum superest, ut populus sententiam ferat, iubet unumquemque is, qui fert legem, discedere. Quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco, ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus. Populus enim confusus, ut semper alias, ita et in concione.

Est utique ius vetandi — transferuntur id est lex) Sustuli voces *id est lex*, quae videntur in albo libri posita fuisse eis vocibus declarandis, *quum ea feratur*, et locum hunc per se satis mendosum, mendosiorem reddunt. Illa autem *quamdiu ferundi transferuntur* hoc significant, *quamdiu ferundi suffragii causa in suas tribus transferuntur*. Quod ita esse declarat Asconius hoc loco, quum ait: *His peractis, quum id solum superest, ut populus sententiam ferat, iubet unumquemque is, qui fert legem, discedere, id est in suam quemque tribum discedere, in qua est suffragium laturus*: Verba autem Asconii, quae ita leguntur: *Circa medium, quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, iubeat dicere* manca esse et corrupta puto; legenda autem ita esse: *Qua loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt antequam, qui legem fert, populum iubeat discedere.* Quod ex verbis quae sequuntur, declaratur. Sigon.

Est utique ius vetandi) Ante huius fragmenti initium sic lego in Asconio: *Circa medium quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt.* Reliqua esse corrupta indicat asteriscus in meo libro appositus. Ipsa autem verba Ciceronis in meo Asconio sunt perscripta: *Est utique ius vetandi, quum ea feratur quamdiu * ferundi transferuntur. Id est * lex dum privati dicunt dum * dum sitella defertur.* Quibus sane verbis tot esse appositos asteriscos, indicium est loci corrupti et vitiati. Quid nos? possumusne aliquam facere medicinam? vix puto. Sed tamen conatui nulla est poena proposita. Itaque sensum fragmenti hunc ex Asconio ostenderim: numerari hoc quidem loco ab oratore quot loca intercessionis sint, quum lex possit: *Est utique ius vetandi, quum ea feratur, quamdiu videlicet non perfertur, et quamdiu variis adhuc opinionibus ii, qui suffragii conveniunt gratia ferundi, transferuntur, id est, prorsus antequam fiat lex, dum pri-*

Paulo post.

Vnum tamen, quod hoc ipso tribuno plebis factum est, praetermittendum non videtur. Neque enim

Vnum tamen quod hoc ipso — nec criminosius tribus ac legem accipiendam) Manifestum est de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum adversus piratas datum est. L. autem Trebellius tribunus pl. quem non nominat: quo perseverante intercedere, (nam senatui promiserat, moriturum se ante quam illa lex perferretur) intro vocare tribus Gabinius coepit, ut Tre-

vati dicunt, dum tabellae diribentur, dum sitella defertur etc. Totum autem hunc morem, de privatorum concionibus, tabellis deferendis, sitella deferenda, aequatione sortium, sortitione ipsa, copiose ante me explicarunt Nicolaus Gruchius, qui de comitiis, et Paullus Manutius qui de legibus romanis eruditissime scripsit. Ego sensum tantum Ciceronis paucis illustrabo. *Ius*, inquit, *legi intercedendi vel proprie magis vetandi* (hoc enim verbo solemni, qui intercedebant utebantur) *est eo die, quo ipsa fertur, non ante, quum trinundino promulgatur.* Alioqui enim ante tempus, ut Livius lib. XLV ait, intercessio fieri videbatur. Neque post, quum iam perlata est, id quod Plato etiam in libris suis nominatim prohibuit, sed in ipsis comitiis legum ferendarum caussa, ubi lex iam a praecone recitata, a populo autem nondum iussa et accepta est; dum privati dicunt, producti in concionem a magistratu, legem suadendi aut dissuadendi gratia; dum tabellae duabus notis V. R. et A. insignitae, populo diribentur i. e. distribuuntur; dum sitella, in quam tabellas diribitas coniiciunt, defertur per rogatores; dum aequantur sortes, hoc est, dum sitella ita agitatur, ne qua sors subsultans exsistat, sed ut pariter omnes aequatae iaceant; dum sortitio fit, id est, dum sortes ipsae et tabellae, ex urna extrahuntur; dum alia denique fiunt eiusdem generis. Haec ita ad verbum ex priore editione nostra. Nunc enim, quum Sigonium intueor hunc istum locum, quem priore editione intactum reliquerat, castigantem, sic corrigendum esse existimarem: *Est utique ius vetandi, quum ea feratur, quamdiu videlicet non perfertur, et quamdiu in tribus suas ii, qui suffragii conveniunt gratia ferundi, transferuntur; id est prorsus antequam fiat lex, dum privati dicunt, dum tabellae diribentur, dum sitella defertur.* Placet nimirum Sigonianum illud: *quamdiu suffragii ferundi causa in tribus suas transferuntur.* Patric.

Vnum tamen, quod ipso tribuno plebis) Cornelium ipsum intelligit, pro quo habetur oratio. Quum autem deinceps de re alia, alium trib. pl. A. Gabinium nominans dicit, *plus unius collegae sui*, oratorie loquitur. Nec enim minus L. Roscius Gabinio tunc intercessit ut significant historici, quam L. Trebellius, ut exponit hoc loco Asconius, qui quidem locus Asconii post aliorum emendationem etiam mea sententia sic legendus est: *L. autem Trebellius tribunus plebis est, quem non nominat.* Abest enim verbum *est* ab exemplaribus; sicut et paulo infra: *Neque apud Sallustium*,

maius est legere codicem, quum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre; nec gravius, incipere ferre, quam perferre; nec vehementius ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegae magistratum derogare; nec criminosius, tribus ad legem accipiendam, quam ad collegam reddendum privatim intro vocare: quae vir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia; neque, quum salutem populo romano atque omnibus gentibus finem diuturnae captivitatis, turpitudinis, et servitutis afferret, passus est, plus unius collegae sui, quam universae civitatis, vocem valere et voluntatem.

At enim de corrigenda lege retulerunt.

Idem, nisi haec ipsa lex, quam C. Cornelius tulit,

bellio magistratom abrogaret, sicut quondam Ti. Gracchus tribunus M. Octavio collegae suo magistratum abrogavit: et aliquandio Trebellius ea re non perterritus aderat, perstabatque in intercessione, quod omnia magis, quam perseveraturum esse Gabinium, arbitrabatur. Sed postquam X et VII tribus rogationem acceperunt, et una mena esset populi, qui supererat, ut iussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius; atque ita legem Gabinius de Piratis persequendis pertulit.

At enim — retulerunt) Diximus iam in principio, Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per senatom lege solveretur: deinde tulisse, ut tum denique de ea re S. C. fieret, quum adessent in senato non minus CC.; haec est illa, quam appellat, correctio.

Idem nisi — oportere) Quia defuerat superioribus temporibus in aerario pecunia publica, multa et saepe eius rei remedia erant quaesita. In quibus hoc quoque, ut pecuniae publicae, quae residuae apud quemque essent, exigerentur. Id autem maxime pertinebat ad M. Cornelium Faustum, dictatoris

inquit, *neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius latae ab eo legis mentio praeter eam etc.* pro *mentio est*. Gabinii historiam eam, cuius hic meminit, praeter Asconium, qui eam hoc loco explicat, vide in Dionis XXXVI, et Plutarchi Pompeio, et Appiani bello civili, et Ciceronis ipsius ea, quae est pro lege Manilia. Ferebat enim tum Gabinius trib. pl. rogationem de bello piratico Pompeio mandando, quam ut hoc quidem in loco rem optimam appellat orator, ita in ea quae est p. red. in sen. haec verba habet: *A. Gabinius nisi in tribunatu rogationem de piratico bello tulisset, profecto et egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset.* Patric.

obstitisset; decrevissem id, quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnaverunt, senatui non placere id iudicium de Sullae bonis fieri. Quam ego causam longe aliter praetor in concione defendi, quum id dicerem, quod iidem iudices postea statuerunt, iudicium aequiore tempore fieri oportere.

Statim.

Antea vero quam multarum rerum iudicia sublata sint, et quia scitis, praetereo, et ne quem in iudicium oratio mea revocare videatur.

Paulo post.

Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum virum, communi et quotidiano iure privasset.

Non denique homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna, bonorum C. Cornelii possessionem

filium, quia Sulla per multos annos, quibus exercitibus praefuerat, et rempublicam tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus et ex aerario populi romani, eaque res saepe erat agitata, saepe omissa partim propter Sullanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur post tot annos, quam quis pecuniam acceperat, eius reddere rationem.

Antea vero — revocare videatur) Bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in republica vigebant, quum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebraeque defectiones Italicorum nuntiarentur, nunc ob eius tristitiae occasionem senatus decrevit, ne iudicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Quod decretum eorum in concionibus populi saepe agitatum erat. Supererant autem ex iis, qui illa iudicia metuerunt, vigentes multi, maxime C. Curio Curionis adolescentis pater, eius, qui bello civili Caesaris fuit partium.

Non Cn. Dolabella) Duo fuerunt eo tempore Dolabellae, quorum alterum C. Caesar accusavit, alterum M. Scaurus.

Non denique sermo — L. Sisenna) Hoc solum hic annotandum est, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit.

L. Sisenna) L. Cornelius Sisenna praetor inter cives et peregrinos M. Lepido Q. Catulo Coss. descriptus est in vetustissimo senatusconsulto, quod Graece scriptum exstat apud me in aenea tabella. Επὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου, καὶ Μάρκου Αἰμιλίου, Κοΐντου υἱοῦ, Μαρ-

ex edicto suo P. Scipioni, adolescenti summa nobilitate, eximia virtute praedito, dedisset.

Quare quum ambitum populus romanus videret, et quum a tribunis plebis doceretur, nisi poena accessisset in divisores, extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat; illam, quae ex senatusconsulto ferebatur, repudiabat; idque vir is doctissimus duorum consulum designatorum calamitate .....

Et eadem de re paulo post.

Vt spectaculum illud duorum designatorum consulum calamitate, re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum videremus.

Quid ego nunc tibi argumentis respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? res nota est, vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit.

At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam

Vt spectaculum illud duorum designatorum consulum) P. Sullam et Autronium significat: quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, quum haec Cicero dicebat, consules erant, ambitus damnarant, et in eorum locum creati erant.

Vt iam etiam collegium constitutum sit) Frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant, propter quod postea collegia S. C. et pluribus legibus sunt sublata, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum lictorumque.

At enim — — adessent) C. Piso qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius trib. pl. erat, quum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quam fuerat antea, ferret, et propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro eiectus esset: edixerat id, quod Cicero significat, et maiore manu stipatus ad legem perferendam descenderat.

κου νέωνσῦ Λεπίδου, στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν, καὶ ἐπὶ τῶν ξένων, Λευκίου Κορνηλίου Σισέννα etc. Vrs.

Illa quae ex S. C. ferebatur, repudiabat) Fortassis *Calpurniam* intelligit, quam legem repudiatam cum auctore ipso fuisse significat infra Pedianus in fragmento: *At enim extremi.* Quam autem, aut cuiusmodi legem tunc promulgaret de ambitu Cornelius, quam hic a populo R. flagitatam esse dicit, aliunde perquirendum. Patr.

At enim extremi) Non est mirum quod superius dixerit S. C. de lege Calpurnia factum fuisse, ut deroga-

C. Corneli, consulem mittere coëgisti, qui rempublicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.

Plebem ex Maniliana offensione victam et domitam esse dicit; ante vestros annos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino ne illius potestate abalienemur * qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse.

Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI post

Plebem ex Maniliana — alterum longe abesse) Manifestom puto esse vobis, M. Crassom et Cn. Pompeiom significari, e quibus Crassus iudex tom sedebat io Corneliam, Pompeius in Asia bellum Mithridaticum gerebat.

Tanta igitur — leges sacratas ipsi sibi restituerent — —] Indocor magis retur, quum hic de lege eadem, ut aperto significat Ascouius, verba faciens, per tantam conteotionem latam eam foisse ostendit, ut ad vocem *extremi ac difficillimi temporis* decurrere Coss. necesse fuerit. Ac de conteutione qoidem vide Asconium, de ipsa aotem voce, quam *extremi* et *difficillimi temporis* appellat, vide ipsum Ciceronem in quarta Tusculana, ubi de nece Ti. Gracchi, et eondem in orat. pro Rabirio perduellionis reo, et Liviom lib. XXIt, post Canensem pugnam et alibi alios. In orat. post reditum: *Quid magnificentius, quid praeclarius mihi accidere potuit, quam quod illo petente* (videtur autem loqui de Lentulo cos.) *vos decrevistis, ut cuncti ex omni Italia, qui rempublicam salvam vellent, ad me unum hominem fractum et prope dissipatum restituendum et defendendum venirent? ut qua voce a te, Romule, post Romam conditam consul usus esset pro universa republica apud eos solum, qui eius vocem exaudire possent, eadem voce senatus omnibus agris, vicis, atque oppidis cives totamque Italiam ad unius salutem defendendam excitaret.* Patr.

*Potestate abalienemur * qui restituerunt*) Hic aliquid deesse et res ipsa indicat, et notat asteriscus. Atque omoino totom buius fragmeoti initium suspectum mihi videtor. Interdom pro *annos*, *animos* legere in mentem veoit, et *anne* pro *ante*. Sed ne id quidem satis est, immo fortassis ne satis tutum quidem. Omnino in hac voce, *ante*, saepe ab Asconii librario error est commissus, ut illud iu orat. in Pisonem: *Ante biennium autem antequam restituerentur collegia Q. Metellus Celer cos. des.* ubi *ante* bis frustra repetitum est. Et paulo infra *Ante coeptum bellum Punicum tertium.* Vbi Sigonius Manutio teste legendum putat: *Post coeptum.* Et in huius ipsius orationis argumento: *Paucos ante me ergo Cornelius, perterritus Manilii exitu, in iudicium adhibuit.* Quo in loco idem Sigonius legit *Paucos ergo.* Patr.

reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno x tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt.

Tum interposita fide per tres legatos, amplissimos viros, Romam armati reverterunt; in Aventino consederunt; inde armati in Capitolium venerunt; decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

Etiam haec recentiora praetereo: ponam principium

librariorum hoc loco esse mendam, quam ut Ciceronem parum proprio verbo usum esse credam. Illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit post XVI annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non *restituit* (nunquam enim tribunos plebis habuerat) sed tum primum eas *constituit*. Numerum quidem annorum post regès exactos, quam id factum est, diligenter posuit, qui fuit A. Verginio Tricosto L. Veturio Cetarino Coss. Ceterum quidam non duos tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponunt; inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus, Liviusque noster. Idem hic et Tuditanus adiiciunt, tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorum, qui primi creati sunt, haec traduntur, L. Sicinius L. F. Velutus, L. Iunius C. F. Paterculus. Reliqua pars huius loci quae pertinet ad secundam constitutionem tribunorum et decemvirorum finitum imperium, et breviter et aperte ab ipso dicitur. Nomina sola non adiicit, quis ille ex decemviris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, et quis ille pater, contra cuius filiam id decrevit: scilicet, quod notissimum est, decemvirum illum Appium Claudium fuisse, patrem autem virginis L. Virginium. Vnum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de secunda secessione plebis, deinde de concordia sic dicit.

Tum interposita fide per tres legatos] Legati tres, quorum nomina non ponit, hi fuerunt: Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius, omnes consulares. Pontifex maximus fuit M. Papirius.

Decem tribunos plebis) Hos non in Capitolio, sed in Aventino creatos scribit Livius lib. III: creatos autem non a M. Papirio, ut Asconius tradit, sed a Q. Furio. Man.

Ponam principium iustissimae libertatis Cassiam) Lex haec *Cassia* fuit *tabellaria*, de populi iudicio, ut alibi Cicero docuit. Quocirca veteres adhuc exstant argentei nummi,

iustissimae libertatis, Cassiam; qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit: alteram Cassiam, quae populi iudicia firmavit.

Dicit de nobilibus.

Qui non modo quum Sulla, verum etiam illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum

Cassiam, qua lege suffragiorum ius potestasque convaluit] Quae sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est. Nam ipse quoque paulo ante dixit, legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret. Altera Cassia lex, quae populi iudicia firmavit, quae sit, potest quaeri. Est autem haec: L. Cassius L. F. Longinus tribunus pl. C. Mario C. Flavio Coss. (1) plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Servilio (2) qui ante biennium consul fuerat; et cui populus, quia male adversus Cimbros pugnaverat, imperium abrogavit.

Qui non modo — inimicissimi C. Cottae fuerunt] Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis pl. liceret postea alios magistratus capere; quod lege Sullae iis erat ademptum.

quorum in aliis est in adversa parte templum Vestae cum cista et cum tabellis A. C. absolutionis nimirum et condemnationis; in aversa hae literae Q. CASSIVS VEST. cum imagine Vestae: (3) in aliis eadem omnia, practerquamquod a tergo sunt hae literae LONGINVS III. VIR, cum unius viri imagine qui tabellam in cistam coniicit. (4) SIGON.

(1) Sic legendum esse vidit Pighius. Vulgo *C. Flacco.* Significat autem *C. Flavium Fimbriam* cos. cum *Mario*.

(2) Vulgo *Q. Caecilio.* Pighius autem recte monuit legendum esse *Q. Servilio*, cui cognomen erat *Caepioni*, qui cos. fuit.

(3) Cl. Eckhel doctrina numorum vet. Vol. V, pag. 166, hunc denarium sic describit. In adversa parte: *Q. CASSIVS; caput muliebre velatum, iuxta VEST.* In aversa: *templum rotundum, intra quod sella curulis, in area hinc urna, illinc tabella cui inscriptum.*

(4) Hunc denarium Eckhelius l. l. pag. 167, sic describit. In altera *parte Caput Vestae velatum*; in altera *LONGINVS IIIV. Vir togatus stans dextra tabellam, cui inscriptum V., super basi tenet.* Litera *V.* tabellae inscripta Vaillantio videbatur indicari complures leges a L. Cassio latae, quae quum omnes vocabulo *VTI* incipiant, *primam* opinabatur eius verbi literam in tabella exprimi. Havercampus verbum *VETO*, qua tribuni plebis utebantur, quum legi intercedebant, designari putabat.

putaverunt: inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is consul paulum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit.

Quamdiu quidem hoc animo erga nos illa plebs erit, quo se ostendit, quum legem Aureliam, quum Rosciam, non modo accepit, sed etiam efflagitavit.

Memoria teneo, quum primum senatores cum equitibus romanis lege Plotia iudicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium, causam lege Varia de maiestate dixisse.

Quamdiu — efflagitavit] Aurelia lege communicata iudicia inter senatores et equestrem ordinem et tribunos aerarios. Roscia est, quam L. Roscius Otho biennio ante consulatum firmavit, ut in theatro equitibus romanis XIV ordines spectandi gratia darentur.

Memoria teneo — de maiestate dixisse] M. Plautius Silanus tribunus plebis, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici, quum equester ordo in iudiciis dominaretur, legem tulit adiuvantibus nobilibus, quae lex eam vim habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulae ex eo numero quinos suffragio creabant, qui eo anno indicarent. Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, ut quidam etiam ex ipsa plebe.

Inimicissimi Cottae fuerunt) Ad ea quae scribit in hunc locum Asconius addo, hoc sensisse etiam Macrum trib. pl. apud Sallustium in III historiarum quum ait: *nisi forte C. Cotta ex factione media consul aliter quam metu iura quaedam tribunis restituit*. Sigon.

Quum primum — iudicarent) Non dicit lege Plotia primum senatores cum equitibus romanis iudicasse, id enim multo ante Plotium trib. usitatum fuisse pluribus verbis alias exposuimus. Sed dicit: *quum primum lege Plotia senatores cum equitibus iudicarent, Pompeium lege Varia causam dixisse de maiestate. Quum primum* autem intelligit *statim ut*, id est primis ipsius legis Plotiae temporibus. Deinde sciendum, id quod hic praecise de senatorum et equitum iudicio dicitur, plene intelligendum esse de iudicio utriusque ordinis ex aequis partibus, quum antea videlicet iudicassent ex iniquis. Lege enim Plotia, ut notat h. l. Asconius, tribus singulae ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno iudicarent. Quamquam hic quoque libris Asconii menda insidere videatur, quae mea quidem sententia, unius verbuli mutatione tolli potest, si pro *ex eo numero* legatur *ex suo numero*. Patric.

Hominem diis ac nobilitati perinvisum) *Diis*, quia fulmine ictus interiit. Cuiusmodi hominibus ne iusta quidem fieri oportebat legibus Numae, quarum particulam huc pertinentem exponit Festus v. *Occisus*,

FRONTO] Nihil senatui detraxisse Cornelium

PRISCIAN. *lib.* 11] Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset.

QVINT. *Inst. or. V*, 3] Codicem attigit.

MARCIAN. CAPELL.] Repugnat enim, ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere.

PRISC. *l.* 8] Quae intermissa complures annos.

lib. XIV. *Nobilitati* autem *perinvisum*, quia nec mortuus odio ipsius eximi potuit, quin et lectus eius diriperetur, et corpus unco traheretur. Plutarchus, alii. Est autem hic *Pompeius Strabo, Pompeii Magni pater.* PATRIC.

Codicem attigit) Sumpsit ex Quintil. V, 13: *Si accusator est minus efficaciter loquutus, ipsa eius verba ponantur; sin acri et vehementi usus fuerit oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio: Codicem attigit.* Videlicet quum dicturus erat: *Codicem praeconi aut scribae eripuit, ipseque recitavit.* Est enim sermo de Cornelio ipso, pro quo haec dicuntur. Quod ut intelligi possit, sciendum, ipso die ferendae legis solitum fuisse ipsam legem a praecone recitari, subiiciente scriba, ut constat ex Asconio, in argumenta huius orationis. Nam ex Plutarcho, in vita Catonis Vticensis, illud modo constat, per alium quendam ministrum, non per eum, qui ipse legem ferret, legem recitari solitam. De quo etiam vide Appianum lib. I. bell. civilium. Nunc autem contra perpetuam istam consuetudinem, Cornelius ipse legislator, impediente Globulo collega praeconem recitare, et scribam subiicere, ipse recitavit. De quo vide etiam orationem in Vatinium sub initium. Quem locum, quoniam magnopere huc pertinet, totum non piget adscribere. *Sed quaero a te*, inquit Cicero, *cur C. Cornelium non defenderem? Num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit? num Aeliam, num Fufiam legem neglexerit? num consuli vim attulerit? num armatis hominibus templum tenuerit? num intercessorem vi deiecerit? num religiones polluerit, aerarium exhauserit, rempublicam expilarit? Tua sunt, tua sunt haec omnia. Cornelio nihil eiusmodi obiectum est. Codicem legisse dicebatur; defendebatur testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. Constabat tamen Cornelium concilium illo die dimisisse, intercessioni paruisse. Tu vera etc.* Quum igitur ex Asconio constet, ut dixi, ipso ferendae legis die fieri haec solita; coniunxi duo fragmenta antea divulsa, quae mihi id maxime exprimere videbantur, coniunxi, inquam, in vicinitatem, si modo non iisdem cancellis iisdemque asteriscis includi ac circumscribi debent. Loquor autem de hoc, et quod proxime antecessit: Ex promulgatione etc. PATR.

Repugnat enim, ut divisores quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere) Hoc ex prima Corneliana esse testatur Marcianus Capella, ubi agit de repugnantibus. ID.

Id. l. 10] Num alicui gratificabatur aut homini aut ordini?

Id. l. 8] Coeptum igitur per eos qui agi volebant, desitum per hunc qui decessit.

Aqv.] Circuitis rostris eiicerentur lapidibus homines.

Prisc. *l.* 10] Refertum tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit, ipsi sciunt.

Fronto.] Qui eloquentia ceteris antecellit.

Idem] Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim.

Idem] Ad miserrimum crudelissimumque dominatum dedi patiamini.

Idem] Cur nunc redeant, si tum gratiae concesserint?

Idem] Quidquid ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti?

Idem] Eiusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero.

Acro. 1. *Serm.*] Aperuit fores scalarum.

Boeth. *definit.*] Legite ut legebatis, hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium.

Refertum) de serario loquitur, in quo leges servabantur. Sigonivs.

Qui eloquentia ceteris antecellit) Ex Prisciano lib. X, quamquam alibi *excellit* pro *antecellit* legitur. Patric.

Quid quod ne cum iis quidem) In Cominium accusatorem, qui duces operarum, per quos Manilius iudicium turbaverat, in ius non vocaverit. Patric.

Aperuit fores scalarum) De eodem fortassis Cominio, qui iudicio turbato in scalas quasdam profugerat, ibique se occultaverat. Pedianus in argumento. Patric.

Legite ut legebatis) Haec Boëtius in lib. de definitione Ciceroni tribuit. Ego autem ad orationem pro C. Cornelio alterutram putavi pertinere. Nam et Cornelii aperta est mentio, et locutio ipsa illi est persimilis quae exstat item in oratione secunda pro eodem ex Frontone: *Facite, ut facitis, qui ad causam adestis.* Patric

ORATIO

PRO C. CORNELIO II.*

Deest initium

AQVIL. et FORTVNATIANVS *lib.* 3 *Rhet.*] Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam?

CIC. *Orat.*] O callidos homines! o rem excogitatam, o ingenia metuenda! testes dare volumus. Quem quaeso nostrum fefellit, ita vos esse facturos?

ASCONIVS] Num in eo, qui sint hi testes, haesitatis? ego vobis edam duos. Reliqui sunt de Consularibus, inimici tribuniciae potestatis. Pauci praeterea assentatores eorum atque asseclae subsequuntur.

Idem] Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo viro atque humanissimo, velim quaerere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam F. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii: neminem, quem isti

Num in eo — ego vobis edam duos] M. Lucullum et M. Lepidum significat. Quinque enim consulares ut iam diximus, in Cornelium testimonium dixerunt: Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius pontifex max. quos hac secunda oratione tractat; et duo qui non dixerunt, quos nunc significat, Lucullus et Lepidus.

Pugnem aperte) In orationem secundam pro Cornelio, quam brevissimam puto fuisse, ut primam longissimam, omnem illam argumentationem reiecisse Ciceronem arbitror, qua nobilissimorum virorum testimonia refutavit. SIG.

Pugnem aperte — aperiam) Hoc fragmentum exstat etiam in Fortunatiani Rhetorica, praeter Aquilam; sed ibi multo magis truncatum. Vide lib. III extremum. Omittit enim primum *pugnem aperte*, deinde omittit etiam verbum *voluntates*; pro *cogitationes* autem habet *rationes*. PATRIC.

O callidos homines) Haec verba profert in Oratore Cicero ex secunda Corneliana, quae et ipsa ad quaestionem de testibus pertinent. SIGON.

Testes dare volumus) Testes nimirum, qui vidisse se dicturi sunt, quum Cornelius ipse trib. pl. codicem, quod nefas erat, recitaret. PATRIC.

seditiosum existimant, nominabo: sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi patriaeque amantissimi viri, quid mihi tandem responsurum putatis?

Post XX versus a praecedenti.

Asconius] Quid? Avunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo patre, avo, maioribus, credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo romano dedit, et potentissimorum hominum collegiis eripuit, cooptandorum sacerdotum potestatem?

Sequitur.

Idem] Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tribunus pl. vexavit?

Idem] Haec est controversia eiusmodi, ut mihi

Eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem] Hoc egere enarratione, quia hoc loco nomen non ponit quia fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit minus ante XX versus haec de eo ipso Ciceronem dixisse: *Sed si familiariter ex Q. Catulo — quid mihi tandem responsurum putatis?*

Quid idem Domitius — tribunus plebis vexavit] M. Silanus quinquennio ante consul fuerat, quam Domitius tribunus plebis, atque ipse quoque adversus Cimbros rem male gesserat. Quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat; criminabatur bellum cum Cimbris iniussu populi gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset; ac de eo tabellam quoque dedit, sed plenissime Silanus absolutus est; nam duae solum tribus Sergia et Quirina damnaverunt.

Haec est controversia — qui tribuni pl. fuerunt] Post infractam tribuniciam potestatem a Sulla, ante restitutam a Cn. Pompeio, apparet. Fuit autem is tribunus pl. ante XII annos, D. Bruto et M. Lepido Coss. Cn. Domitius tribunus fuerat ante II. de XL annos, C. Mario II. et C. Fimbria coss. Magno numero sententiarum Cornelius absolutus est.

Avunculi tui, Q. Catule) Verissime sic emendavit Patricius, quum vulgo legeretur *Q. Catuli*. Nam avunculus Q. Catuli est *Domitius*.

Haec est controversia) Ex his Ciceronis et Asconii verbis difficile intelligi potest, quid aut Cicero velit aut Asconius. Ego autem suspicor Q. Catulum cos. cum M. Terpolio vel potius Trebellio trib. pl. acerrime contendisse, eumque vexasse, quod tum potestas tribunicia fracta a Sulla esset. Scriptum est enim in concione Macri apud Sallustium ita: *Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali crede-*

tribunus pl. Cn. Domitius, Catulo * M. Terpolius contemptissimum nomen eiectum esse ex iis, qui tribuni pl. fuerunt.

Cic. *Orat.* et Qvint. *l.* 9, *c.* 4. Prisc. *l.* 10] Nam neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt, neque vestis, aut caelatum aurum et argentum, quo

batis; ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Aemilio Mamerco cos. Neque enim impedit, quo minus Catulus consul vexare Trebellium potuerit, qui Bruto et Mamerco Lepido coss. tribunatum gessit. Nam tribuni mense decembri inibant, consules kal. ianuariis. Quare Catulus consul extremo consulatu suo Trebellium, postquam iniit, potuit insectari. Significat autem Cicero, ut Catulus Trebellium tribunum non probavit, sic se Domitium Catuli avunculum non probare, aut aliquid tale. Apud Asconium autem videtur legendum *Mam. Lepido* non *M. Lepido*, ex fragmentis Capitoliuis. Reliqua sententia vix sine scriptorum librorum auctoritate sanari potest. Sig. *Inter tribunos pl. *qui* fuerunt Q. Lutatio Catulo et C. Mario IV coss. (A. V. 651) nominatur *M. Turpilius*, et sic potius in fragmento hoc Ciceronis, ubi vulgo legitur *M. Terpolius*, legendum esse videtur. Sch.

Nam neque me divitiae movent) Haec in Oratore Cicero se ait in secunda Corneliana usurpasse. Ostendit autem se testium divitias contemnere. Nam ut nobilissimi, sic ditissimi homines in Cornelium testimonia dixerant, Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, M. Lucullus et M. Lepidus. Sig.

Nam neque me divitiae movent) Cicero in Oratore habet: *nam neque me divitiae.* Ego ex Quintil. IX, 4 reposui *nam neque divitiae.* Illud autem quod statim sequitur: *qui rebus his urbem* etc. sic legit Priscianus lib. X: *qui eis rebus urbem Italiamque referserunt.* Ego autem praeterea in illo loco *multi venalicii mercatoresque* legendum existimo *venaliciarii mercatoresque. Venalicius* enim ipse servus venalis dicitur; *venaliciarius* autem venditor servorum, quem alii alio nomine mangonem vocant. Locus est apud Africanum lib. IV quaest. Exstat autem repetitus in D. de verb. et rer. significationibus. Is ita habet: *Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait; et ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait:* et recte. Coniunxit igitur Cicero *venaliciarios* cum mercatoribus, ut omne genus negotiorum complecteretur. Vtitur hoc vocabulo Vlpianus lege 1 D. tribut. act. et leg. 87 D. aedilicio edicto. L. Papinianus 57 D. Mandati. Vtitur et Varro et Plinius. Error autem idem qui huic fragmento inhaeserat, libros quoque Suetonii de claris Rhetoribus videtur occupasse, *ubi venalicios,* quum gregem venalicium Brundusii producerent, puero ait bullam et praetextam imposuisse. De venaliciis autem et hoc ipso loco legendus Turnebus lib. XIX adversar. c. 7, et lib. XXVI, c. 16. Patr.

nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt. Neque vero movent me ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum, et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro potuisse superari.

PRISC. *l.* 8.] Quis tam abundans copiis.

FRONTO] Da mihi potestatem, eos, qui tum affuerunt Cornelio, nominandi.

Idem] Facite, ut facitis, qui ad causam adestis.

Idem] Quid enim mihi certamen est cum accusatore, aut contentio?

Idem] Qui commodis populi R. lingua dumtaxat ac voluntate consuluit.

Idem] Expelleret a dispensantibus.

Idem] Sed ad urbem dierum tres fuerunt complurium.

Idem] Quam diligentes libertatis vos oporteat esse.

Idem] Si vos huius fortunas paucorum odio adiudicaveritis.

Quis tam abundans copiis) Huius fragmenti praeter Priscianum, meminit etiam Fronto, initio libri sui *de exemplis elocutionum*. PATRIC.

Qui tum affuerunt) *Tum*, non dicit in iudicio (quum per quatuor dies causa haec acta sit) praeter enim Globulum ipsum, qui prius intercesserat, deinde autem in iudicio aderat, paucos Cornelius, perterritus Manilii exitu, in iudicio adhibuerat, ut scribit Asconius in argumento: sed *tum*, quum videlicet legem perferret de CC senatoribus. Ea enim quamquam invitis optimatibus, tamen sine tumultu est perlata, teste eodem Asconio. PATR.

Quid enim) Legendum fortasse *quod enim*. ID.

Sed ad urbem dierum) Hoc citatur a Frontone in exemplum locutionis eius, quum dicimus *abesse aliquem tot millia*. Cuius quidem rei eo libentius admoneo, quod inde palam fit, id quod etiam alioquin non valde erat obscurum, fragmentum ipsum non omnino recte se habere. Nusquam enim video fieri mentionem verbi *abesse*, ad quod verbum universum hoc locutionis Ciceronianae exemplum accommodatum est a Frontone. PATR.

Si vos — adiudicaveritis) Extrema oratione calamitatem Cornelii exposuisse Ciceronem puto, cuius particula haec sit. Quod confirmat etiam Severianus, quum ait: *Misericordiam movemus, quum alicuius calamitatem commemoramus, quum magnitudinem periculi ostendimus, sicut pro Cornelio Cicero.* SIG.

Schol. vet. in Iuvenal. *correpsit in scalas*; vid. Rutgers. V. L. p. 457.

ORATIO

IN TOGA CANDIDA (1)

ARGVMENTVM ASCONII

Haec oratio dicta est L. Caesare, C. Figulo Coss. post annum qoam pro Cornelio dixerat. Sex competitores in consulatus petitiune Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Aotouii oratoris filium, L. Cassium Lunginom: duos qui tantum non primi ex familiis sois magistratum adepti erant, Q. Coroificium, et C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco uatus, atque in petitione patrem amisit. Ceteri eius competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius et P. Galba sobrii ac sancti viri: Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, sed post paucos meoses io coniuratione Catilinae esse apparuit, ac eruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quatuor pro re iacebant. Catilina autem et Antunius, quamquam oomibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Cuierant enim ambo, ut Ciceronem eoosolatu deiicereot, adiutoribus usi firmissimis, M. Crasso, et C. Caesare. Itaque baec oratio contra solum Catilinam et Antonium est. Causa orationis huiusmodi in seoatu habendae Ciceroni fuit, quod, quum in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat seoatus, ut lex ambitus aoeta etiam cum poena ferretur: ei quoque rei Q. Mutius Orestinus tribunus pl. intercesserat. Tum Cicero, graviter senatu intercessionem fereote, surrexit, atque in coitionem Catilioae et Antonii iovectus est aote dies comitiorum paucos.

(1) De indice huius orationis scriptum est ap. Isidorum lib. IX, *Toga candida eademque* cretata, iu qua candidati, id est, magistratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior insigniorque esset. Ceterum Quintilianus lib. III, c. 7 scribit editum in competitores librum vituperationem continere, et in senatu habitum loco sententiae. SIG.

Deest principium orat.

* * * * *

Dico, P. C., superiore nocte cuiusdam hominis nobilis, et valde in hoc largitionis quaestu noti et cogniti, domum Catilinam et *Antonium* cum sequestribus suis convenisse.

Quem enim aut amicum habere potest is, qui tot cives trucidavit, aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?

Ne se iam tum respexit, quum gravissimis vestris decretis absens notatus est.

Dico P. C. — convenisse] Aut C. Caesaris, aut M. Crassi domum significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, quum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant. Et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato coss. ante annum quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.

Quem enim — certare posse] Catilinam, quum in Sullanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tantasium (Tanusium *Q Cic. de pet. cons.*); M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat, quod crimen saepius ei tota oratione obiicit. Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni coniunctus. Clientem autem negat habere posse C. Antonium. Nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. Et quum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, iuravitque se ideo recusare, quod aequo iure uti non posset. Hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio quo haec dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia mancuparit, bonaque sua in potestate non haberet.

Nec se iam tum respexit] Catilina ex praetura Africam provinciam obti-

Cum sequestribus suis) Hos Q. frater in lib. de petitione cons. et Marcus ipse in Orat. pro Caelio *sodales cuiuspiam* appellat; in Verrem *interpretes corrumpendi*, pro Plancio *corruptores*. Erant videlicet amici candidatorum, qui pro ipsis candidatis tributa largiebantur. Patr.

Nec se iam tum) *Nec* pro *ne* reposui. Agere autem de Catilina incipit,

In iudiciis quanta vis esset, didicit quum est absolutus: si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est.

nuit. Quam quum graviter vexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt, multaeque graves sententiae in senatu de eo dictae sunt.

In iudiciis quanta vis esset] Ante annum quam haec dicerentur, Catilina quum redisset ex Africa, Torquato et Cotta coss. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, quum potuerit invidiam facere competitori, tam turpiter adversus se coëunti; praesertim quum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco praeturae candidatum ad tertium pervenisse. *Nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum, et collatione centuriarum, et meo maxima beneficia e postremo in tertium locum esse subiectum?* Qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput eius protectum a se non ei imputaret? Quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit. Q. enim Mucius tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur; quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait: *Te tamen, Q. Muci, tam male de republica existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quam tu tibi? qui, quum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunorum tuorum patronum esse voluisti. Et cuius tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus romanus auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.* Verum, ut egerit Mucii causam Cicero, sicut Catilinae egisse eum videri vult Fenestella, eur, quum, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? Et cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat? quod parcius videretur fuisse facturus, si in eo iudicio fuisset patronus. Atque ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset: *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefario cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit.* Et postea: *Quid ego, ut violaveris provinciam, praedicem? Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es: mentitos esse equites romanos, falsas fuisse tabulas honestissimae civitatis existima; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse puto nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!* Verine ergo simile est, haec eum Catilinae obiicere, si illo defendente absolutus est? Praeterea movet me, quod, quum sint com-

quum hactenus de utrisque egisse videatur. Id. In meo MS. est *non sc tam tum respexit;* sed assentior Patricio. GRAEV.

Populum vero, quum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit.

Me, qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum: utrum aequo animo laturum putavit? an in suo familiarissimo non viderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre?

Alter, pecore omni vendito, et saltibus prope ad-

mentarii (1) Ciceronis suorum etiam defensionum, commentorium tamen huius defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse; quod per haec ipsa negari non potest. Hoc autem iudicio absolutus est Catilina, infamia iudicum. Vt et Clodius infamis fuerit, quippe qui praevaricatus est. Nam et reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur esse facta.

Populum vero — collum secuit hominis maxime popularis] Diximus et paulo ante, Marii caput Catilinam per urbem tulisse.

An in suo familiarissimo] Manifestum est C. Verrem significari.

Alter pecore omni vendito] C. Antonium significat.

(1) Ne esset obscurum quid hoc loco velit Asconius, qui fere totus in aliis libris desideratur, ascribam Fabii Quintiliani locum ex libro X extr.: *Plerumque multa agentibus accidit, ut maxima necessaria et utique initia scribant, cetera quae domo afferunt, cogitatione complectantur: quod fecisse M. Tullium ex commentariis ipsius apparet — quos ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit.* Hot.

Hominis maxima popularis) *M. Marii Gratidiani.* Vide Asconium in illam periodum: *quem enim aut amicum* etc. Vide et infra ipsum Ciceronem in fragmentum *quod caput etiam tum* etc. De eodem enim *Gratidiano* loquitur, ut aperte ait ibi Pedianus, nec minus ipse frater in libro de petitione consulatus, cuius verba adscribam; faciunt enim ad superioris periodi explicationem. *Catilina*, inquit, *inter ceteros, hominem optimum Q. Caecilium sororis suae virum, equitem Rom. nullarum partium, quum semper natura, tum etiam aetate tam quietum, suis manibus occidit.* Et mox: *Quid ego*, inquit, *nunc dicam petere eum tecum consulatum, qui hominem carissimum populo Romano M. Marium, inspectante populo Romano, virgis per totam urbem ceciderit, ad bustum egerit, ibi omni cruciatu laceravit, vivo stanti collum gladio sua dextera secuerit, quum sinistra capillum eius a vertice teneret, caput sua manu tulerit, quum inter digitos eius rivi sanguinis fluerent.* De hac nece *Gratidiani* vide etiam Dionem lib. XXXVII. Patr.

Aliorum iniurias) Recte Patricius existimat h. l. Siculorum iniurias, quas passi erant Verre propraetore, intelligi. Sch.

Alter pecora omni vendito) Transit

dictis, pastores retinet, ex quibus, ait, se, quum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.

Alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores, populo non debitos, polliceretur, quos ipse consularis candidatus perspexit, et legit, et emit: praesente populo romano factum est.

Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium conantem legem impedire, ut coepit senatus,

Alter induxit eum quem potuit] Q. Gallium, quem postea reum defendit, significare videtur. Hic enim, quum esset praeturae candidatus, quod in aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare.

Q. Mucium conantem legem impedire] Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Sullam et P. Autronium, de quibus iam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus.

ad Antonium a Catilina. Antonium autem praedia ob magnitudinem aeris alieni mancipasse, bonaque sua in potestate non habuisse, etiam ex nota censoris cognoscere est, quam recitat Pedianus in altera particula eius orationis explicanda; et Q. Cicero bona ipsius proscripta se vidisse asseverat in libro de petitione consulatus. PATRIC.

Alter induxit eum) Quem *induxerit* is *alter* notum est ex Asconio: quis autem sit is ipse *alter*, qui induxit, non ita. Est enim lacuna in Asconio, ubi id fortassis exponebatur. Nisi quod, si contextus non est interruptus, de Catilina accipiendum est. Quod non satis placet, propter illud, quod inferius dicitur de Antonio ipso teste Asconio: *Atque ut istum*, inquit, *omittam*. PATRIC.

Q. Mucium conantem legem impedire) Satis constat Q. Mucium Orestinum legi quae ferebatur de ambitu intercessisse, idque graviter senatum tulisse. Videtur ergo senatores hortari, ut S. C. praevertant Mucium legem impedientem. Quare hic locus ita videtur legendus: *Q. Mucium praevertite legem impedire, ut coepit, senatusconsulto*. SIGON.

Q. Mucium — impedire) In Asconio est asteriscus. In mea autem ibi: *ut coepit senten * cons.* Vix sine ope Manuscriptorum proficias in emendando, nisi quod pro *perverti*, vereor ne legi debeat *perferri* hoc sensu: *Si vultis P. C. praemia vestra augere, debetis Mucium, legem perferri impedire, ut coepit, cupientem, novo S. C. prohibere: quamquam ego quidem facile lege Calpurnia contentus sum.* Cui autem legi Mucius trib. pl. intercesserit, exponit Asconius in argumento. Quod autem idem de duobus damnatis Coss. quorum hic facit Cicero mentionem, dixisse se iam ait, vide in orat. pro Corn. I. ubi sunt illa: *ut spectaculum illud* etc. PATRIC.

consules prohibere, sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

Atque ut istum omittam, in exercitu Sullano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium.

Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? a quibus enim petis? principibus civitatis? qui tibi, quum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.

A senatoribus? qui de auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt.

Ab equestri ordine? quem trucidasti.

Atque ut istum omittam] De Antonio dici manifestum est; sed dicit eam *in exercitu Sullae praedonem*, propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatam esse significavimus. *In introitu gladiatorem*, pertinet ad invidiam proscriptionis, quae tum facta est. *In victoria quadrigarum*, quod, quum Sulla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.

Te vero, Catilina, consulatum sperare] Paulo ante diximus, Catilinam, quum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de ea dictas esse. Itaque quum professus deinde esset Catilina, petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinae habere deberet, si peteret consulatum: nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione.

A senatoribus, qui te — vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt) Diximus modo de hoc. Nam iudicium quoque sequutum repetundarum, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret.

Ab equestri ordine? quem trucidasti) Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam steterat, multasque pecunias abstulerant: ex quo *saccularii*

Sed ego ea lege contentus sum) Abest a libro MS. adverbium *sed*, et recte, ut videtur. F. Urs.

Africanis oratoribus) Legatis ex Africa qui de te tuisque depraedationibus et expilationibus graviter sunt questi, quorum oratio ita senatui persuaserat, ut quum te equitum et tribunorum decuriae absolverent, illi prorsus condemnarent. Patric.

A plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quae tibi dicere non licebit. *Et paulo post*: Denique illi negare potuerunt, et negaverunt; tu tibi ne inficiandi quidem impudentiae locum reliquisti. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui inficiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

erant appellati; multique ob eius rei invidiam post Sullanam victoriam erant interfecti.

A plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas praebuit) Eiusdem illius Marii Gratidiani, quod caput gestavit, obiicit. Quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse, quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Sullam, usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit. Omnia sunt manifesta. Ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio sit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit; sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem, inter forum olitorium et circum Flaminium. Ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedes.

Si qui inficiantem Luscium condemnarunt) Hic quem nominat L. Luscius, notus centurio Sullanus, divesque e victoria factus (nam amplius HS centies possederat) damnatus erat non multo ante, quam Cicero dixit. Obiectae sunt

Quid tu potes in defensione) Asteriscus admonuit, ut de meliore lectione cogitaretur; insequens autem periodus effecit, ut ea propemodum inveniretur. Quum enim passim antea legeretur sic: *Quid tu potes* etc. primus, ut arbitror Sigonius, legit et distinguit sic: *Quid? tu potes* etc. Sed hoc recte est. Ego enim praeterea videndum puto, an reliqua ad eum, quem dicam, modum distingui, eamque sententiam, quam exponam, prae se ferri possint: *Quid? tu potes in defensione tua dicere quod illi?* (loquitur autem ut notum est, de iis, qui caedes plerasque civium in Sullae dictatura perpetrarant, ut deinde aliquid addatur eiusmodi) *quid si illi ea in sua defensione dixerunt, quae tibi dicere non licebit?* Infra enim certe in Asconio ostenditur, quid ad suam illi defensionem attulerint, *imperitos* videlicet *homines se esse, et si quem interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse, denique negare posse* etc. Nam ego sane ea verba, quae infra quoque in contextum fragmentorum relata sunt, Asconii magis, quam Ciceronis, esse puto; quamquam adhuc quidem delenda esse de fragmentis non existimavi. PATRIC.

Is ergo negat, se ignarum esse, quum etiam illi, imperitos se homines esse, et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent: ac negare quoque posse: Catilinam vero inficiari non posse.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis et despicis? an eam, quam reliqua vita es consequutus? quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam quum culpa nulla subesset, crimen afferret.

Quum deprehendebare in adulteriis, quum deprehendebas adulteros ipse, quum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.

ei tres caedes proscriptorum circa eosdem dies. L. quoque Bellienus damnatus est; quem Cicero ait avunculum esse Catilinae. Hic autem Lucretium Asellam, consulatum contra voluntatem Sullae ad turbandum statum civitatis petentem occiderat, iussu Sullae tunc dictatoris.

Catilinam vero inficiari non posse) Huius autem criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia, et Catilinae repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.

Vt non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus — crimen offerret) Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, quum ei Catilina obiiceretur: eratque absoluta haec Fabia, quia soror erat Terentiae Ciceronis. Ideo sic dixit: *Etiam si culpa nulla subesset*. Ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem obiecit.

Quum ex eodem stupro tibi uxorem et filiam invenisti) Dicitur Catilinam adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisse uxorem, quum filia eius esset. Haec Lucceius quoque Catilinae obiicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni.

Is ergo negat) Dixi non me arbitrari Ciceronis esse, sed Asconii. Quod quidem si ita est, pro *Is ergo* lego *His ergo*, ut intelligatur *verbis*. Sic legendum item illud quoque Asconii in orationem pro Scauro: *In huius*, inquit, *domus Atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae etc. usus erat is aedilis in ornatu theatri*. Lego enim ibi quoque: *usus erat his aedilis*, ut intelligatur columnis. PAT.

Quam reliqua vita es consequutus) Meus Asconius: *qua reliquum vitae consequutus*. Quod autem statim de turpitudine vitae Catilinae loquitur, id de Q. ipso fratre hausisse videtur. Sic enim ille in lib. de petit. cons. *Nullum in locum tam sanctum, tam-*

Quid ego, ut violaveris provinciam, praedicem, cuncto populo romano clamante ac resistente? nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.

Praetereo illum nefarium conatum tuum, et paene acerbum et luctuosum populo romano diem, quum Cn. Pisone socio, neque alio nemine, caedem optimatum facere voluisti.

Quid ego, ut violaveris provinciam) Dictum est iam saepius, Catilinam ex praetura Africam obtinuisse, et accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse.

Quum Cn. Pisone socio) Quos nominat intelligitis. Fuit enim opinio Catilinam et Cn. Pisonem adolescentem perditum coniurasse ad caedem senatus faciendam ante annum, quam haec dicta sunt, Cotta et Torquato coss. eamque caedem ideo non esse factam, quod prius quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina. Piso autem quum haec dicerentur, perierat in Hispania, missus a senatu per honorem legationis, ut avus suus ablegaretur. Ibique dum iniurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito.

que religiosum accessit, in quo non etsi aliis culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret. Patric.

Quid ego — praedicem) Et hoc de Q. fratre sumptum videtur, de petit. consulatus. Tam studiosus eius libri Marcus noster fuit, ut phrases paene illius universas imbiberit. Sic igitur Q. frater: *Quid ego nunc tibi de Africa, quid de testium dictis scribam?* Et paulo inferius: *Quid ego nunc dicam petere eum tecum consulatum etc.* Quum autem alias praecise legeretur: *Quid ego ut violaveris provinciam praedicem? nam ut te illic etc.* replevi: *praedicem, cuncto populo romano clamante ac resistente: nam ut etc.* idque ex Ipso Asconio, qui duobus in locis recitat fragmentum, primum extrema parte auctius, deinde prima locupletius. Quoniam autem de menda magnopere vereor, incommoditatem eius orationis considerans, quod, quem violasse provinciam dixerit, is ut se in provincia gesserit, non audere se dicit dicere, idcirco pro *violaveris* legerem *vi occupaveris*, vel *vi invaseris provinciam*, vel denique *vi involaveris in provinciam*, vel sane praecise, *involaveris in provinciam*, vel aliquid tandem huic simile. Cui demum lectioni accommodatissime respondet, quod statim sequitur: *Populo romano clamante ac resistente.* Error sane a librario facile committi potuit propinquitate verbi *violavit*, quod est apud Asconium in fragmento hoc proxime praecedente: *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit, caede nefaria cruentavit, diripuit socios, leges, quaestiones, iudicia violavit.* Patric.

An oblitus es, te ex me, quum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod quum saepius ageres, et impudentius a me contenderes: meministi, me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod avunculus nunquam impetrasset? Nescis, me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum, et collatione centuriarum, et meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse sublectum?

Dicit de malis civibus.

Qui posteaquam illo, ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in republica sicas distringere.

An oblitus es — in tertium locum esse sublectum) Diximus iam supra, Sollae ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium et alios quosdam nobiles homines agitasse. Praeterea Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Bocolus.

Qui postquam illo Hispaniensi pugiunculo) *Hispaniensem pugiunculum* Cn.

Quod avunculus non impetrasset) Antonius Augustinus, Episcopus Allifanus, vir singulari scientia, et divino prope ingenio praeditus, pro *avunculus*, reponit *a te Boculus*; qua lectione nihil cogitari potest melius. Est autem *Boculus* nomen agitatoris, cuius meminit in commentario Asconius. Sigon. Nimirum Cicero ait Antonium impudenter fecisse, quod in re gravissima, in praetura petenda, postulasset a Cicerone ut sibi primum locum concederet, quod ab ipso, quum quadrigas agitaret, ne Boculus quidem impetrasset. Iam etsi hic de *Boculo* agi nullus dubito, fortasse tamen ad Ciceronis sententiam accommodatius fuerit, in Ciceronis fragmento ita legere: *quod a Boculo nunquam impetrasses*, scil. ut tibi ille inter quadrigarum agitatores primum locum concederet. Sch.

In tertium locum esse subiectum) Patricius lectionem *subiectum* sic defendit, ut sit i. q. deteriorem pro melioribus substitutum; quamquam etiam *sublectum* legi posse arbitratur. Idem.

Duas — in republica sicas distringere) Legendum esse vidit Patricius *duas in rempublicam sicas destringere* idque confirmavit loco Q. Cic. de petitione consulatus c. 3: *quis reperiri tam improbus civis potest, qui velit uno suffragio duas in rempublicam sicas destringere.* Id.

Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse cupidum Catilinae iudices, Q. Curium, hominem quaestorium.

ORATIO

PRO Q. GALLIO (1)

Deest principium.

AQVIL. et QVINTIL. *l.* 8, *c.* 3] *Vt* [2] clamor, *ut* con-

Pisonem appellat, quem in Hispania occisum esse dixi. *Duas sicas* Catilinam et Antonium appellari manifestum est.

Quintumque Curium) Curius bic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est. In huuc est hendecasyllabos Calvi elegans: *Et talis Curius pereruditus.* Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antooius contumeliose respooderunt: quod solum poteraot, invecti io novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomiue illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio au satius sit igoorare. Ceterum Cicero consul omnium couseosu factus est. Aotonius pauculis centuriis Catilinam superavit, quum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinae.

(1) Q. Galliom de ambitu postulatum scribit Asc. iu comment. orationis in Toga, a Cicerone vero fuisse defensum iu Verrinarom. Ambitus autem obiectus est, quod qoum praeturam peteret, quia in aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare. Hoius autem defeosiouis praeclara fit mentio in libro de petitione consulatus a Q. fratre bis verbis: *Nam hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, C. Orcinini, et horum in causis ad te deferendis, quidnam eorum sodales receperint et confirmaverint, scio.* Defeodit autem M. Calidio accusaute; orationis quidem Hieronymus meminit in libro *de vita Clericorum*: *Nihil tam facile*, inquit, *quam vilem plebeculam, et indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae quidquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem illud pulcherrimum elogium est*: Demosthenes tibi praeripuit, ne esses primus orator, tu illi ne solus; *in oratione pro Q. Gallio, quid de furore vulgi, et de imperitis concionatoribus loquatur, attende, ne his fraudibus lauderis. Loquor enim, quae sum ipse expertus unus. Quidam poëta nominatus, homo perliteratus, cuius sunt illa colloquia poëtarum ac philosophorum, quum facit Euripidem et Menandrum inter se, et in alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum aetates non annis, sed saeculis scimus esse disiunctas, quantos is plausus et clamores movet;*

(2) Ruhnkenius ad Aquilam pag. 144, corrigit *fit* — *fit.*

vicium mulierum, *ut* symphoniae cantus. Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, et spinis cooperta piscium.

B. Hier. *Vit. Cleric.*] Loquor enim, quae sum ipse nuper expertus unus. Quidam poëta nominatus, homo perliteratus, cuius sunt illa colloquia poëtarum, ac philosophorum, quum facit Euripidem et Menandrum inter se, et in alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum aetates non annis, sed saeculis scimus esse disiunctas, quantos is plausus et clamores movet? multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt,

Qvint. *lib.* 11, *c. ult.*] An ista, si vera essent, sic a te dicerentur?

Evgraph. in Terent. Eunuch. 2, 4,] ut Tullius in Gallia: aqua spurce dictum commemorarent in libera civitate (*Ruhnk. ad Aquil. p.* 144 *corr.* in Galliana: qui spurce.)

Cic. *Bruto*] Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic

multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt. Sigon. Posterius hanc orationem fuisse habitam oratione in Toga candida Asconius idem testatur, quem citat Sigonius, eodemque illo in loco, in commentario videlicet orationis in toga cand., fere in medio. Fuit autem is *Gallius*, qui antea quoque Calidium M. Calidii oratoris patrem repetundarum, ut opinor, accusarat. Asconius in II Verr. Idem videtur Cornelii iudicium praetor exercuisse. Asconius idem. Patr.

Loquor enim) Haec verba quae vulgo ex Hieronymo pro fragmento Ciceronis ex oratione pro Gallio afferuntur, mihi videntur potius ipsius Hieronymi esse, qui illa quae Cicero dixerat, exemplo quodam, quod ipse erat expertus, afferendo confirmare voluerit. Sch.

Sum expertus unus. Quidam) Sic potius distinguendum est: *sum expertus. Vnus quidam poëta nominatus.* Idem.

Tu istuc. M. Calidi) M. Calidius Gallium, ut dixi, accusavit, quod

ageres? praesertim quum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque (tantum abfuit, ut inflammares nostros animos) somnum isto loco vix tenebamus.

Non. *logi.*] Ego te certo scio, omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse.

Caris.] Poëmatorum.

patrem suum Q. Calidium de repetundis postulasset. De hoc autem loco sic Cicero in Bruto cap. 80, ubi de M. Calidio loquitur: *Aberat*, inquit, *tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos; quam plurimum pollere diximus; nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque erat ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, obfuit, si opus erat, defuit. Quin etiam memini quum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones, manifestam rem, deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset, me in respondendo, quum essem argumentatus quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter: Tu istuc M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres* etc. Horum autem etiam verborum, vel potius huius artificii meminit Quintilianus lib. XI, cap. 13, et Valerius Maximus lib. VIII, c. 10: *M. Cicero*, inquit, *quantum in pronuntiatione et apto motu corporis momenti sit, oratione quam pro Gallio habuit, significavit, M. Calidio accusatori exprobrando, quod praeparatum sibi ob reo venenum testibus, chirographis, quaestionibus probaturum affirmans, remisso vultu, et languida voce, et soluto genere orationis usus esset, pariterque et oratoris vitium detexit, et causae periclitanti argumentum adiecit, totum hunc locum ita claudendo: Tu istuc M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres?* Huius etiam orationis exstat apud Severianum testimonium, quum ait: *Similiter pro Gallio ubi accusator pecunias obiecit;* ibi enim duas singula inter se comparat, alterum altero Tullius diluit. Sig. Praeter Ciceronem, ex Quintiliano etiam lib. XI, et eodem illo loco, quem proxime recitavi, et paulo ante, extremum eius fragmenti peti potest. Hunc autem Calidium Gallii fuisse accusatorem, etiam Sigonius admonuit, cui subtilitatem tribuit Quintil. XII, 10, et in Bruto a Cicerone dulcis potius orator quam vehemens appellatur. Dixisse

ORATIO

DE L. OTHONE (1)

FRONTO] Hic si se istius viae dedisset.

autem illum pro domo Ciceronis scribit Quintil. X, 1: affuisse autem Miloni notat Asconius in argumento; Festus, in dictione *Sufes*, profert fragmentum ex ipsius oratione. PATR.

(1) Hic est L. Roscius Otho, qui in tribunatu quadriennio ante Ciceronis consulatum legem, qua equitibus XIV primos theatri gradus constituit, reliquos superiores plebi. Qua de causa in theatrum veniens consule Cicerone, a plebe convicio et clamore exceptus est. Hanc autem ut plebi reconciliaret, Cicero hanc orationem habuit, unde dixit Plinius lib. VII de Cicerone: *Roscio theatralis auctori legis tribus ignoverunt, notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt.* Cicero in epistolis ad Atticam II, 1, hanc orationem *de Othone* appellavit. SIG.

De Othone ipso hanc esse inter scriptores differentiam video. Quum enim is L. Roscius Otho trib. pl. et esset et diceretur, a Plutarcho tamen, in vita Ciceronis, pro *Lucio*, *Marcus*, a Velleio autem lib. II, ot quidam libri habent, pro *L. Roscio*, *Horoscius*, ab Asconio vero, in extremo Cornelianae primae, pro *tribuno consul* dicitur. Est autem quoque ex recentioribus scriptor non ineruditus, et certe diligentissimus, qui tam in nomine quam in magistratu huius Othonis allucinatus esse videtur. Quum enim ab aliis huuc istum Roscium, ut a Livio et Dione, ab aliis Othonem, at a Plutarcho, et Horatio et Iuvenali videt nominari, non videtur se explicare satis, at intelligat unius huec hominis duo nomina exstitisse, quorum alterum nomen proprie appellant grammatici, cognomen alterum. Idem autem Plutarchum sentire existimat, praetorem hunc, non consulem neque tribuuum fuisse. Qui mihi lapsus hominis ex mendoso Plutarchi libro natus esse videtur. Quum enim in correctis Plutarchi libris legatur, πρῶτος Μάρκος Ὄθω, ille legisse videtur πραιτωρ Μαρκος Ὄθω. Ac de nomine quidem eius docere nos possunt quum ceteri passim historici, tum onus interea Asconius, qui eodem illo loco quo in magistratu ipsius allucinatur, tribus illum omnibus nominibus appellat; *L. Roscium Othonem*. De magistratu autem praeter ceteros Livii epit. XCIX, quae tribunum pl. manifeste vocat. De oratione vero ipsa, locus est minime omnium abstrusus epist. I, lib. XI ad Atticum, ubi hanc tertio inter consulares orationes loco nominat. Vnde etiam constat de ipsius tempore. De argumento autem eius primum historia omnis loquitur, L. hunc *Roscium Othonem* tribunum plebis lege sua XIV gradus caveae proximos equitibus in theatro assignasse. Cuius etiam rei in oratione pro Murena c. 19 ita Cicero meminit: *L. Otho vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque haec lex*, inquit, *quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus.* Ad quam et Iuvenalis Satira III respiciens dixit ex persona equitum: *Sic libitum vano, qui nos distinxit, Otho-*

ORATIO

DE PROSCRIPTORVM LIBERIS (1)

Qvint. *l.* 11, *c.* 1] Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac maioribus natos a republica submoveri? sed ita legibus Sullae continetur status civitatis, ut his solutis, stare ipsa non possit.

ORATIO

CONTRA CONCIONEM Q. METELLI (2)

Fortvn. *l.* 5] Sic enim, ut opinor, insequar fu-

ni. Et item Sat. XIV: — — *effice summam Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.* Deinde quum ea lege offensa plebs venientem Roscium in theatrum sibilis et convicio exciperet, Cicero consul eum summa modestia plebem in aede Bellonae increpuit, hac quidem oratione, quam dico de Othone. Cuius quidem successum dum idem iste, ex cuius sententia superiora tradita sunt, explicat Plutarchus, dicit reversam in Theatrum plebem, cum ipsis quoque equitibus, quibus Roscius erat quam carissimus, de ipsius honoribus contendere non dubitasse. Ceterum dignus est, qui hic referatur Plinii locus Hist. nat. VII, 30: *Quo te*, inquit ille, *M. Tulli piaculo taceam? quove maxime excellentem insigni praedicem? Quo potius, quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio, e tota vita tua consulatus tantum operibus electis. Te dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus. Te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt.* Pata.

(1) L. Sulla dictator, non solum inimicos suos proscripsit, sed eorum etiam filios in perpetuum petendorum honorum potestate lege sua privavit. Vnde illa sunt M. Lepidi consulis in L. Sullam apud Sallustium: *Quin solus omnium post memoriam hominum supplicia in post futuros composuit; queis prius iniuria, quam vita certa esset.* Contra hos igitur Cicero consul, quum, ut ad honores admitterentur, contenderent, egit in oratione, quam inscripsit *de proscriptorum filiis.* Cuius meminit Quintilianus lib. XI, c. 1 ita: *Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit: « Quid enim crudelius quam homines honestis parentibus ac maioribus natis a republica submoveri? »* etc. cuius orationis vim indicavit Plinius Hist. nat. lib. VII, c. 30, quum dicit: *Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit.* His tamen postea Caesar dictator omnia concessit. Sig.

(2) Q. Metellus Nepos trib. plebis quum in M. Ciceron. apud populum

gientem, quoniam congredi non licet cum resistente. Prisc. *l.* 9] Permulsa atque recreata est.

Silano et Murena coss. esset invectus eum, ut sibi oratione responderet, compulit. Quam orationem quum post scripsisset, *contra concionem Metelli* vocavit. De hac contentione tum credo loquutus est, quum ad Metellum Celerem Nepotis fratrem ita scripsit: *A. d. III. Non Ian. quum agere coepisset, tertio quoque verbo me appellabat, mihi minabatur Huius ego temeritati, si virtute atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu, non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* De oratione autem ipsa sic scribit lib. I ad Att. ep. 13: *In illam orationem Metellinam addidi quaedam. Liber tibi mittetur.* Et lib. III, ep. 12: *Quae est spes ista eodem tribuno pl. et inimico Cos. designato? Percussisti autem me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. Quamodo exciderit, nescio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, et quia mihi scripta videtur neglegentius, quam ceterae, puto posse probari, non esse meam.* Hinc factum est ut Gellius lib. XVIII, cap. 7, ita scripserit: *Concio significat orationem, quae ad populum habetur, sicut M. Tullius in oratione, quae inscripta est*, contra concionem Q. Metelli: «*Ascendi*, inquit, *in concionem; concursus populi factus est.*» Post: *Concionem esse dictam pro verbis et oratione docuit titulus Tulliani libri, qui a M. Cicerone inscriptus est: Contra concionem Q. Metelli.* Meminerunt autem huius orationis Augustinus et Fortunatianus in Rhetoricis suis ita: *Vtamur principiis in bonae opinionis controversiis, sed brevioribus et erectioribus paulo et confidentibus, et plenis dignitatis, sine iactantia dumtaxat, ne res pariat invidiam, ut est illud apud Tullium contra concionem Metelli: «Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente.»* Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius auctoris esset honesta persona et res de qua loquuturus esset, non improba. Meminit etiam huius Priscianus. Sig. — Mihi quidem videtur locus ille *Percussisti autem me de oratione prolata* Epp. ad Att. III, ad hanc orationem vix pertinere, sed ad illam potius in Clodium et Curionem spectare, quod ante me etiam adnotavit Paullus Manutius in eruditissimis suis in eas epistolas commentariis. Fortasse autem haec oratio eadem est cum illa, quam de suo consulatu Ciceronem habuisse significat Plutarchus in vita Crassi. In illa, inquit, oratione, quam de suo consulatu habuit Cicero, Crassum ad se noctu venisse refert, epistolam a Catilina missam tenentem, qua illum quasi conscium ad firmandam coniurationem hortabatur. Atque hac de causa semper in posterum Ciceronis inimicus Crassus habitus. De qua re tota sic existimo. Mos erat in deponendis magistratibus, concionem haberi ab eo, qui deponebat; eius rei potestate privatus fuit Cicero a Metello trib. pl. quod utrumque ipse lib. V epp. ad fam. ep. 1 significat, sed iurare tamen permissus quum esset, unum hoc simulans se facturum esse, quod permitteretur,

Prisc. *l.* 10] Nisi eorum exitio, non requieturam.

Gell. *l.* 18, *c.* 7] Ascendi in concionem: concursus est populi factus.

Qvint. *l.* 9, *c.* 3] Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi; in senatu sunt positi.

ORATIO

DE CONSVLATV SVO

Nonivs *Census*] Quorum luxuries fortunata censa peperit.

iuravit verissimum pulcherrimumque iusiurandum: *rempublicam atque urbem Romam sua unius opera esse salvam*; sicut loquitur in oratione in Pisonem sub initium; de quo etiam in orat. pro Sulla cap. 10 ita habet: *Adestote omnes animis—Ego consul, quum exercitus perditorum civium clandestino scelere conflatus crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae conflavisset — meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu — incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempubl. liberavi. Ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique sedem omnium nostrum, arcem regum et nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi.* Et mox: *An me existimasti haec iniuratum in iudicio non esse dicturum, quae iuratus in maxima concione dixissem?* Et apertius, sicut dixi, in or. in Pisonem: *Ego quum in concione abiens magistratu dicere a trib. pl. prohiberer, quae constitueram, quumque is mihi tantummodo ut iurarem permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus rom. universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit.* Intelligendum est igitur orationem de suo consulatu, aut iusiurandum fortassis fuisse, quo simul etiam *Metelli concioni* respondebat, aut certe, si ita libet *Metellinam* ab hac *de consulatu suo* separare, de *Metellina* dicendum, ut alii ante me voluerunt, de hac *de consulatu suo* existimandum eam fortassis esse, quam quum meditatam iam habuisset, etiam pro concione, nisi a Metello prohibitus esset, fuerat habiturus. Patr.

Qui indicabantur) De coniuratis loquitur. Id.

Quorum luxuries—peperit) Nonius v. *census* adducit haec verba ex Ciceronis consulatu, exemplo sc. demonstraturus hoc vocabulum etiam neutro genere usurpari. Patricius recte monuit dubium esse utrum hoc fragmentum ex poëmate *de consulatu suo*, an ex oratione *de consulatu* depromptum sit. Si ex poëmate, corruptum sit

ORATIO

DE REGE PTOLEMAEO (1)

Aqvil. et Fortvn. et Marcian.] Difficilis ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis.

ORATIO

PRO P. VATINIO (2)

Cic. *Epist. lib.* 1] Facio quiddam, quod in Eunucho parasitus suadet militi:

Vbi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet, Phaedriam
Commessatum intromittamus: tu, Pamphilam

fragmentum necesse est, quoniam heroici carminis metrum ei non constat. Sch.

(1) Orationis *de rege Ptolemaeo* mentionem apud Aquilam et Fortunatianum Latinos rhetores solum invenio. Fortunatianus autem eamdem etiam *de rege Alexandrino* vocavit quum dixit: *Communis partitio*, ut *Cicero de rege Alexandrino.* Item: *Hypophorae copiosae ponuntur, si decrepans aliquid ostendatur, ut Cicero de rege Alexandrino. Eam vero de restituendo Ptolemaeo Aulete fuisse crediderim, quum eam reductionem P. Lentulo Ciliciae proconsuli sua sententia decerneret, ut scribit* ipse Epp. ad Fam. I, 4. Sig. Haec Oratio habita fuit Cn. Cornelio Lentulo L. Marcio Philippo coss. ut patet ex epist. ad Fam. I, 1. Mentio autem orationis et fragmenti est etiam apud Marcianum Capellam, ubi agit de figuris sententiarum. Pato.

(2) Vatinium et accusatum fuisse et defensum a magnis viris reperio. Accusatum quidem, sive adeo insectatum a Licinio primum Calvo, oratore excellenti, ut alibi explicabimus, nobili illa actione, de qua multi praeclari auctores meminerunt, Tacitus, Catullus, Quintilianus, Aquila ceteri. Deinde vero insectatum quoque a Cicerone ipso, oratione quidem, quae hodieque exstat. Defensum autem ab eodem, duobus, ut scribit Valerius lib. VI, cap. 11, iudiciis publicis, non modo sine ullo crimine levitatis, quod eidem antea inimicissimus exstitit, sed etiam cum aliqua laude, quum speciosius multo iniuriae beneficiis vincantur, quam mutui odii pertinacia pensentur. Etsi autem eius defensionis causam in Caesarem conferre videatur ipse Cicero, quem sibi defendendo Vatinii auctorem fuisse scribit lib. I, epist. ad Fam. ad Lentulum, tamen Quintilianus rei ipsi et veritati tributum id ab eo fuisse significat lib. II, cap. 1, quum ait: *Decet rem ipsam probare in qualicunque persona. Dixit Cicero pro Gabinio et pro Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, et in*

Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam, tu huius contra: denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Terent. act. III, sc. I.

quos orationes etiam scripserat; verum causa iusta fit fatendo non se de ingenii fama, sed de fide esse sollicitum. Et quidem orationis pro Vatinio Ciceronis meminit Asconius initio expositionis suae in orationem pro M. Scauro. Quo ex loco intelligitur habitam esse eam L. Domitio Ahenobarbo et App. Claudio pulchro Coss. Id quod ipse significat etiam epist. ult. lib. II, ad Q. fratrem: *Ego,* inquit, *eodem die, quo haec scripsi, absoluto a tribunis aerariis de praevaricatione Druso, aderam post meridiem Vatinium defensurus.* Erat id autem, ut apparet infra, intra Quintilem et Sextilem menses, ante Scauri iudicium. Sic enim ibidem Cicero, *Scauri,* inquit, *iudicium statim exercebitur, cui nos non deerimus.* Cuius iudicii summum diem a. d. IV Non. Sept. fuisse Asconius prodidit. Ex his autem praeterea Ciceronis locis colligitur, de ambitu illum tunc accusatum fuisse. Sic enim paulo ante Cicero: *De ambitu, quum atrocissime ageretur in senatu multus dies, quod ita erant progressi candidati ut ferendum non esset, in senatu non fui.* Quod item significatur Lib. I epp. ad Fam. ep. 9, ad Lentulum scripta. Quod si est, tum sane, et Calvo accusatore, et Cicerone defensore usus est Vatinius. Id quod ita esse ex horum duorum locorum collatione constat, quos adducam. Ciceronis primum illa epistola, in qua sic ait: *De Vatinio autem primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille praetor est factus, quum quidem eius petitionem gravissimis in senatu sententiis oppugnassem, neque tam illius laedendi causa, quam defendendi atque ornandi Catonis.* Deinde Quintiliani, qui aliquot Calvianae illius accusationis fragmenta adducit: Vt lib. VI, cap. 1: *Factum,* inquit, *ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt.* Item lib. VI, cap. 3: *Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.* Sive igitur rei ipsius veritate, sive Caesaris auctoritate ad defendendum Vatinium adductus fuerit Cicero, certe inimicitias postea cum illo resumpsisse, easque ad extremum usque exercuisse videri potest ex his quae a Macrobio lib. II inter iocos recitantur. Nam quum Vatinius hic cum Caleno, ut Dio testatur, exitu anni 707 ut habent marmora Capitolina consul factus esset, paucisque diebus consulatum gessisset, *notabilis,* inquit Macrobius, *Ciceronis urbanitas circumferebatur, magnum ostentum, inquientis, anno Vatinii factum esse, quod illo consule nec ver, nec aestas, nec autumnus fuerit.* Querenti autem deinde Vatinio, *quod gravatus esset domum ad se infirmatum venire,* respondit Cicero, *id se quidem in consulatu ipsius facere voluisse, sed a nocte oppressum fuisse.* Idem autem apertius quodammodo existimari potest, ex iis quoque, quae a Quintiliano lib. VI, cap. 4, inter iocos quidem relata sunt. Primum, quod nuntiata ipsius morte, cuius parum certus dicebatur auctor, *interim,* in-

Sic peto a vobis, iudices, ut quoniam quidam nobiles homines, et de me optime meriti, nimis amant inimicum meum, neque inspectante, saepe eum in senatu modo severe seducunt, modo familiariter atque hilare amplexantur: quoniamque illi habent suum Publium, detis mihi ipsi alium Publium, in quo possim eorum animos mediocriter lacessitus, leviter repungere.

quit Cicero, *usura fruar*. Deinde, quum Ovinium liberlum ipsius interrogasset, *recte ne omnia*, et is *recte* respondisset, *Nimirum mortuus est?* inquit. Quamquam ea quidem ex adverso non paulo firmioribus argumentis subrui videantur, desumptis tum ex tribus epistolis quae exstant inter epistolas Ciceronis lib. IV ad familiares ultro citroque ab iis scriptae, tum una praeterea ad Atticum II, 9. Neque vero locus ex Philipp. X, etsi Dioni et Velleio historicis repugnare videatur, ad confirmandam tamen Ciceronis bonam de Vatinio opinionem praetermitti non debet. Viderint igitur alii, quid et quantum de illorum amicitia existimaturi sint. Nam in epistolis quidem ad Familiares et Vatinius Ciceroni, supplicationis obtinendae causa, et Cicero vicissim Vatinio recuperandi Dionysii anagnostae fugitivi gratia, videri potest fuisse adulatus. Epistola autem ad Atticum non magis Marco, quam Quinto Ciceronibus invicem subiratis amicum fuisse Vatinium ostendit. Immo utriusque etiam fortassis inimicum, si forte Q. Ciceronis, probrorum plenissima epistola M. Ciceroni lecta, iras magis et odia illorum accendere, quam mitigare voluit. Et in Philippica X, quae dicuntur, quum rei gestae veritatem vix habeant, aut simulate, aut eo certe consilio ut Bruto cui tunc absistere dicebatur, amicior redderetur, dicta esse videri possunt. Iocis autem rursus quoque in ipsum aut mutuae amicitiae fiducia aut certe iratus adhuc, nec dum reconciliatis temporibus usus fuisse Cicero existimari potest. Attamen quum nobiscum perpendimus ea quae scribit in oratione pro Gabinio, et item in epistola ad Appium Fam. II, de religione et officio gratiae reconciliatae, magis in ea opinione sumus, ita illum cum ipso etiam Vatinio in gratiam redilsse, ut se esse non modo virum bonum, sed etiam amicitiae eius constanter studiosum ad extremum declararit, praesertim quum illi ad eam rem a Q. Fratre, at ceteris stimuli assidue adderentur. Orationem quidem pro Vatinio, quod attinet, eius sic meminit Hieronymus in apologia adversus Rufinum sub finem, quum prius mentionem fecisset Ciceronis. *Lege*, inquit, *pro Vatinio oratiunculam, et alias, ubi sodalitiorum mentio fit.* Quum autem *oratiunculam* appellat, nimirum innuit exiguam fuisse. Quum autem inquit *lege*, significat et a Cicerone editam fuisse et suo tempore exstitisse. Patr.

ORATIO

PRO A. GABINIO (1)

Hieron. *Apol. adversus Rufinum*] Ego quum omnes

(1) Cicero omnium defensionum, sive causarum, quas acturus esset, memoriae commentarios scribere solitus fuit. Quas autem se maxime expolire videbat posse, eas posteaquam egisset, diligentius scriptas edere, quas non probaret, in commentariis relinquere consuevit. Quod idem de se ait Cato apud eum in libro de Senectute c. 11: *Causarum illustrium quascumque defendi, nunc quam maxime conficio orationes.* De quibus commentariis sic video scripsisse Asconium in commentario orationis in toga candida: *Praeterea movet me, quod quum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen huius defensionis aut principium nullum inveniam.* Apud Quintilianum autem lib. X, cap. extremo ita: *Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, et utique initia scribant, cetera quae domo afferant, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium ex commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque, et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti, ut causarum, quae sunt actae a Servio Sulpicio, cuius tres orationes exstant. Sed hi, de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur compositi. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit, quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles.* Et lib. IV, c. 1 hoc modo: *Cicero pro Scauro ambitus reo, quae causa est in commentariis (nam bis eum defendit) prosopopeio loquentis pro reo utitur, pro eodem reo repetundarum etiam exemplis.* Vt autem Scauri causa de ambitu exstitit in commentariis, sic etiam A. Gabinii. Proditum hoc est literis a D. Hieronymo in apologia adversus Rufinum his verbis: *unde et Tullius in commentariis pro A. Gabinio. Ego, inquit, quum omnes amicitias tuendas semper putavi* etc. Fuerat autem Gabinio inimicissimus, quippe quo consule civitate erat pulsus. Post autem cum eo reversum in gratiam eundem in iudicio defendisse ipse testatur in oratione pro Rabirio Postumo c. 8 his verbis: *Tu Gabinium, ut regem reduceret, impulisti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio gravius agere. Quem enim ex tantis inimicitiis in gratiam receptum summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo. Quo cum stante si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc iam ipsius fortuna reduceret.* Et Valerius lib. IV, c. 2: *Cicero A. Gabinium repetundarum reum summo studio defendit, qui eum in suo consulatu urbe expulerat.* Eosdem vero etiam commentarios a Diomede intelligi arbitror, quum ait: *Cicero causarum XIII. Re vendita, iterum empta.* Sig.

(1) Ex Quintiliani verbis lib. XI, cap. 1: *Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat,* Ciceronem prius *in Gabinium* dixisse quam *pro Gabinio*

amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis revocatae in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium praetermissum, imprudentiae, vel (ut gravius interpretemur) negligentiae excusatione defenditur; post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet.

AD ORATIONEM

PRO P. QVINTIO

VLPIAN.] Turpis occultatio sui.

ORATIO

PRO ROSCIO COMOEDO

e Codice manuscripto Vaticano.

1. Hoc sibi quisque proponat, quo minus fucatis capiatur officiis.

constat; id quod ipsum hoc etiam fragmentum indicat, quod unicum ex Hieronymo allatum est. Dio lib. XXXIX extremo existimat Gabinium L. Domitio Ap. Claudio coss. defensum esse, sed de qua defensione loquatur, quum multarum rerum et a multis factionibus postulatus fuerit, is demum expedire poterit, qui diligenter quid M. Cicero libro epistolarum tertio ad Q. fratrem scripserit, attenderit. Scribit et Valer. lib. VIII, c. 1, de quodam iudicio Gabiniano: eum vide. Eum autem nec accusatum nec defensum fuisse a se in quodam indicio ipse Cicero indicat, scribens ad Q. fratrem lib. III epist. hoc pacto: *De Gabinio, illum ego neque ursi, neque levavi.* Mirum autem ni de hoc eodem indicio loquatur, cuius meminit Valerius. PATR.

Perfidiae assignari solet) Vnde Cicero ipse scribens ad Appium Fam. lib. III ep.: *Post gratiam videlicet reconciliatam* ait *se diligentiorem esse factum ad benivolentiam declarandam. Vetere enim simultate stimulari, ut caveret ne cui suspicionem fictae reconciliatae gratiae daret.* Et in orat. pro Milone c. 8: *timuit*, inquit, *ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae.* Tum in orat. pro Rab. Postumo de eodem Gabinio loquens: *Non patitur*, inquit, *mea fides*

2. Rara res est amicitia.

3. Quid enim tam simplex apertumque est? Atqui non tam in alto latet aurum argentumque.

4. Hasce ore adverso inuri cicatrices ac notas virtutis accipitis, ne quod accipiat fama vultus perhorrescit, quem nunquam incursione hostium commovere.

5. Erat mecum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione.

ORATIO

PRO M. FONTEIO

Marcell. *l.* 15] Galli posthac dilutius potabunt, quod illi venenum esse arbitrabuntur.

Qvint. *l.* 6, *c.* 4] Mater tua, dum vixit, ludum, postquam mortua est, magistros habuit.

Aqvila] Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.

Cetera, in ea, quae inter reliquas orationes exstat

ORATIO

DE LEGE AGRARIA Kal. Ian.

Deest principium

Gell. *l.* 12, *c.* 14] Praedam, manubias, sectionem,

gravius de Gabinio agere. Quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderam, hunc afflictum violare non debeo. Et ibid. non ita multo post: *Mihi causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiae. Neque vero me poenitet, mortales inimicitias, immortales amicitias habere.* Patr.

castra denique Cn. Pompeii, sedente imperatore, X viri vendent.

Gell. *ibid.*] ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario.

Aqv.] Veniet igitur sub praecone tota Propontis atque Hellespontus: addicetur communis ora Lyciorum atque Cilicum; Mysia et Phrygia item conditioni legique parebunt.

Caris.] Imberba iuventute.

Cetera, in ea, quae exstat, in senatu habita.

ORATIO

IN L. PISONEM (1)

Qvint. *l.* 9, *c.* 4] Proh dii immortales! qui hic illuxit dies.

Diomed. 2. *Serv.*] Quae te beluam ex utero, non hominem fudit.

Ascon.] Insuber quidam fuit, id est, mercator, et praeco: is quum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Caesonium, hominis fortissimi filium, ausus est appellare; filiam collocavit.

Qvint. *lib.* 8, *cap.* 3] Quum tibi tota cognatio in sarraco advehatur.

(1) Orationem in Pisonem habuit Cicero ab eo lacessitus in senatu. Vide Quintilianus lib. III, c. 9 dixit *editum in L. Pisonem librum vituperationem continere, et tamen in senatu habitum esse loco sententiae.* Sig. Huius orationis non habemus principium, desunt autem inde, ut ego ex Asconio colligere videor, versus plus minus centum. Haec lacuna aliqua ex parte repleri poterit iis quidem fragmentis, quae omnia ad initiam pertinent. Patr.

Proh dii immortales) Quintilianus itemque Diomedes eum his verbis esse exorsum referunt. Quintilian. lib. IX, ita: *Versus fere excidunt, ut in principio statim orationis in L. Pisonem: Proh dii immortales, quis illuxit dies.* Diomedes lib. II a trimetro eum coepisse ait.

Quum tibi tota cognatio in Sartaco advehatur) Quintilian. lib. VIII, c. 3: *An quum dicit in Pisonem Cicero:* quum tibi tota cognatio in Sarraco advehatur, *incidisse videtur in sordi-*

DIOMED. *l.* 1] Proxime Pompeium sedebam.

LAMB. *addit ex* QVINT.] Caput opponis, cum eo coniscans.

EX COMMENTARIIS LIB. XIII.

DIOM.] Re vendita, iterum empta.

dum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum volebat, auxisse? Atque hoc ipsum est, quod etiam significavit Fortunatianus, quum dixit: *Vulgaria verba, quibus utitur vulgus, et M. Tullius et sarracum et ferem dicere non dubitavit.* Hoc autem verbo usus est etiam Sisenna libro IV historiarum, teste Nonio: *Impedimenta*, inquit, *collocant omnia, construunt carros, et sarraca crebra disponunt.* SIG.

Proxime Pompeium sedebam) Diomedes lib. I ubi de praepositione agit, haec citat ex Ciceronis orat. in Pisonem, quum ostendit, quo pacto praepositiones cum accusativo iungantur. *Cicero*, inquit, *in Pisonem, proxime Pompeium sedebam.* Idem autem citat ibidem eundem Ciceronem in epistolis ad Atticum eandem praepositionem *prope* cum dativo casu coniungentem. Quo in loco, etsi verba non referat, nihil tamen dubium est, quia sint illa ex epistola lib. I: *Proximus Pompeio sedebam.* Infra autem quae verba adducit pro exemplo *propius grammatico accessi*, sunt Cornelii Nepotis de viris illustribus. PATR.

Caput — coniscans) Hoc fragmentum affertur a Quintiliano Inst. orat. VIII, 3, 21. De verbo *coniscans* vid. Ind. Latinitatis h. v. SCH.

DE ORATIONIBVS CICERONIS DEPERDITIS

PATRICII adnotatio.

Orationes Ciceronis, praeter eas quidem quae vulgatis libris continentur, has fuisse reperio:

PRO TVLLIO
PRO VARENO
QVVM LILYBAEO DECEDERET
PRO OPPIO
PRO MANILIO
PRO FVNDANIO
PRO C. CORNELIO, quae duae sunt IN COMPETITORES
PRO GALLIO
DE L. OTHONE
DE PROSCRIPTORVM LIBERIS
METELLINA
DE SVO CONSVLATV
IN CLODIVM ET CVRIONEM
DE REGE PTOLEMAEO
PRO VATINIO
PRO SCAVRO
PRO GABINIO

quae quidem singulae non solum titulis et inscriptionibus, sed etiam fragmentis ipsis notae sunt. Praeter eas autem sunt illae quoque

PRO CORVINO

IN DEPONENDA PROVINCIA
IN BESTIA
IN GABINIVM
PRO CISPIO
PRO Q. MVCIO

de *lege agraria* brevis, et si quae sunt eiusmodi aliae. Et orationis quidem pro *L. Corvino* mentionem apertam facere videtur Q. Cicero frater Marci, in libro de petitione consulatus: *Hoc biennio*, inquit, *quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti. M. Fundanii, Q. Gallii, Cn. Cornelii, L. Corvini; et horum in causis ad te deferendis quidnam eorum sodales receperint et confirmarint scio; nam interfui.* Quo quidem ex loco tempus etiam constat habitae eius pro Corvino orationis. Habita est enim illo biennio ante consulatum M. Ciceronis. *De oratione in deponenda provincia* locus ille notissimus testatur Epist. ad Att. II, 1, qui consulares orationes recitat, ubi haec quoque inter ceteras numeratur. Res ita habet. Cicero et Antonius Coss. quum provincias sortiti essent, Ciceroni Macedonia, Gallia Antonio evenit; postea in gratiam Antonii Macedoniam illi concessit Cicero, Gallia recepta; in quam tamen et ipsam profectus non fuit, sed Metellum Celerem misit cum imperio. Testatur Dio lib. XXXVII, de qua re exstat etiam quiddam sub initium epist. 2, lib. V, ad Famil. Sallustius in coniuratione Catilinae de eadem re ita habet: *Cicero*, inquit, *collegam suum Antonium pactione provinciae perpulit ne contra rempubl. sentiret.* Vnde ipse quoque Cicero in orat. in L. Pisonem cap. 2, *Ego*, inquit, *provinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu et pecunia instructam et ornatam quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora reipubl. ferre, in concione deposui, reclamante populo romano.* De *L. Bestia* orationeque de eo habita sic scribit Tacitus lib. de oratoribus. *Satis constat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem, et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos esse et defensos.* Cicero etiam ipse Epist. ad Q. fratrem II, sic: Ad d. III. *Idus dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu.* Intelligendum est autem fortassis Bestia is qui Cos. Cicerone tribunatum pl. gessit; et qui, ut scribit Sallustius in Catil. queri in concione de actionibus Ciceronis belliquegravissimi invidiam optimo Cos. imponere ausus est. De quo etiam Brutus in epistola ad Atticum loquitur, quae est in libro epistolarum ad Brutum. Illa quidem oratio fuit habita Marcellino et Philippo coss. Effectum autem non fuisse consecutum, ostendit Cicero Philipp. XI, 5. Quo ex loco intelligi etiam potest de ambitu illum fuisse accusatum. *Quid Bestiam? qui se consulatum in Bruti locum petere profitetur. Atque hoc quidem detestabile omen avertat Iupiter. Quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro praetura putat.* — In *Gabinium* autem quoque scriptam fuisse a Cicerone orationem Quintilianus aperte testatur lib. XI, cap. 1, sic scribens: *Dixit Cicero pro Gabinio et P. Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos*, inquit, *orationes etiam scripserat.* Nam Dionis locus lib. XXXIX ad eam rem demonstrandam parum facere videtur, qui accusatum tantum a Cicerone fuisse Gabinium scribit, orationem conscriptam fuisse non scribit. Multo autem minus locus Lactantii cap. 18, lib. IV, qui in nonnullis exemplaribus mendosissi-

me *crucem Gabinianam* pro *Gavianam* habet. Respicere enim locus debet ad Verris factum crudele, qui *P. Gavium* non *Gabinium* cruci affixerat. De quo vide orat. V in Verr. cap. 61. Orationis pro *Cispio* meminit ipse Cicero in or. pro Plancio: sic Laterensem alloquens: *Atque etiam clamitas Laterensis. Quousque ista dicis? nihil in Cispio profecisti, absolutae iam sunt preces tuae. De Cispio mihine tu obiicies, quem ego de me bene meritum, quia te teste cognoveram, te eodem auctore defendi? et ei dices* Quousque; quem negas, quod pro Cispio contenderit, impetrare potuisse? Nam istius verbi Quousque haec poterat esse invidia: datus est tibi ille; condonatus ille, non facis finem; ferre non possumus. *Ei quidem qui pro uno laboravit, et ipsum id non obtinuerit dici* Quousque, *irridentis magis est, quam reprehendentis. Nisi forte ego unus ita me gessi in iudiciis, ita et cum his et inter hos vixi, is in causis patronus, is in republica civis et sum et semper fui, solus ut a te constituar, qui nihil a iudicibus debeam unquam impetrare. Et mihi lacrymulam Cispiani iudicii obiectas. Sic enim dixisti:* Vidi ego tuam lacrymulam. *Vide quam me verbi tui poeniteat. Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas, et fletum cum singultu videre potuisti. An ego, qui meorum lacrymis, me absente commotus, simultates quas mecum habebat deposuisset, meaeque salutis non modo non oppugnator (ut inimici mei putarant), sed etiam defensor fuisset, huius in periculo non dolorem meum significarem?* Ex hoc loco intelligitur, Cispium a Cicerone cum contentione defensum, eumque tamen absolutum non fuisse. Pro *Q. Mucio* etiam illum dixisse constat ex fragmentis orationis in toga candida. Accusatus nimirum is erat furti a L. Caleno. De brevi una quae *de lege*, quoque fuit *agraria* sic ipse eodem illo iam nominatu loco, l. II ad Att. *Sunt praeterea duae breves quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae.* Exstat autem una, alteram desideramus. Defensos autem et accusatos esse complures alios a M. Cicerone sunt, quae testentur, tum ipsius, tum scriptorum aliorum monumenta, in primis quod ipse in Oratore ad Brutum de se profitetur: *Nemo orator tam multa ne in Graeco quidem otio scripsit, quam multa sunt nostra.* Defendit enim praeter ceteros *Antonium*, collegam suum, quod ipse fatetur in orat. pro domo. Defendit etiam *C. Pisonem* consularem, ut ait in orat. pro Flacco cap. 39, ubi et *A. Thermum* bis a se eodem anno defensum esse narrat. Defendit et *C. Mustium* uti meminit Verr. c. 53, et Caesarem Vopiscum, uti scriptum exstat Philipp. XI, 9. Egit et *Reatinorum* causam contra Interamnates apud consulem Appium et decem legatos. Defendit idem *Messium* et eodem tempore *Drusum* lib. IV ad Att. ep. 15. Et item *Titinniam* Cottae Brut. 60, et Scamandrum Cluent. 17, *et Atratinum* Cael. 1, et *Ascitium* Cael. 10. Defendit item *Saufeium* bis primum lege Pompeia, mox Plautia de vi, ut Asconius in Milonianam; et *Popillium Laenatem*, a quo post occisus est, ut Seneca in declamationibus et alii scribunt. Et mulierem *Aretinam* apud decemviros, ut ex oratione pro Caecina patet. Pugnavit etiam pro *Crasso* in senatu, ut constat ex lib. I ad Fam. epist. et ex lib. V ep. Defendit praeterea *Dolabellam et Aelium* ambos bis capitis accusatos, lib. III, ad Fam. ep. 10, et lib. VII, ep. et *Caninium Gallum* lib. III, ep. 8.

M. TVLLII CICERONIS

QVAE

VVLGO FERVNTVR

AD M. BRVTVM

ET

M. BRVTI AD CICERONEM

EPISTOLAE

DE CICERONIS

QVAE VVLGO FERVNTVR

AD M. BRVTVM

ET M. BRVTI AD CICERONEM

EPISTOLIS

PROLEGOMENA

Ciceronis ad M. Brutum olim exstiterunt epistolae octo libris comprehensae; inde ab anno fere V. C. 702 quo Cicero proconsule in Ciliciam profectus est usque ad M. Bruti discessum in Graeciam A. V. 709 scriptae. Ex his quinque, incertum quo casu, interiectae sunt epistolarum, quae vulgo ad Familiares vocantur, libris XVI ubi nunc leguntur libri XIII 10–14, scriptae A. V. C. 707 ad Brutum Cisalpinae Galliae praefectum. Ex illa autem συλλογῇ fragmenta quaedam supersunt apud Quintilianum et Nonium Marcellum grammaticum. Ex illis unum occurrit institut. Orat. III 8, ubi Quintilianus: « Poterat, inquit, me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad M. Brutum: *Propositis plurimis quae honeste suaderi Caesari possent, simne bonus vir, si haec suadeam? Minime. Suasoris enim finis est utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt. Quis negat? Sed non est semper rectis in suadendo locus.* Hoc fragmentum Spaldingius putabat de Caesare Octaviano intelligendum esse. In quo ei non assentior. Cicero enim vivo C. Iulio Caesare ab amicis quibusdam (postquam Catonem suum i. e. librum de laudibus Catonis Vticensis ediderat) excitatus erat, ut aliquid ad Caesarem de ordinanda republica scriberet. De eo libro s. epistola suasoria ad C. Iulium Caesarem haec occurrunt in epistolis ad Atticum XII 40: Συμβουλευτικὸν *saepe conor; nihil reperio; et quidem mecum habeo et* Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον; *sed quid simile? illi et quae ipsis honesta essent scribebant, et grata Alexandro. Ecquid tu eiusmodi reperis? Mihi*

quidem nihil in mentem venit. **XIII** 27: *De epistola ad Caesarem nobis vero semper rectissime placuit, ut isti* (Caesariani qui Romae erant) *ante legerent. Aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi et in nosmet ipsos, si illum offensuri fuimus, paene periculosi. Isti autem ingenue, mihique gratum, quod quid sentiunt non reticuerunt; illud vero vel optime, quod ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit. Quamquam de Parthico bello, quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? Quod enim aliud argumentum epistolae nostrae nisi* κολακία *fuit? An si ea quae optima putaram, suadere voluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. Vbi enim* ἐπίτευγμα *magnum nullum fieri possit,* ἀπότευγμα *vel non magnum, molestum futurum sit: quid opus est* παρακινδυνεύειν, *praesertim quum illud occurrat, illum, quum antea nihil scripserim, existimaturum, me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. Atque etiam vereor, ne putet me hoc quasi Catonis* μείλιγμα *esse voluisse. Quid quaeris? valde me poenitebat. Nec mihi in hac quidem re quidquam magis, ut vellem, accidere potuit, quam quod* σπουδὴ *nostra non est probata. Incidissemus etiam in illos* (Caesarianos), *in eis in cognatum tuum* (Q. Ciceronem filium; ibid III 28). *De epistola ad Caesarem iurato mihi crede: non possum; nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat. Quam enim turpis est assentatio, quum vivere ipsum turpe sit nobis? Sed, ut coepi, non me hoc turpe deterret; ac vellem quidem (essem enim, qui esse debebam), sed in mentem nihil venit. Nam quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasiones, vides, quibus in rebus versentur. Adolescentem, incensum cupiditate verissimae gloriae, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur. Ad decus non deest oratio. Ego quid possum? Tamen nescio quid e quercu exsculpseram, quod videretur simile simulacri. In eo, quia nonnulla erant paulo meliora, quam ea, quae fiunt, et facta sunt, reprehenduntur; quod me minime poenitet. Si enim pervenissent istae literae, mihi crede, nos poeniteret. Quid? tu non vides ipsum illum Aristoteli discipulum, summo ingenio, summa modestia, postea quam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? Quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis laetaturum putas? Ille vero potius non scripta desideret, quam scripta non probet! Postremo, ut volet. Abiit illud, quod tum me stimulabat,* (quum

Catonis laudem aggrediebar verentem ne mortis periculum subirem) πρόβλημα Ἀρχιμήδειον. *Multo mehercule magis nunc opto casum illum, quem tum timebam, vel quem libebit.* Denique XIII 31: *De epistola ad Caesarem κέκρικα. Atque id ipsum, quod isti aiunt illum scribere, se, nisi constitutis rebus, non iturum in Parthos, idem ego suadebam in illa epistola; sin, utrum liberet, facere posse, auctore me. Hoc enim ille exspectat videlicet, neque est facturus quidquam, nisi de meo consilio. Obsecro, abiiciamus ista, et semiliberi saltem simus, quod assequemur et docendo et latendo.* Ex his locis, ut obiter hoc moneam, magnum robur accedit sententiae eorum, qui Wolfium de oratione pro Marcello sequuntur. Tantum enim Cicero abhoruit a scribendo eiusmodi libro, in quo nimium esset Caesari adulandum, ut scribere istam orationem haud potuerit, multum ab ea dignitate quam in oratione pro Ligario servavit, discrepantem. Aliud fragmentum ex istis octo ad Brutum epistolarum libris est apud Quintilianum V 10: *Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali aliquid: etsi argumentum simile non erat*; quod ostendit illam epistolam scriptam fuisse A. V. 707, quo Cicero librum in laudem Catonis aggressus erat scribere.

Iam ipsas Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem, quae vulgo feruntur, epistolas breviter recensebimus, quarum αὐθεντίαν Tunstallus et post eum Marklandus in dubium vocarunt.

LIBRI I EPISTOLA I.

In hac epistola Bruto commendatur L. Clodius quidam, vel (ut alii volunt) C. Clodius tribunus plebis designatus (nempe, ut videtur, a Caesare, qui paulo ante interitum in aliquot annos magistratus designaverat). Iam Tunstallus quidem Middletoni argumentis, quibus illam epistolam non potuisse ab alio confingi conatus erat evincere, satis bene respondet (*Observations* p. 359 sqq.); non autem νοθείας certa insignia attulit; ideoque *Marklandus* (*Remarks* p. 15 sqq.) primam hanc epistolam nihil habere ostendit, quod non potuerit a Cicerone scribi; putatque eam ex libro octavo genuinarum ad Brutum epistolarum fortasse decerptam, ceterisque spuriis fraudis tegendae causa praepositam esse. Neque vero ipse invenio aliquid eiusmodi, quod hanc epistolam Ciceroni abiudicandam esse certo persuadeat; nec impedio, quo minus ille L. Clodius idem esse existimetur qui fuerat Ciceroni praefectus fabrum (ad Fam. III 4).

EPISTOLA II.

Haec epistola statim in principio se appendicem alterius iam scriptae et obsignatae profitetur. Nec quidquam impedit, quo minus arbitremur eam proxime cum prima coniunctam esse. Tunstallus (*observations* p. 236) indicium νοθείας sibi videtur invenisse, in hoc epistolae loco: *Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta.* Intelligitur scil. seditio inter milites Bruti clandestinis C. Antonii (cui captivo Brutus pepercerat) consiliis exorta, cuius Plutarchus in Bruto c. 26 et Dio Cassius lib. XLVII mentionem faciunt. In quo Tunstallum offendit legionem *quartam* nominari, quam certum est non in Bruti exercitu, sed in Italia militasse. Or. Philipp. V 19. Deinde haec epistola data est XIV Kal. Maias; et tamen scribit auctor ad Brutum: *tuum consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti,* (Decimi) *Bruti eruptione* (ex Mutina, quam M. Antonius obsessam tenuerat), *populi Romani victoria.* Atqui Antonius ad Mutinam superatus est a. d. XVII. Kal. Maias; et aliquot diebus post nuntii de hac victoria Romam venerunt. Quo modo igitur Cicero XIV Kal. Mai. ita scribere potuisset ad Brutum, quasi is e Macedonia iam de hac victoria se audisse ad Ciceronem scripsisset? Itaque hanc epistolam suppositītiam esse facile patet, et si ponamus, eam primae huius libri appendicem, sive statim ea scripta et obsignata exaratam esse, illam quoque primam, etiamsi alia νοθείας indicia nulla sint, ab auctore secundae scriptam esse, statuamus necesse est.

EPISTOLA III.

In hac epistola, primum hoc offendit, quod ea data esse dicitur X Kal. Maias i. e. pridie Vinalia, quo die Cicero habuit in senatu orationem Philippicam decimamquartam, ut vix eodem die ad Brutum scripsisse videatur. Deinde initium: *nostrae res meliore loco videbantur* frigidius est, quam pro illis rebus fortiter et feliciter apud Mutinam gestis. Deinde quod scribit auctor epistolae: *Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos amisimus,* hoc profecto prorsus repugnat laudibus, quas Cicero ipse in Philippica XIV his consulibus tribuit. Quid enim ista verba *sed dumtaxat bonos* aliud significare possunt, nisi horum consulum bonam quidem voluntatem, bonum animum, sed fortitudinem, prudentiam, fortunam isti voluntati

haud parem fuisse? Leviora sunt quae Tunstallus et Marklandus reprehenderunt, quod Pansa *fugisse* dicatur, qui vulneribus acceptis e proelio elatus est; quod in SCto ubi dicitur: « Hostes autem omnes iudicati qui Antonii sectam sequuti sunt » vocabulum *sectae* usurpatum dicatur.

EPISTOLA IV.

Hanc epistolam Brutus dicitur dedisse Idibus Maiis ex castris. Eo tempore autem Romae de Octaviano nondum ulla erat suspicio, eum ad consulatum petendum animum adiicere. Tamen in illa epistola personatus Brutus sic scribit: *Itaque timeo de consulatu, ne Caesar tuus altius se adscendisse putet decretis tuis, quam inde si consul factus sit descensurum.* Neque vero nuntius de victoria apud Mutinam et de liberato Decimo Bruto tam celeriter potuit ad M. Brutum pervenire, ut iam Idibus Maiis de his rebus posset ad Ciceronem rescribere. Vtrumque a Tunstallo contra Midletonum recte monitum est. (*observations* p. 231 sqq. p. 257 sqq.). Accedit illud, quod extrema epistola Brutus scribit: *His literis scriptis te consulem factum audivimus*; quem tamen rumorem non nisi post duorum consulum Hirtii et Pansae mortem dissipatum esse constat, ut vix iam de eo Brutus Idibus Maiis aliquid inaudire posset. Marklandus in hac epistola nonnulla sibi deprehendere visus est, quae ab usu loquendi illius aetatis discrepent; e. c. in verbis: *quasi non liceat ad mala consilia corruptum largitionibus animum*; reprehendit (p. 55 sqq.) *largitionibus* pro *bonorum largitionibus*, et *liceat* pro *possit* usurpari. Quibus tamen argumentis equidem haud multum tribuerim; praesertim quum de Bruti scribendi genere e veris eius libris nihil nobis constet.

EPISTOLA V.

Haec epistola a Cicerone ad Brutum data esse fertur III Nonas Maias, in eaque scribit a. d. V Kal. Maias, quum de iis, qui hostes iudicati essent, bello persequendis sententiae dicerentur, dixisse Servilium etiam de Ventidio, et ut Cassius persequeretur Dolabellam; Ciceronem ei assensum esse, et hoc amplius decrevisse, ut si Brutus arbitraretur utile eque republica esse, persequeretur bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posset, sive non existimaret e republica esse, ut in iisdem locis exercitum contineret. Et paulo post scri-

bit idem sibi iam ante Mutinam obsidione liberatam placuisse. Et hoc quidem Tunstallus demonstrat veritati rei gestae repugnare. Sane ex philippica XI, c. 11 sqq. constat Ciceronem censuisse, ut Cassio bellum adversus Dolabellam terra marique gerendum decerneretur. Praeterea, ubi Cicero de filio suo in collegium pontificum minorum cooptando scribit, his verbis utitur: *Est etiam in lege Iulia, quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis,* Qui petit, cuiusve ratio habebitur; *aperte indicat posse rationem haberi etiam non praesentis.* Tunstallus, quia nusquam alio loco mentio fiat huius legis Iuliae de sacerdotiis, suspicatur auctorem huius epistolae lapsum esse errore quodam, quod ex narratione de litibus de Caesaris absentis in consulatu petendo ratione habenda in senatu agitatis hanc legem Iuliam de Sacerdotiis confixerit. Marklandus (p. 69) etiam hoc addit, totum hoc, *qui petit, cuiusve ratio habebitur* perplexe et inepte enuntiatum esse; scribendum enim potius hoc modo fuisse: *Istud etiam in lege Iulia, quae est de sacerdotiis proxima, his verbis* CVIVSVE ABSENTIS RATIO HABEBITVR, *aperte indicat posse rationem haberi filii mei.*

EPISTOLA VI.

In hac epistola, quae a Bruto XVII Kal. Iun. ex castris prope Candaviam data esse fertur, nihil offendimus, quod eius auctoritati repugnet. Quod scribit, Glaucona medicum Pausae in suspicionem venisse Torquato de morte Pansae, custodirique ut parricidam, id cum Suetonii narratione convenit, qui in Aug. c. 11: *Pansae quidem*, inquit, *adeo suspecta mors fuit, ut Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset.* Verum nomen tamen medici esse arbitramur quod apud Suetonium legitur, quod in illa epistola facile potuit in Glaucona a librariis corrumpi.

EPISTOLA VII.

Haec epistola brevior est, quam ut certi aliquid de eius αὐθεντίᾳ statui possit. Marklandum quidem offendit locutio: *In Pansae locum petere constituit*, quod non additur, quem honorem petere voluerit. Sane id h. l. addendum fuisset, propterea quod Pansa et consul et pontifex minor fuerat, h. l. autem de loco pontificis minoris agitur. Sub finem epistolae Brutus scri-

bit: *Sed Apuleius in sua epistola celebrabitur*; quod insolenter dictum esse idem Marklandus monuit.

EPISTOLA VIII.

In hac epistola Ciceronis ad Brutum, qua Nasennium Bruto commendat, Marklandus fatetur, se nihil quod Ciceronis stilo indignum sit, invenisse, nisi forte id quod dicitur *vellet per te aliquid auctoritatis assumere.*

EPISTOLA IX.

Epistola haec a Cicerone scripta esse fertur, Bruti consolandi causa. Incertum vero est, quae causa fuerit Bruto luctus vel doloris. Verba ista: *quamobrem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti cui simile in terris nihil fuit)* Middletonus de Porcia Bruti uxore accepit. Illam vero Bruto supervixisse, eoque mortuo sibi mortem conscivisse traditur. Nec de alio quodam luctu, ut de obitu Serviliae matris quae tum nondum decesserat, intelligi potest. Sed tota epistola videtur a declamatore quodam ficta. Nam quod hic Cicero scripsisse fingitur ad Brutum: *Quum enim mollius tibi ferre viderer, quam deceret virum, praesertim cum, qui alios consolari soleret, accusasti me per literas gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat;* id prorsus repugnat, quod vidit Tunstallus, epistolae 13 ad Att. lib. XII ubi Cicero scribit: *Bruti literae scriptae et prudenter et* amice, *multas mihi tamen lacrymas attulerunt.*

EPISTOLA X.

In hac epistola hoc offendit, quod Caesar Octavianus dicitur quorundam improbissimis literis fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulsus esse in certissimam spem consulatus, quod simul atque senserit, neque se illum absentem literis monere destitisse, neque accusare praesentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari viderentur; nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitasse. Verum hoc nec cum Plutarchi narratione, nec cum Appiani III 82 conciliari potest. Cicero enim videtur potius ab Octaviano, cui ipse iam alios honores extra ordinem sat multos sententia sua decreverat, falsa spe illectus fuisse consulatus una cum Octaviano gerendi, ut eius ambitioni faveret potius, quam fortiter resisteret. Ceterum Marklandus in hac epistola reprehendit locutionem *quatefeci*

Antonium ; itemque hanc: *sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam.* Imitatorem Ciceronis prodere videtur haec sententia: *huius belli fortuna ut in secundis fluxa, ut in adversis bona.* Cicero enim olim, statim post reditum ab exsilio, ad Atticum scripserat lib. IV, ep. 1: *Ita sunt res nostrae; ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae.*

EPISTOLA XI.

In hac epistola Brutus Veterem Antistium Ciceroni commendat, et ut eum in petitione praeturae potissimum adiuvet, rogat. Vbi Tunstallum offendit hoc quod ita scribitur: *Huic persuadere coepimus, ut imperator in castris remaneret, remque publicam defenderet. Statuit eundum sibi, quoniam exercitum dimisisset, statim vero rediturum ad nos confirmavit, legatione suscepta, nisi praetorum comitia habituri essent consules.* Brutus enim, qui tum iam de Pansae et Hirtii morte nuntium acceperat, scribere non poterat, consules praetoria comitia habiturum. In eodem loco Marklando iure displicebat illud: *huic persuadere coepimus*; debebat esse *persuasimus*, vel *persuadere studuimus.* Et *suadere coepimus* latine dicitur: *persuadere coepimus* et ineptum est, et inauditum.

EPISTOLA XII.

Haec epistola, si modo constaret undecimam, quae Bruto tribuitur, genuinam esse nihil magnopere haberet quod offenderet. Sed quum auctor hic respondeat Bruti epistolae, quae est huius libri undecima, illius αὐθεντία una cum undecimae auctoritate concidat necesse est. Attamen in eo Marklandus vitium reperit, quod scribitur de Lepido: *repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum* TERRA MARIQVE *gerit*; quod profecto Cicero scribere haud potuit, qui Lepidum nec naves nec milites classiarios habere haud ignorabat. Ceterum huius epistolae argumentum satis et superioribus, et vero etiam epistolae ad Decimum Brutum XIV Kal. Quintil. scriptae (ad Fam. XI 25) convenit. In hac enim sic scribit Cicero: *De Bruto autem nihil adhuc certi; quem ego, quemadmodum praecipis, privatis literis ad bellum commune vocare non desino: qui utinam iam adesset, intestinum urbis malum, quod est non mediocre, minus timeremus.*

EPISTOLA XIII.

Si haec Bruti epistola scripta esset post acceptam a Cicerone eam, quae est huius libri duodecima, argumentum satis ei conveniret. Ibi enim Cicero scripserat, se non potuisse de liberis Lepidi precibus matris Bruti, et sororis concedere, ut iis misericordia impertiretur. Itaque mirandum non esset Brutum stomachosius ita scripsisse: *Aliter alii cum suis vivunt; nihil ego possum in sororis meae liberis facere, quo possit expleri voluntas mea aut officium. Quid vero aut mihi tribuere boni possunt, si modo digni sumus, quibus aliquid tribuatur, aut ego matri ac sorori puerisque illis praestaturus sum, si nihil valuerit apud te reliquumque senatum contra patrem Lepidum Brutus avunculus. Scribere multa ad te neque possum prae sollicitudine ac* STOMACHO *neque debeo.* At quum haec scripta dicatur Kalend. Quintil. e castris, et pridie Kal. Quintiles hostis iudicatus sit Lepidus, quid de eo decretum esset, nondum rescire poterat Brutus ipsis Kalendis Quintilibus; ideoque intempestivum fuisset tam acerbe et stomachose misericordiam erga Lepidi liberos flagitare.

EPISTOLA XIV.

In hac Ciceronis epistola ad Brutum, quae data esse dicitur II Idus i. e. prid. Idus Quintiles, statim hoc offendit, quod Cicero graviter, ne dicam rusticius increpat Brutum ob brevitatem epistolae ab eo scriptae. Deinde Tunstallus hoc argumento utitur ad νοθείαν huius epistolae demonstrandam, quod Cicero perhibetur aliquoties ad filium scripsisse *sacerdotum comitia sua summa contentione in alterum annum esse reiecta*, qua contentione nihil opus fuisset, si verum esset id, quod epistola V de mora his comitiis propter auspicia iniecta scripserat.

EPISTOLA XV.

Tota haec epistola Ciceroni tributa continetur rerum a se inde a Caesaris interitu gestarum narratione; quarum maxima pars dudum erat Bruto notissima, ut profecto Cicero, nisi ineptus et molestus esse vellet, ista scribere non posset. Pluscula etiam in ea occurrunt, quae Cicero vel omisisset, vel aliter scripsisset. Vt hoc utar, Messalla dicitur multa arte se exercuisse in verissimo genere dicendi. Sic Ciceronem ad Brutum scripsisse Marklando visum est incredibile, quod Brutum Cicero

ipse scripsit non probasse ea, quae in Oratore de optimo dicendi genere disseruerat. Idem animadvertit, hunc locum: *ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem*, repugnare Ciceronis sententiae alibi consignatae; diserte enim Lib. II de legibus c. 11 ita scripsisse: *Thales qui sapientissimus inter septem fuit*; et Acad. II 37: *Thales, unus e septem, cui sex reliquos primas concessisse ferunt.* Solonem quidem sapientissimum civitatis Atheniensium a Cicerone dictum, nunquam vero sapientissimum ex illis septem sapientibus Graeciae.

EPISTOLA XVI.

Hanc epistolam, qua Brutus Ciceronem obiurgat, quod nimium Octavio tribuat, et *non dominum* (Antonium) *fugisse, sed amiciorem dominum* (Octavium) *quaesisse* videatur, Tunstallus a rhetore quodam confictam putat secundum hanc Plutarchi narrationem Brut. c. 22: Επεὶ δὲ Κικέρων τῷ πρὸς Αντώνιον μίσει τὰ Καίσαρος (Octaviani) ἔπραττε, τούτῳ μὲν ὁ Βροῦτος ἐπέπληττεν ἰσχυρῶς, γράφων, ὡς οὐ δεσπότην βαρύνοιτο Κικέρων, ἀλλὰ μισοῦντα δεσπότην φοβοῖτο, καὶ πολιτεύοιτο δουλείας αἵρεσιν φιλανθρώπου, γράφων καὶ λέγων, ὡς χρηστός ἐστι Καῖσαρ. Οἱ δὲ πρόγονοι, φησίν, ἡμῶν οὐδὲ πρᾴους δεσπότας ὑπέμενον. Αὐτῷ δ' εἰς τοῦτο καιροῦ μήτε πολεμεῖν βεβαίως δεδόχθαι, μήτε ἡσυχάζειν· ἀλλ' ἓν μόνον εἶναι βεβουλευμένον, τὸ μὴ δουλεύειν. Θαυμάζειν δὲ Κικέρωνα, τί πόλεμον μὲν ἐμφύλιον καὶ κινδυνώδη δέδοικεν, αἰσχρὰν δὲ καὶ ἄδοξον εἰρήνην μὴ φοβεῖται· τοῦ δ' Αντώνιον ἐκβαλεῖν τῆς τυραννίδος μισθὸν αἰτεῖ τὸ Καίσαρα καταστῆσαι τύραννον. Ex his igitur Plutarchi verbis Tunstallus opinatur, rhetorem illam epistolam Bruti exsculpsisse; in qua hoc potissimum νοθείας indicium sibi reperisse visus est, quod Plutarchus diserte dicat ista Brutum ad Ciceronem scripsisse antequam Italia excederet; ficta autem haec epistola satis prodat eam ex Macedonia scriptam esse. Iam Brutus autumno A. V. C. 709 Italiam reliquit. Eo tempore vero Cicero nondum Octaviano tantum tribuerat, ut Brutus eum tam graviter obiurgare posset. Quum enim Octavianus Neapolim venisset XIV Kal. Maii A. 709, Cicero eum Puteolis vidit. Quo de congressu ad Atticum (XIV 12) ita scribit: *Nobiscum hic perhonorifice et amice Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant; Philippus non; itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum civem; ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. Negant haec ferri posse. Quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem*

semper erunt clari; conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, iacebimus. Immo etiam circa Non. Nov. (ad Att. XVI 9) scribit se non confidere Octavii aetati; etsi ille professus erat se Ciceronis consilio usurum. Eodem modo se de Octavio sentire significat in epistola ad Atticum (XVI 15) exeunte Novembr. A. 709 scripta. Quare Plutarchus erravit, quum isto modo Ciceronem a Bruto obiurgatum esse putavit, antequam ex Italia discederet, ac fortasse hac ipsa epistola, licet adulterina, in errorem inductus est, quam genuinam esse credidit.

Ceterum quod Marklandus in hac epistola reprehendit locutiones *ob eiusdem mortem deterritus* (quum scribendum fuisset *morte deterritus*) — *sed nihil tanti fuit quo venderemus fidem nostram et libertatem* pro: nihil tanti fuit ut venderemus — *nihil quo expleri possit eorum meritum*, in quo verbum *explere* inepta *remunerandi* significatione positum sit — *Octavius is est, qui, quid de nobis iudicaturus sit, exspectet populus Romanus*, quum scribendum fuisset *a quo, quid de nobis iudicaturus sit, exspectet P. R.* — porro *in praesentibus malis prohibendis* ubi inepte et insolenter de praesentibus ponatur verbum *prohibere*; hae igitur reprehensiones, etsi singulae leviores possunt videri, tamen in summam coactae, praesertim quum facile aliis similibus augeri possint, eo valent, ut istam epistolam Bruti nomini falso subiectam esse nobis persuadeamus. Idem vero de

EPISTOLA XVII

quae a Bruto ad Atticum scripta esse fertur, existimandum est. Quis enim credat Ciceronem unquam Cascan male dixisse, quod inter Caesaris interfectores fuerit? Atqui hoc Brutus in ista epistola his verbis obiicit Ciceroni: *Nescio quid scribam tibi, nisi unum: pueri et cupiditatem et licentiam potius esse irritatam, quam repressam a Cicerone, tantumque eum tribuere huic indulgentiae, ut se maledictis non abstineat, iis quidem, quae in ipsum dupliciter recidunt; quod et plures occidit uno, seque prius oportet fateatur sicarium, quam obiiciat Cascae, quod obiicit;* in quo simul hoc ineptissimum est, quod Caesaris caedes cum supplicio coniuratorum Catilinae comparatur. Ceterum definire non ausim an Plutarchus, quum in vita Ciceronis ita scribit: ἐφ' ᾧ σφόδρα Βροῦτος ἀγανακτῶν ἐν ταῖς πρὸς Αττικὸν ἐπιστολαῖς καθήψατο τοῦ Κικέρωνος, ὅτι διὰ φόβον Αντωνίου θεραπεύων τὸν Καίσαρα δῆλός

ἐστιν οὐκ ἐλευθερίαν τῇ πατρίδι πράττων, ἀλλὰ δεσπότην φιλάνθρωπον αὑτῷ μνώμενος, ad hanc epistolam respexerit. Vltima saltem verba magis conveniunt istis, ex epist. 16, ubi Ciceronem sic affatur personatus ille Brutus: *Nam si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit, non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quaesisse videberis.*

EPISTOLA XVIII.

Haec epistola, quam Cicero fertur ad Brutum scripsisse a. d. VI Kal. Sext. A. V. C. 710, inanem et putidam habet excusationem nimiae fiduciae in Octaviano positae. Nimirum in orat. Philipp. V, c. 18 temere magis et oratorie, quam vere et circumspecte dixerat: *Audebo etiam obligare fidem meam, patres conscripti, vobis populoque romano; quod profecto, quum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerem que in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo, patres conscripti, C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle et optare debemus.* Iam audiamus personatum Ciceronem, Bruto se excusantem. *Maximo autem, quum haec scribebam, afficiebar dolore, quod quum me pro adolescentulo ac paene puero respublica accepisset vadem* (quidni potius scriberet: *quum me reipublicae obtulissem vadem*?), *vix videbar, quod promiseram, praestare posse.* (At hoc VI Kal. Sextil. vix dubium esse poterat, Ciceronem ab Octaviano illusum ac deceptum esse). *Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus pro altero, quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest, et est rei familiaris iactura tolerabilis: reipublicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?* Hic locus communis garrulo quodam declamatore, quam Cicerone dignior. Ineptam etiam formulam *nisi is dependi facile patitur*, pro eo quod dicere debebat: *nisi is promissis steterit*, vel *nisi is exspectationi satisfecerit*, iam Marklandus exagitavit (p. 192). *Quamquam et hunc (ut spero) tenebo multis repugnantibus. Videtur enim in eo esse indoles, sed flexibilis aetas, multique ad depravandum parati, qui splendore falsi honoris obiecto aciem boni ingenii praestringi posse confidunt.* (Talia de Octavio praedicari poterant anno superiore, aut certe ante aliquot menses. Mense Quintili autem A. V. C. 710 serum erat). *Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhi-*

beam machinas ad tenendum adolescentem , ne famam subeam temeritatis. Quamquam quae temeritas est? Magis enim illum pro quo spopondi , quam me obligavi. Quid vero hoc ineptius aut stultius excogitari potest? Cicero promiserat et spoponderat Octavianum semper bonum civem fore. Octavianus nihil promiserat , sed fraude et simulatione hominibus illudebat. Et tamen Cicero diceret se illum magis , quam se ipsum obligasse?

LIBER SECVNDVS

QVI VVLGO INSCRIBITVR:

M. TVLLII CICERONIS AD M. BRVTVM EPISTOLAE
A GERMANIS REPERTAE ET EDITAE.

EPISTOLA I.

Haec epistola scripta esse fingitur A. V. 710 , paulo ante Mutinam ab obsidione Antonii liberatam. Cicero (ad Fam. XII 6) mense Aprili ad Cassium scripserat: *Res, quum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat. Qui si conservatus erit, vicimus: sin (quod dii omen avertant), omnis omnium cursus erit ad vos.* Cum prioribus verbis concinit initium huius epistolae primae lib. II ad M. Brutum: *Quum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literae nuntiique afferebantur.* Sed quae sequuntur putidam et odiosam habent Ciceronis de se ipso praedicationem. Marklandus (p. 116) animadvertit Ciceronem scriptorum non fuisse *infideliter* aliquid *suadere*, sed potius *mala fide*. Et quam absurde hoc dictum est: *Ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in acie esse; neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Maiores autem partes animi te Cassiumque respiciunt.* Itaque hanc quoque epistolam stilo potius alicuius declamatoris, quam Ciceronis exaratam esse arbitrandum.

EPIST. II.

In hac epistola, cuius extrema pars intercidit, personatus Cicero scribit sibi a. d. V Id. April. literas in senatu redditas esse de Cassio, de legionibus, de Syria; et tamen in epistola quinta lib. I ad Brutum scriptum erat: *De Cassii nostri copiis nihil sciebamus. Neque enim ab ipso ullae literae, neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus.* Ex quo recte colligit Tunstallus auctorem huius epistolae suo se indicio prodidisse.

EPIST. III.

De fragmento huius epistolae, cuius principium interiit, nihil attinet dicere.

EPIST. IV.

Haec quoque epistola brevior est, quam ut certi aliquid de ea pronuntiari possit. Equidem nihil in ea reperio, quod manifestam habeat νοθείας notam.

EPIST. V.

In hac Bruti epistola merito Tunstallum hoc offendit, quod scribit: *Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento*; quum tamen in secunda epistola libri primi Cicero ad Brutum scripsisse dicatur: *quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes*; et, quod maius est, verus auctor Cicero Philipp. X 11 ita in senatu dixerit: *Quod idem in M. Bruto facere debetis, a quo insperatum et repentinum reipublicae praesidium legionum, equitatus, auxiliorumque magnae et firmae copiae comparatae sunt.*

EPIST. VI

est responsio Ciceronis scilicet ad illam Bruti proxime antecedentem: quare si illa suspecta, aut supposititia est, idem de hac quoque ad illam relata est existimandum.

EPIST. VII.

In hac epistola locus est, quem Tunstallus negat conciliari posse cum certis aliorum testimoniis. Sic enim videmus perso-

natum Ciceronem ad Brutum scribere: *Dii immortales! qui ille nuntius, quae illae literae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat! Nihil unquam vidi, tam omnium consensione laudatum. Erat exspectatio reliquiarum Antonii* (*scil.* Caii, M. Antonii fratris) *quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuae literae, quae recitatae in senatu sunt, et imperatoris consilium, et militum virtutem, et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his literis referri, et nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae consulis incidissent, honos quoque iustus et debitus diis immortalibus decretus esset.* Tunstallus hanc narrationem repugnare dicit Dionis Cassii, Velleii Paterculi ipsiusque Ciceronis testimoniis. Sed in Ciceronis orat. Philippica X agitur de iis M. Bruti literis, quas Pansa consul in senatu recitavit, quibus ille de rebus suis gestis usque ad illud tempus, quo C. Antonius cum VII cohortibus Apolloniam se receperat, ad senatum retulerat. Earum rerum summa his verbis exponitur Philipp. X 6: *Cum VII cohortibus isse Apolloniam scribit Antonium, qui iam aut captus est* (*quod dii dent!*) *aut certe homo verecundus in Macedoniam non accedit, ne contra senatusconsultum fecisse videatur. Delectus habitus in Macedonia est summo Q. Hortensii studio et industria, cuius animum egregium, dignumque et ipso et maioribus eius ex Bruti literis perspicere potuistis. Legio, quam L. Piso ducebat legatus Antonii, Ciceroni se filio meo tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertito, alter eum, a quo ducebatur, reliquit in Thessalia seseque ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens summa virtute et constantia ab legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui et antea iure laudatus a nobis, et hoc tempore merito laudandus est, aperuit Dyrrhachii portas Bruto et exercitum tradidit.* Ad has igitur priores literas M. Bruti (s. Q. Caepionis Bruti, nam hoc etiam nomine appellabatur inde a quo tempore erat a Caepione adoptatus) referenda sunt verba ista epistolae ad Brutum II 7: *Dii immortales! qui ille nuntius, quae illae literae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat! Nihil unquam vidi tam omnium consensione laudatum.* Iam in extrema oratione Philipp. X Cicero sententiam dicit, secundum quam SCtum factum est, quo Bruto et gratias agendas et imperium proconsulare ei publice confirmandum censuit. Ea sententia hisce verbis explicata est: *Quae*

quum ita sint: quod C. Pansa consul verba fecit de literis, quae a Q. Caepione Bruto proconsule allatae et huic ordini recitatae sunt, *de ea re ita censeo:* Quum Q. Caepionis Bruti proconsulis opera, consilio, industria, virtute difficillimo reipublicae tempore provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Graecia, legiones, exercitus, equitatus in consulum senatus populique romani potestate sint: *id Q. Caepionem Brutum, proconsulem bene et e republica et sua maiorumque suorum dignitate, consuetudineque reipublicae bene gerendae fecisse, eamque rem senatui populoque romano gratam esse et fore: utique Q. Caepio Brutus, proconsul, provinciam Macedoniam, Illyricum, totamque Graeciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemque conservet, eique exercitui, quem ipse constituit, comparavit, praesit, pecuniaque ad rem militarem, si qua opus sit, quae publica sit, et exigi possit, utatur, exigat, pecuniasque, a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum imperet, operamque det, ut eum suis copiis quam proxime Italiam sit etc.* Atque etiam paulo post, antequam consul Pansa ad bellum profectus esset, Cicero Philippicam XI habuit, in qua diserte significat nondum de C. Antonio capto famam fuisse Romam perlatam. Sic enim c. 11: *Praeterea,* inquit, *M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam magnam urbem et gravem; tenet, opinor, Byllidem; tenet Amantiam; instat Epiro; urget Illyricum; habet aliquot cohortes, habet equitatum.* Iam quae in epistola illa secunda libri II ad M. Brutum sequuntur: *Erat exspectatio reliquiarum Antonii, quem equitatu legionibusque magna ex parte spoliarat. Ea quoque habuit exitum optabilem;* ea referenda sunt ad secundas Bruti literas Romam missas, quae post Pansae discessum allatae sunt. Nam ut Plutarchus narrat in Bruto c. 26, C. Antonius, quum aliquantum se Apolloniae tenuisset, animadvertissetque cives Bruti partibus favere, hac urbe relicta Buthrotum perrexit. Hic primum in itinere tres cohortes amisit; deinde ad Byllidem proelio commisso a Cicerone filio victus et fugatus est. (Γάιος δ' Ἀντώνιος Ἀπολλωνίᾳ προσβαλὼν, ἐκεῖ τοὺς ἐγγὺς ὄντας ἐκάλει στρατιώτας. Ἐπεὶ δ' οὗτοί τε πρὸς Βροῦτον ᾤχοντο, καὶ τοὺς Ἀπολλωνιάτας ᾔσθετο τὰ Βρούτου φρονοῦντας, ἐκλιπὼν τὴν πόλιν εἰς Βουθρωτὸν ἐβάδιζεν; καὶ πρῶτον μὲν ἀπόλλυς, τρεῖς σπείρας καθ' ὁδὸν ὑπὸ Βρούτου κατακοπείσας· ἔπειτα τοὺς περὶ τὴν Βυλλίδα τόπους προκαταλειφθέντας ἐπιχειρῶν ἐκβιάζεσθαι καὶ μάχην συνάψας Κικέρωνι νικᾶται). De his igitur rebus intelligenda sunt ea, quae in lib. II, ep. 7 ad Brutum sequun-

tur: *Nam tuae literae, quae recitatae in senatu sunt, et imperatoris consilium, et militum virtutem, et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset, de his literis referri, et nisi in tempus turbulentissimum post discessum Pansae consulis incidissent, honos quoque iustus et debitus diis immortalibus decretus esset.* Quod autem deinceps narratur de epistolis duabus a Pilo allatis, altera Bruti nomine, altera Antonii; in eo Tunstallus frustra sibi visus est indicium reperisse, e quo epistolam hanc suppositam esse, perspicuum sit. Nempe quum altera Antonii epistola recitaretur, quae sic erat inscripta, ANTONIVS PROCOS. magna dicitur admiratio orta. In quo mirum est Tunstallum haec verba ANTONIVS PROCONSVL sic accepisse, quasi Brutus eum Proconsulem nominaverit. Ipsa eius verba ponamus. (*observations* p. 296.) *But why must the Letter be denied to be genuine? why? truly for a reason which effectually proves Cicero's answer to be spurious. Brutus in a public Letter, had given to Antony his prisoner the style and title of Proconsul! Could there possibly be a greater stretch of sophistic imagination? That Brutus should call his professed rival for the province of Macedonia by the title of Proconsul* i. e. *of Macedonia; and call him so in a Letter to the Senate, which had formally interdictet him the Province and deprived him of his Proconsulship.* Sane quid virum tantae sagacitatis in hunc errorem inducere potuerit haud assequor. Nam primum statim initio epistolae scribit auctor duas esse Id. Apr. in senatu epistolas recitatas, alteram Bruti nomine, alteram Antonii. Deinde post illum locum supra exscriptum sic pergit Auctor: « Ecce tibi Idib. April. advolat mane celer Pilus, qui vir! dii boni! quam gravis! quam constans! quam bonarum in republica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii; dat Servilio Tribuno plebis, ille Cornuto, recitantur in senatu; (scil. ita ut prior recitaretur Antonii epistola). ANTONIVS PROCOS. *magna admiratio; ut si esset recitatum* DOLABELLA IMPERATOR, *a quo quidem venerant tabellarii, sed nemo Pili similis, qui proferre auderet, aut magistratibus reddere.* Iam venit ad Bruti epistolam eiusque recitationem, ut nihil esse possit evidentius, quam illud, non a Bruto Antonium proconsulis nomine honoratum esse, sed potius Antonium in suae epistolae praescriptione sibi huius honoris titulum arrogasse; quod etiam confirmatur sequentibus verbis, quibus narratur a Sextio illud proconsulis nomen ab Antonio

usurpatum irrisum esse. *Postridie autem quum sermo increbruisset Pilusque oculos vehementius hominum offendisset, natum omnino est principium a me. De procos. Antonio multa; Sextius consul non defuit. Post mecum: quanto suum filium, quanto meum in periculo futurum duceret, si contra proconsulem arma tulissent.* Quae quum ita sint, etsi haec septima secundi epp. ad Brutum libri epistola non istis argumentis quibus Tunstallus usus est νοθείας convinci potest, tota tamen eius compositio prorsus a Ciceronis elegantia abhorret, ut eam ceteris falso sub Ciceronis nomine venditis annumerare nulli dubitemus.

M. TVLLII CICERONIS

QVAE VVLGO FERVNTVR

EPISTOLARVM

AD M. BRVTVM

ET

M. BRVTI AD CICERONEM

LIBER PRIMVS.

I.

De L. Clodii trib. pl. singulari et cognito in se Brutumque amore et fide accurate scribit.

CICERO BRVTO

S. D.

L. Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. Quod quum mihi ita persuasum sit, non dubito (bene enim me nosti) quin illum quoque iudices a me amari. Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis, a quibus provocere. Is mihi visus est suspicari, nec sine magno quidem dolore, aliquid a suis, vel per suos potius iniquos ad te esse delatum, quo tuus animus a se esset alienior. Non soleo, mi Brute (quod tibi notum esse arbitror) temere affirmare de altero. Est enim periculosum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque

Iniquos) Sic Ern. e MSS. et edd. pr. Vulgo *inimicos*.

naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum. Multa eius indicia, sed ad scribendum non necessaria. Volo enim hoc testimonium tibi videri potius, quam epistolam. Auctus Antonii beneficio est. Eius ipsius beneficii magna pars a te est. Itaque eum salvis nobis vellet salvum. In eum autem locum rem adductam intelligit (est enim, ut scis, minime stultus) ut utrique salvi esse non possint. [1] Itaque nos mavult. De te vero amicissime et loquitur et sentit. Quare si quis secus ad te de eo scripsit, aut si coram loquutus est, peto a te etiam atque etiam, mihi ut potius credas, qui et facilius iudicare possum, quam ille nescio quis, et te plus diligo. Clodium tibi amicissimum existima, civemque talem, qualis et prudentissimus, et fortuna optima esse debet.

II.

Respondet epistolae de cohortibus quinque a Dolabella in Cherronesum missis, eiusque dementiam miratur, et Bruti consilium de eo persequendo laudat. In seditionis auctoribus dimittendis clementiam Bruti reprehendit, et suas in Antonium invectivas defendit.

CICERO BRVTO S.

Scripta et obsignata iam epistola, literae mihi redditae sunt a te, plenae rerum novarum, maximeque mirabilium. [2] Dolabellam quinque cohortes misisse in Cherronesum? Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Asia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? Quinque autem cohortibus quid se nam facturum arbitratus est, quum tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? quas quidem

(1) *Non possint*) Ern. malebat *possemus.*

(2) *Mirabilium*) Sic Ern. ex ed. Rom. Vulgo *mirabile*. Alii *mirabilia*.

cohortes spero iam tuas esse, quoniam latro ille tam fuit demens. Tuum consilium vehementer laudo, quod non prius exercitum Apollonia Dyrrhachioque movisti, quam de Antonii fuga audisti, Bruti eruptione, populi romani victoria. Itaque, quod scribis, postea statuisse te ducere exercitum in Cherronesum, nec pati, sceleratissimo hosti ludibrio esse imperium populi romani, facis ex tua dignitate, et e republica. Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta, de Antoniis (in bonam partem accipies) magis mihi probatur militum severitas, quam tua. Te benivolentiam exercitus equitumque expertum, vehementer gaudeo. De Dolabella, ut scribis, si quid habes novi, facies me certiorem; in quo valde delector, me ante providisse, ut tuum iudicium liberum esset cum Dolabella belli gerendi; et id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempublicam; ut nunc iudico, ad dignitatem tuam. Quod scribis, me maximo otio egisse, ut insectarer Antonios, idque laudas; credo ita videri tibi: sed illam distinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, *acrius prohibenda bella civilia esse, quam in superatos iracundiam exercendam*. Vehementer a te, Brute, dissentio; nec clementiae tuae concedo: sed salutaris severitas vincit inanem speciem clementiae. Quod si clementes esse volumus, nunquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: *mihi quidem aetas acta ferme est:*

De Antoniis) Sic edd. pr. Deinde editum *Catoniis*, quod est in MSS. Pariss. Manutio placebat *C. Antonio* qui seditionis auctor fuisset, cui assensus est Ernestius.

Militum severitas, quam tua) *Militum severitas*, qui Antonium voluere occidi, *quam tua* qui dimisisti. Vid. Dio Cassius lib. XLVII: sed videtur excidisse atque addendum esse *lenitas*. ERN.

Me maximo otio) *Otio* sensum non habet. Manutius corrigebat *animo*; alii *odio*. Illud Ernestio melius visum.

tua istuc refert maxime. Opprimemini (mihi crede) Brute, nisi provideritis. Neque enim populum semper eundem habebitis, neque senatum, neque senati ducem. Haec ex oraculo Apollinis Pithii edita tibi puta. Nihil potest esse verius. XIV Kalend. Maias.

III.

Octavianum laudat, et laetitiam Romae e victoria consulum et D. Bruti ortam commemorat. Liberalitatem eius in seditionis auctoribus reprehendi Romae, et omnes Antonianos hostes iudicatos esse scribit.

M. T. CICERO

M. B R V T O S.

Nostrae res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo scio, quae gesta sunt; quales tibi saepe scripsi consules, tales exstiterunt. Caesaris vero pueri mirifica indoles virtutis. Vtinam tam facile eum florentem et honoribus et gratia regere ac tenere possimus, quam facile adhuc tenuimus! Est omnino illud difficilius: sed tamen non diffidimus. Persuasum est enim adolescenti, et maxime per me, eius opera nos esse salvos. Et certe, nisi is Antonium ab urbe avertisset, periissent omnia. Triduo vero, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculsa civitas tota ad te se cum coniugibus et liberis effundebat. Eadem, recreata a. d. XII Kalend. Maias, te huc venire, quam se ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida veraque gloria. Nam tantae multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus, ea quum usque in Capitolium deductus,

Ea quum — deductus) Ern. coni.: *Ab ea quum — deductus essem.*

maximo clamore atque plausu in rostris collocatus sum. Nihil est in me inane: neque enim debet: sed tamen omnium ordinum consensus, gratiarum actio, gratulatioque, me commovet; propterea quod popularem esse in populi salute, praeclarum est. Sed haec te malo ab aliis. Me velim te tuis rebus consiliisque facias diligentissime certiorem; illudque consideres, ne tua liberalitas dissolutior videatur. Sic sentit senatus, sic populus romanus, nullos unquam hostes digniores omni supplicio fuisse, quam eos cives, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt: quos quidem ego omnibus sententiis ulciscor et persequor, omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re sentias, tui iudicii est. Ego sic sentio, trium fratrum unam et eandem esse causam. Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. Hirtius quidem in ipsa victoria occidit, quum paucis diebus magno proelio ante vicisset. Nam Pansa fugerat, vulneribus acceptis, quae ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, et Caesar. Hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonii sectam sequuti sunt. Itaque id senatusconsultum plerique interpretantur etiam ad tuos, sive captivos, sive dediticios, pertinere. Equidem nihil disserui durius, quum nominatim de C. Antonio decernerem, quod ita statueram, a te cognoscere causam eius senatum oportere. x Kalend. Maias.

IV.

Respondet superiori epistolae, et reprehensionem nimiae in C. Antonium clementiae diluit. Monet, ne nimiis honoribus Octaviano tribuendis malum exemplum inducatur, quo regnandi cupidi abutantur, atque illis ita regnandi occasio detur, quod se vehementer timere ostendit.

BRVTVS CICERONI S.

Quanta sim laetitia affectus, cognitis rebus Bruti nostri, et consulum, facilius est tibi existimare, quam mihi scribere. Quum alia laudo, et gaudeo accidisse, tum quod Bruti eruptio non solum ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad victoriam adiumento. Quod scribis, trium Antoniorum unam atque eandem causam esse, quid ego sentiam, mei iudicii esse; statuo nihil, nisi hoc: senatus aut populi romani iudicium esse de iis civibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines, cives appelles. Immo iustissime. Quod enim nondum senatus censuit, nec populus romanus iussit, id arroganter non praeiudico, neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coëgit, neque crudeliter quidquam eripui, neque dissolute quidquam remisi, habuique in mea potestate, quoad bellum fuit. Multo quidem honestius iudico, magisque quod concedere possit respublica, miserorum fortunam non insectari, quam infinite tribuere potentibus, quae cupiditatem et arrogantiam incendere possint. Qua in re, Cicero, vir optime ac fortissime, mihique merito et meo nomine et reipublicae carissime, nimis credere videris spei tuae; statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere; quasi non liceat traduci ad mala consilia

corruptum largitionibus animum. Quae tua est humanitas, aequo animo te moneri patieris, praesertim de communi salute; facies tamen, quod tibi visum fuerit; etiam ego, quum me docueris. Nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius. Nihil iam neque opinantibus aut patientibus nobis adversi evenire potest, in quo non quum omnium culpa, tum praecipue tua futura sit: cuius tantam auctoritatem senatus ac populus romanus non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter[1] tueri debes. Prudentia porro, quae tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus. Alia omnia sic abunde adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuae virtutes. Vnum hoc, grato animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat. Nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod male cogitantibus exemplo aut praesidio sit. Itaque timeo de consulatu, ne Caesar tuus altius se adscendisse putet decretis tuis, quam inde, si consul factus sit, descensurum. Quod si Antonius, ab alio relictum regni instrumentum, occasionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, si quis, auctore, non tyranno interfecto, sed ipso senatu, putet se imperia quaelibet concupiscere posse? Quare tum et felicitatem et providentiam laudabo tuam, quum exploratum habere coepero, Caesarem honoribus, quos acceperit, extraordinariis fore contentum. Alienae igitur, inquies, culpae me reum

(1) Excidit fortasse *agendo*. Etiam infra post *liberalitatem* Schützius excidisse censet *populus* vel *respublica*. Tyr.

subiicies? Prorsus alienae, si provideri potuit, ne exsisteret. Quod utinam inspectare possis timorem de illo meum! His literis scriptis, te consulem factum audivimus. Tum vero incipiam proponere mihi rempublicam iustam, et iam suis nitentem viribus, si istuc videro. Filius valet, et in Macedoniam cum equitatu praemissus est. Idibus Maiis, ex castris.

V.

Scribit a Senatu permissam esse arbitrio Bruti rem de Dolabella persequendo, de eaque suum consilium ostendit: Filium suum se velle in collegium Pontificum minorum absentem cooptari, idque per leges Domitiam et Iuliam fieri posse demonstrat; de quo sententiam Bruti scire cupit.

CICERO BRVTO S.

A. d. V kalendas Maias, quum de iis, qui hostes iudicati sunt, bello persequendis, sententiae dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, et ut Cassius persequeretur Dolabellam. Cui quum essem assensus, decrevi hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile, eque republica esse, persequerere bello Dolabellam: si minus id commodo reipublicae facere posses, sive non existimares e republica esse, ut in iisdem locis exercitum contineres. Nihil honorificentius potuit facere senatus, quam ut tuum esset iudicium, quid maxime conducere reipublicae tibi videretur. Equidem sic sentio: si manum habet, si castra, si ubi consistat uspiam Dolabella; ad fidem, et ad dignitatem tuam pertinere, eum persequi. De Cassii nostri copiis nihil sciebamus; neque enim ab ipso ullae literae, neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus. Quantopere autem intersit, opprimi Dolabellam, pro-

Subiicies?) Sic Ern. e MSS. Periss. Vulgo *facies*.

fecto intelligis; quum ut sceleris poenas persolvat, tum ne sit, quo se latronum duces ex Mutinensi fuga conferant. Atque hoc mihi iam ante placuisse, potes ex superioribus meis literis recordari: quamquam tum et fugae portus erat in tuis castris, et subsidium salutis in tuo exercitu; quo magis nunc liberati (ut spero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati esse debemus. Sed haec cogitabis diligentius, statues sapienter: facies nos, quid constitueris, et quid agas (si tibi videbitur) certiores. Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino, absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi; nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quo minus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Iulia, quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis, QVI PETIT, CVIVSVE RATIO HABEBITVR; [1] aperte indicat, posse rationem haberi etiam non praesentis. Hac de re scripsi ad eum, ut tuo iudicio utetur, sicut in rebus omnibus. Tibi autem statuendum est de Domitio et de Catone nostro. Sed quamvis liceat absentis rationem haberi, tamen omnia sunt praesentibus faciliora. Quod si statueris in Asiam tibi eundum, nulla erit ad comitia nostros arcessendi facultas. Omnino, Pansa vivo, celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam sibi subrogasset: deinde ante praetoria, sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt. [2] Magna sane perturbatio. Tu tota de re quid sentias, velim me facias certiorem. III Nonas Maias. Vale.

(1) Marklandus sic censebat legendum: *Istud etiam in lege Iulia, quae est de Sac. prox. his verbis* QVI — HABEBITVR, *ap. indicat* etc. T.

(2) Vt scilicet interrex creari et per eum comitia consularia et pontificum haberi possint. Ern.

VI.

Respondet epistolae superiori: Glaucona medicum Pansae, ut e custodia eripiat, rogat; Flavium, qui cum Dyrrhachinis litem habebat, commendat, et de Dolabella fugato caesoque certiorem facit.

BRVTVS CICERONI S.

Noli exspectare, dum tibi gratias agam. Iampridem hoc ex nostra necessitudine, quae ad summam benivolentiam pervenit, sublatum esse debet. Filius tuus a me abest. In Macedonia congrediemur. Iussus est enim Ambracia ducere equites per Thessaliam, et scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Quum eum videro, quoniam nobis permittis, communiter constituemus de reditu eius ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glaucona, medicum Pansae, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus, eum venisse in suspicionem Torquato de morte Pansae, custodirique, ut parricidam. Nihil minus credendum est. Quis enim maiorem calamitatem morte Pansae accepit? Praeterea est modestus homo, et frugi: quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, et quidem valde rogo (nam Achilleus noster non minus, quam aequum est, laborat), eripias eum ex custodia, conservesque. Hoc ego ad meum officium privatarum rerum aeque, atque ullam aliam rem, pertinere arbitror. Quum has ad te scriberem literas, ab Satrio, legato C. Trebonii, reddita est mihi epistola, a Tillio et Deiotaro, Dolabellam caesum fugatumque esse. Graecam epistolam tibi misi Cycherei cuiusdam, ad Satrium missam. Flavius noster de controversia, quam habet cum Dyrrhachinis hereditariam, sumpsit te iudicem. Rogo te, Cicero,

et Flavius rogat, rem conficias. Quin ei, qui Flavium fecit heredem, pecuniam debuerit civitas, non est dubium: neque Dyrrhachini infitiantur; sed sibi donatum aes alienum a Caesare dicunt. Noli pati, a necessariis tuis necessario meo iniuriam fieri. XVII kalend. Iun. ex castris, ad imam Candaviam.

VII.

L. Bibulum ut in Pansae locum nominet, rogat.

BRVTVS CICERONI S.

L. Bibulus quam carus mihi esse debeat, nemo melius iudicare potest, quam tu: cuius tantae pro republica contentiones sollicitudinesque fuerunt. Itaque vel ipsius virtus, vel nostra necessitudo debet conciliare te illi: quo minus multa mihi scribenda esse arbitror. Voluntas enim te movere debet nostra, si modo iusta est, aut pro officio necessario suscipitur. In Pansae locum petere constituit. Eam nominationem a te petimus. Neque coniunctiori dare beneficium, quam nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes, quam Bibulum. De Domitio et Apuleio quid attinet me scribere, quum ipsi per se tibi commendatissimi sint? Apuleium vero tu tua auctoritate sustinere debes. Sed Apuleius in sua epistola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex sinu tuo, tantum iam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui vestris paucorum respondeat laudibus.

Sed Apuleius) Pal. 2, 3, *Sed Domitius*.

VIII.

C. Nasennium municipem Suessanum commendat.

CICERO BRVTO S.

Multos tibi commendavi, et commendem necesse est. Optimus enim quisque vir et civis maxime sequitur iudicium tuum; tibique omnes fortes viri navare operam et studium volunt: nec quisquam est, quin ita existimet, meam apud te et gratiam et auctoritatem valere plurimum. Sed C. Nasennium, municipem Suessanum, tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit: postea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore quum reipublicae partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, vellet per te aliquid auctoritatis assumere. Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, et, si quid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

IX.

Brutum, in luctu consolatur et ad fortitudinem cohortatur.

CICERO BRVTO S.

Fungerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per literas consolarer, nisi scirem, his remediis, quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere: ac velim facilius, quam tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse. Me quidem quum rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua, a nimio moerore deterruit. Quum enim mollius tibi ferre viderer, quam deceret virum, prae-

sertim eum, qui alios consolari soleret; accusasti me per literas gravioribus verbis, quam tua consuetudo ferebat. Itaque iudicium tuum magni aestimans, idque veritus, me ipse collegi; et ea, quae didiceram, legeram, acceperam, graviora duxi, tua auctoritate addita. Ac mihi tum, Brute, officio solum erat et naturae; tibi nunc populo et scenae, ut dicitur, serviendum est. Nam quum in te non solum exercitus tui, sed omnium civium, ac paene gentium coniecti oculi sint, minime decet, propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit), et est dolendum in tam gravi vulnere (ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere); sed, ut modice, ceteris utile est, tibi necesse est. Scriberem plura, nisi ad te haec ipsa nimis multa essent. Nos te tuumque exercitum exspectamus: sine quo, ut reliqua ex sententia succedant, vix satis liberi videmur fore. De tota re publica plura scribam, et fortasse iam certiora his literis, quas Veteri nostro cogitabam dare.

X.

Quomodo bellum ad Mutinam geratur, et quid de Octaviano vereatur, totumque reip. statum perscribit; hortaturque, ut ex senatus auctoritate celeriter cum exercitu in Italiam veniat, Cassiumque, ut idem faciat, hortetur.

CICERO BRVTO S.

Nullas adhuc a te literas habebamus: ne famam quidem, quae declararet, te, cognita senatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magnopere desiderabat respublica. Ingra-

vescit enim in dies intestinum malum, nec externis hostibus magis quam domesticis laboramus: qui erant omnino ab initio belli, sed facilius frangebantur. Erectior senatus erat, non sententiis solum nostris, sed etiam cohortationibus excitatus. Erat in senatu satis vehemens et acer Pansa, quum in ceteros huius generis, tum maxime in socerum: cui consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Caesare reprehenderes; nonnulla in Hirtio. Huius belli fortuna, ut in secundis, fluxa; ut in adversis, bona. Erat victrix respublica, caesis Antonii copiis, ipso expulso a Bruto. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret e manibus; perterritos, inermes, saucios non sunt nostri duces persequuti; datumque Lepido tempus est, in quo levitatem eius, saepe perspectam, maioribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, sed rudes, Bruti et Planci. Sunt fidelissima et maxima auxilia Gallorum. Sed Caesarem meis consiliis adhuc gubernatum, praeclara ipsum indole, admirabilique constantia, improbissimis literis quidam, fallacibusque interpretibus ac nuntiis impulerunt in spem certissimam consulatus. Quod simul atque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare praesentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari videbantur; nec in senatu sceleratissimorum consiliorum fontes aperire dubitavi; nec vero ulla in re memini, aut senatum meliorem, aut magistratus. Nunquam enim in honore extraordinario potentis hominis, vel potentissimi potius (quandoquidem potentia iam in vi posita est, et armis) accidit, ut nemo tribunus plebis, nemo alio magistratu, nemo

Excitatus. Erat) MSS. nonnulli addunt *praeterea*.

privatus, auctor exsisteret. Sed in hac constantia atque virtute erat tamen sollicita civitas. Illudimur enim, Brute, quum militum deliciis, tum imperatoris insolentia. Tantum quisque se in republica posse postulat, quantum habet virium; non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet; non iudicium, non existimatio civium, non posteritatis verecundia. Haec ego multo ante prospiciens, fugiebam ex Italia, tum, quum me vestrorum edictorum fama revocavit. Incitavisti vero tu me, Brute, Veliae. Quamquam enim dolebam, in eam me urbem ire, quam tu fugeres, qui eam liberavisses, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo simili, casu tristiore: perrexi tamen, Romamque perveni, nulloque praesidio *quatefeci* Antonium; contraque eius arma nefanda, praesidia, quae oblata sunt, Caesaris consilio et auctoritate firmavi. Qui si steterit idem, mihique paruerit, satis videmur habituri praesidii. Sin autem impiorum consilia plus valuerint, quam nostra, aut imbecillitas aetatis non potuerit gravitatem rerum sustinere, spes omnis est in te. Quam ob rem advola, obsecro, atque eam rempublicam, quam virtute atque animi magnitudine magis, quam eventis rerum liberasti, exitu libera. Omnis omnium concursus ad te futurus est. Hortare idem per literas Cassium. Spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum principiis est. Firmos omnino et duces habemus ab occidente, et exercitus. Hoc adolescentis praesidium equidem adhuc firmum esse confido. Sed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimescam. Habes totum reipublicae statum, qui quidem tum erat, quum has literas dabam. Velim dein-

Castrorum principiis) *Praesidiis* placebat Manutio idque est in ed. Rom.

ceps meliora sint: sin aliter fuerit (quod dii omen avertant!) reipublicae vicem dolebo, quae immortalis esse debebat. Mihi quidem quantulum reliqui est? [1]

XI.

Veteris Antistii animum in remp. laudat; et ipsius petitionem praeturae ut adiuvet, ceterisque in rebus eum complectatur, rogat.

BRVTVS CICERONI S.

Veteris Antistii talis animus est in rempublicam, ut non dubitem, quin et in Caesare et Antonio se praestaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis, si occasioni potuisset occurrere. Nam, qui in Achaia congressus, P. Dolabella milites atque equites habente, quodvis adire periculum, ex insidiis paratissimi ad omnia latronis, maluerit, quam videri aut coactus esse pecuniam dare, aut libenter dedisse homini nequissimo atque improbissimo: is nobis ultro et pollicitus est, et dedit HS xx ex sua pecunia: et, quod multo carius est, se ipsum obtulit et coniunxit. Huic persuadere coepimus, ut imperator in castris remaneret, remque publicam defenderet. Statuit eundum sibi, quoniam exercitum dimisisset. Statim vero rediturum ad nos confirmavit, legatione suscepta, nisi praetorum comitia habituri essent consules. Nam illi ita sentienti de republica magnopere auctor fui, ne differret tempus petitionis suae. Cuius factum omnibus gratum esse debet, qui modo iudicant, hunc

(1) Lambinus malebat *mihi quidem vitae quantulum reliquae.*

In rempublicam) *In republica* malebat I. Gronov.

Statuit eundum sibi) Sic legi voluerunt Manut. Lamb. idque Ern. ex ed. Rom. restituit. Vulgo *statuit id sibi.*

exercitum esse reipublicae. Tibi tanto gratius, quanto et maiore animo gloriaque libertatem nostram defendis, et dignitatem; si contigerit nostris consiliis exitus, quem optamus, perfuncturus es. Ego etiam, mi Cicero, proprie familiariterque te rogo, ut Veterem ames, velisque esse quam amplissimum: qui etsi nulla re deterreri a proposito potest, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur ac tueatur iudicium suum. Id mihi gratissimum erit.

XII.

Excusat se Bruto, quod matris eius et sororis precibus, de liberis M. Lepidi, quem hostem Senatus iudicarat, excipiendis satisfacere non posset. De Antistio liberaliter promittit, et ipsum ut in Italiam veniat, hortatur.

CICERO BRVTO S.

Etsi daturus eram Messallae Corvino continuo literas, tamen Veterem nostrum ad te sine literis meis venire nolui. Maximo in discrimine respublica, Brute, versatur, victoresque rursus decertare cogimur. Id accidit M. Lepidi scelere et amentia. Quo tempore quum multa propter eam curam, quam pro republica suscepi, graviter ferrem, tum nihil tuli gravius, quam me non posse matris tuae precibus cedere, non sororis. Nam tibi, quod mihi plurimi est, facile me satisfacturum arbitrabar. Nullo enim modo poterat causa Lepidi distingui ab Antonio: omniumque indicio etiam durior erat, quod, quum honoribus amplissimis a senatu esset Lepidus ornatus, tum etiam

Perfuncturus es) *Perfunctus es* quod Gruterus in cod. Pal. repecit, placuit Ernestio hoc sensu: *habes quod vis et optasti.*

Ab Antonio) *Ab Antonii* Lambin.

paucis ante diebus praeclaras literas ad senatum misisset: repente non solum recepit reliquias hostium, sed bellum acerrimum terra marique gerit: cuius exitus qui futurus sit, incertum est. Itaque quum rogamur, ut misericordiam liberis eius impertiamus, nihil affertur, quo minus summa supplicia, si (quod Iupiter omen avertat!) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec vero me fugit, quam sit acerbum, parentium scelera filiorum poenis lui. Sed hoc praeclare legibus comparatum est, ut caritas liberorum amiciores parentes reipublicae redderet. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hostem iudicat. Atque ille si, armis positis, de vi damnatus esset; quo in iudicio certe defensionem non haberet; eandem calamitatem subirent liberi, bonis publicatis. Quamquam, quod tua mater et soror deprecatur pro pueris, id ipsum et multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, et reliqui hostes denuntiant. Itaque maximam spem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. Quum ad reipublicae summam, tum ad gloriam et dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam, ut ante scripsi, venire quamprimum. Eget enim vehementer quum viribus tuis, tum etiam consilio respublica. Veterem, pro eius erga te benivolentia singularique officio, libenter ex tuis literis complexus sum: eumque quum tui, tum reipublicae studiosissimum amantissimumque cognovi. Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo. Tecum enim illum, et te in Italiam celeriter esse venturum confido.

Te in Italiam) Nonnulli ediderunt: *te, ut ante scripsi, in Italiam.*

XIII.

Liberos Lepidi commendat, sibique ut hoc detur rogat, ne ex lege cum iis agatur.

BRVTVS CICERONI S.

De M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: qui si eripuerit se nobis (quod velim temere atque iniuriose de illo suspicati sint homines), oro atque obsecro te, Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me benivolentiam obtestans, sororis meae liberos obliviscaris esse Lepidi filios, meque his in patris locum successisse existimes. Hoc si a te impetro, nihil profecto dubitabis pro his suscipere. Aliter alii cum suis vivunt: nihil ego possum in sororis meae liberis facere, quo possit expleri voluntas mea aut officium. Quid vero aut mihi tribuere boni possunt, si modo digni sumus, quibus aliquid tribuatur, aut ego matri ac sorori puerisque illis praestaturus sum, si nihil valuerit apud te reliquumque senatum contra patrem Lepidum Brutus avunculus? Scribere multa ad te neque possum prae sollicitudine ac stomacho, neque debeo. Nam si in tanta re, tamque necessaria, verbis mihi opus est ad te excitandum et confirmandum, nulla spes est, facturum te quod volo, et quod oportet. Quare noli exspectare longas preces. Intuere me ipsum, qui hoc vel a Cicerone, coniunctissimo homine, privatim, vel a consulari, tali viro, remota necessitudine privata, impetrare debeo. Quid sis facturus, velim mihi quamprimum rescribas. Kalend. Quint. ex castris.

Nihil ego possum) Lambin. *Nihil ego non possum.*
Intuere me ipsum, qui hoc) Vulgo addebatur *a te*. Id in codd. Ball. et Pariss. omissum, Ernestius delevit.

XIV.

Paucitatem et brevitatem epistolarum Bruti accusat: rogat, ut Ciceronem secum retineat; et in Italiam quam primum ut veniat, hortatur.

CICERO BRVTO S.

Breves tuae literae: breves dico? immo nullae. Tribusne versiculis his temporibus Brutus ad me? Nihil scripsissem potius. Et requiris meas. Quis unquam ad te tuorum sine meis venit? Quae autem epistola non pondus habuit? Quae si ad te perlatae non sunt, ne domesticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni scribis te longiorem daturum epistolam. Recte id quidem: sed haec quoque debuit esse plenior. Ego autem, quum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses, statim extrusi tabellarios, literasque ad Ciceronem; ut, etiamsi in Italiam venisset, ad te rediret. Nihil enim mihi iucundius, nihil illi honestius. Quamquam aliquoties ei scripseram, sacerdotum comitia mea summa contentione in alterum annum esse reiecta: quod ego quum Ciceronis causa elaboravi, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam scripseram. Sed videlicet quum illam pusillam epistolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni studio a te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumque deducas: quod ipsum, si rempublicam, cui susceptus es, respicis, tibi iam iamque faciendum est. Renatum enim bellum est; idque non parvo scelere Lepidi. Exercitus autem Caesaris, qui erat optimus, non modo nihil prodest, sed etiam cogit exercitum

Nihil scripsissem) Faërn. coni. *nihil scripsisse.*

Deducas) Sic Iunt. Ern. Alii *adducas.* MSS. Balliol. *ducas.*

tuum flagitari: qui si Italiam attigerit, erit civis nemo (quem quidem civem appellari fas sit), qui se non in tua castra conferat: etsi Brutum praeclare cum Planco coniunctum habemus. Sed non ignoras, quam sint incerti animi hominum, et infecti partibus, et exitus proeliorum. Quin etiam, si, ut spero, vicerimus, tamen magnam gubernationem tui consilii, tuaeque auctoritatis res desiderabit. Subveni igitur, per deos, idque quamprimum, tibique persuade, non te Idibus Martiis, quibus servitutem a tuis civibus depulisti, plus profuisse patriae, quam, si mature veneris, profuturum. II Idus Quint.

XV.

Messallam mirifice laudat, et reprehensionem nimiae in tribuendis honoribus facilitatis, in poenis autem decernendis severitatis accurate diluit. Vrget praeterea reditum in Italiam, et de Lepidi liberis studium suum pollicetur.

CICERO BRVTO S.

Messallam habes. Quibus igitur literis tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quae gerantur, quaeque sint in republica, quam tibi is exponet, qui et optime omnia novit, et elegantissime expedire et deferre ad te potest? Cave enim existimes, Brute (quamquam non est necesse, ea me ad te, quae tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio praeterire) cave putes, probitate, constantia, cura, studio reipublicae quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad

Magnam gubernationem) Grutero videbatur glossema esse, quod verum vocabulum extruserit.

Depulisti) Sic Ern. e coniectura Vulg. *repulisti*.

laudandum habere videatur: quamquam in hac ipsa, sapientia plus apparet. Ita gravi iudicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. Non enim id propositum est huic epistolae, Messallam ut laudem, praesertim ad Brutum, cui et virtus illius non minus, quam mihi, nota est, et haec ipsa studia, quae laudo, notiora. Quem quum a me dimittens graviter ferrem, hoc levabar uno, quod a te, tanquam ad alterum me, proficiscens, et officio fungebatur, et laudem maximam sequebatur. Sed haec hactenus. Venio nunc longo sane intervallo ad quandam epistolam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, et tanquam prodigus. Tu hoc: alius fortasse, quod in animadversione poenaque durior; nisi fortasse utrumque tu. Quod si ita est, utriusque rei meum iudicium tibi cupio esse notissimum: neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rempublicam duabus rebus contineri dixit, praemio et poena. Est scilicet utriusque rei modus, sicut reliquarum, et quaedam in utroque genere mediocritas: sed non tanta de re propositum est hoc loco disputare. Quid ego autem sequutus hoc bello sim in sententiis dicendis, aperire non alienum puto. Post interitum Caesaris, et vestras memorabiles Idus Martias, Brute, quid ego praetermissum a vobis, quantamque impendere reipublicae tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per vos,

Evigilat) Gulielm. coni. *vigilat*. MS. (Var. lect. XXII, 7) Vulgo olim *et sapiens unus*.
Et sapientissimus) Ita Victor, e cod.

magna populi romani macula deleta; vobis vero parta divina gloria; sed instrumentum regni delatum ad Lepidum et Antonium: quorum alter inconstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. Ilis ardentibus perturbandae reipublicae cupiditate, quod opponi posset praesidium, non habebamus. Erexerat enim se civitas, in retinenda libertate consentiens. Nos tum nimis acres; vos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis; Italiae sua vobis studia profitenti remisistis. Itaque quum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea, nec Cassium tuto esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio: mihi quoque ipsi esse excedendum putavi. Tetrum enim spectaculum, oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate praecisa. Sed animus idem, qui semper infixus est in patriae caritate, discessum ab eius periculis ferre non potuit. Itaquc in medio Achaico cursu, quum Etesiarum diebus Auster me in Italiam, quasi dissuasor mei consilii, retulisset, te vidi Veliae, doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas, quoniam Stoici nostri negant, fugere sapientis. Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiae: quem quum in me incitavissem, consilia inire coepi Brutina plane (vestri enim haec sunt propria sanguinis) reipublicae liberandae. Longa sunt, quae restant, praetereunda; sunt enim de me; tantum dico, Caesarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si verum fateri volumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. Huic habiti a me honores nulli quidem, Brute, nisi debiti; nulli, nisi necessarii. Vt enim primum libertatem revocare coepimus, quum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset, ut iam id scire possemus, atque omne praesidium esset in puero, qui a cervi-

cibus nostris avertisset Antonium: quis honos ei non fuit decernendus? Quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus? Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primo Servius, post maiorem etiam Servilius. Nihil tum nimium videbatur. Sed nescio quomodo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur. Ego enim, D. Bruto liberato, quum laetissimus ille civitati dies illuxisset, idemque casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. In eoque sum maiorum exemplum sequutus, qui hunc honorem mulieri Larentiae tribuerunt, cui vos pontifices ad aram in Velabro facere soletis: quod ego quum dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimae victoriae sempiternam volebam. Atque illo die cognovi, paulo plures in senatu malivolos esse, quam gratos. Eos per ipsos dies effudi (si ita vis) honores in mortuos, Hirtium et Pansam, Aquilam etiam. Quod quis reprehendit, nisi qui, deposito metu, praeteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficii memoriam gratam ratio illa, quae etiam posteris est salutaris. Exstare enim volebam in crudelissimos hostes monumenta odii publici sempiterna. Suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in republica rudibus, non probabatur, quod, ut ovanti introire Caesari

Reperiuntur) Sic edd. pr. et MSS. plerique. Vulgo *reperimur*.

Facere soletis) Recte Ern. improbat voc. *sacrificium* in edd. pr. additum. Eidem quoque suspectum erat *ad aram*.

Probabatur) Hoc in MSS. regiis reperit Lallem. quicum illud Ern. recepit. Vulgo *probatur*.

liceret, decreverim. Ego autem (sed erro fortasse: nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent) nihil mihi videor hoc bello sensisse prudentius. Cur autem ita sit, aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse, quam gratus: hoc ipsum, nimium: quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco. Praeclara illa quidem ingenia, quae gloria invitantur: sed senatus etiam sapiens, qui, qua quemque re putat, modo honesta, ad rempublicam iuvandam posse adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui quum statuam in rostris statuissemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore studuimus a furore revocare. Vicit amentia levissimi hominis nostram prudentiam. Nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in evertenda boni. Satis multa de honoribus. Nunc de poena pauca sunt dicenda. Intellexi enim ex tuis saepe literis, te in iis, quos bello devicisti, clementiam tuam velle laudari. Existimo equidem nihil a te, nisi sapienter. Sed sceleris poenam praetermittere (id enim est, quod vocatur ignoscere) etiam si in ceteris rebus tolerabile est, in hoc bello perniciosum puto. Nullum enim bellum civile fuit in nostra republica omnium, quae memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars vicisset, tamen aliqua forma esset futura reipublicae. Hoc bello victores quam rempublicam simus habituri, non facile affirmaverim; victis certe nulla unquam erit. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quam ut et in praesens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem; et in posterum, documentum statuerem, ne quis talem

Nec tamen is sum) Male Lambinus *nec enim is sum*. — *Documentum*) Suspectum erat Grutero. Id tamen defendit I. F. Gronov. obss. IV, 11.

amentiam vellet imitari. Quamquam haec quidem sententia non magis mea fuit, quam omnium. In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit. Sed id et antiquum est, et omnium civitatum: siquidem etiam Themistocli liberi eguerunt. Et si indicio damnatos eadem poena sequitur cives, qui potuimus leniores esse in hostes? Quid autem queri potest quisquam de me, qui, si vicisset, acerbiorem se in me futurum fuisse confiteatur necesse est? Habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere dumtaxat honoris et poenae. Nam de ceteris rebus quid senserim, quidque censuerim, audisse te arbitror. Sed haec quidem non ita necessaria. Illud valde necessarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quam primum: summa est exspectatio tui. Quod si Italiam attigeris, ad te concursus fiet omnium. Sive enim vicerimus (qui quidem pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia, et perire ipse cum suis concupivisset) tua nobis auctoritate opus est ad collocandum aliquem civitatis statum: sive etiam nunc certamen reliquum est, maxima spes est quum in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos; scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate. Sororis tuae filiis quam diligenter consulam, spero te ex matris et ex sororis literis cogniturum. Qua in causa maiorem habeo rationem tuae voluntatis, quae mihi carissima est, quam, ut quibusdam videor, constantiae meae. Sed ego nulla in re malo, quam te amando constans et esse et videri.

Quod si) Sic I. Gronov. e cod. Balliol. et edd. aliquot vett. Vulgo *qui si*.

XVI.

Graviter reprehendit Ciceronis ad Octavium epistolam, qua eum rogarat, ut liberatores patriae salvos vellet.

BRVTVS CICERONI S.

Particulam literarum tuarum, quas misisti Octavio, legi, missam ab Attico mihi. Studium tuum, curaque de salute mea, nulla me nova voluptate affecit. Non solum enim usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris, aut feceris. At dolore, quantum animo maximum capere possum, eadem illa pars epistolae, scriptae ad Octavium de nobis, affecit. Sic enim illi gratias agis de republica, tam suppliciter, ac demisse (quid scribam? pudet conditionis ac fortunae: sed tamen scribendum est) commendas nostram salutem illi; quae morte qua non perniciosior? ut prorsus prae te feras, non sublatam dominationem, sed dominum commutatum esse. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. Vnum ais esse, quod ab eo postuletur et exspectetur: ut eos cives, de quibus viri boni populusque romanus bene existimet, salvos velit. Quid, si nolit? non erimus? Atqui non esse, quam esse per illum, praestat. Ego, medius fidius, non existimo, tam omnes deos aversos esse a salute populi romani, ut Octavius orandus sit pro salute cuiusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Iuvat enim magnifice loqui: et certe decet, adversus ignorantes, quid pro quoque timendum, aut a quoque petendum sit. Hoc tu, Cicero, posse fateris Octavium, et illi amicus es? aut, si me carum habes, vis Romae videri; quum, ut

ibi esse possem, commendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, si, ut nos salvos esse velit et patiatur, rogandum putas? An hoc pro beneficio est habendum, quod se, quam Antonium, esse maluerit, a quo ista petenda essent? Vindici quidem alienae dominationis, non vicario, ecquis supplicat, ut optime meritis de republica liceat esse salvis? Ista vero imbecillitas et desperatio, cuius culpa non magis in te residet, quam in omnibus aliis, et Caesarem in cupiditatem regni impulit, et Antonio post interitum illius persuasit, ut interfecti locum occupare conaretur; et nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares, precibus esse impetrandam salutem talibus viris, misericordiaque unius, vix etiam nunc viri, tutos fore nos, haud ulla alia re. Quod si Romanos nos esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, quam id nos prohiberemus; neque magis irritatus esset Antonius regno Caesaris, quam ob eiusdem mortem deterritus. Tu quidem consularis, et tantorum scelerum vindex (quibus oppressis, vereor, ne in breve tempus dilata sit abs te pernicies), qui potes intueri quae gesseris, simul et ista vel probare, vel ita demisse ac facile pati, ut probantis speciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio privatum odium? Nempe quia postulabat haec, salutem ab se peti; precariam nos incolumitatem habere, a quibus ipse libertatem accepisset; esse arbitrium suum de republica. Quaerenda esse arma putasti, quibus dominari prohiberetur: scilicet, ut illo prohibito, rogaremus alterum, qui se in eius locum reponi pateretur, an ut esset sui iuris ac mancipii respublica? nisi forte non de servitute, sed de conditione serviendi recusatum est a nobis. Atqui non solum bono domino potuimus Antonio tolerare nostram fortunam, sed

etiam beneficiis atque honoribus, ut participes, frui, quantis vellemus. Quid enim negaret iis, quorum patientiam videret maximum suae dominationis praesidium esse? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram et libertatem. Hic ipse puer, quem Caesaris nomen incitare videtur in Caesaris interfectores, quanti aestimet (si sit commercio locus) posse, nobis auctoribus, tantum, quantum profecto poterit, quoniam vivere, et pecunias habere, et dici consulares volumus? Ceterum nequicquam perierit ille: cuius interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo minus servituri eramus? Nulla cura ab aliis adhibeatur: sed mihi prius omnia dii deaeque eripuerint, quam illud iudicium, quo non modo heredi eius, quem occidi, non concesserim, quod in illo non tuli, sed ne patri quidem meo, si reviviscat, ut, patiente me, plus legibus ac senatu possit. An hoc tibi persuasum est, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in ista civitate locus non sit? Qui porro id, quod petis, fieri potest, ut impetres? Rogas enim, velit nos salvos esse. Videmur ergo tibi salutem accepturi, quum vitam acceperimus? quam, si prius dimittimus dignitatem et libertatem, qui possumus accipere? An tu Romae habitare, id putas incolumem esse? Res, non locus oportet praestet istuc mihi. Neque incolumis fui Caesare vivo, nisi postquam illud conscivi facinus: neque usquam exsul esse possum, dum servire, et pati contumelias, peius odero malis omnibus aliis. Nonne hoc est in easdem tenebras recidisse, quum ab eo, qui tyranni nomen ascivit sibi (quum in graecis civitatibus liberi tyrannorum, oppressis illis, eodem supplicio afficiantur), petitur, ut vindi-

Negaret iis) Recte Ern. *negaret* legendum esse censuit, pro vulg. *neget*, quia sequitur *videret*.
Adhibeatur) Codd. Pall. *adhibetur*.

ces atque oppressores dominationis salvi sint? Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quae ne traditam quidem atque inculcatam libertatem recipere possit, plusque timeat in puero nomen sublati regis, quam confidat sibi, quum illum ipsum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute sublatum videat? Me vero posthac ne commendaveris Caesari tuo: ne te quidem ipsum, si me audies. Valde care aestimas tot annos, quot ista aetas recipit, si propter eam causam puero isti supplicaturus es. Deinde quod pulcherrime fecisti, ac facis in Antonio, vide ne convertatur a laude maximi animi ad opinionem formidinis. Nam si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit: non dominum fugisse, sed amiciorem dominum quaesisse videberis. Quem quod laudas ob ea, quae adhuc fecit, plane probo: sunt enim laudanda, si modo contra alienam potentiam, non pro sua suscepit eas actiones. Quum vero iudicas, tantum illi non modo licere, sed etiam a te ipso tribuendum esse, ut rogandus sit, ne nolit esse nos salvos; nimium magnam mercedem statuis. Id enim ipsum illi largiris, quod per illum habere videbatur respublica. Neque hoc tibi in mentem venit, si Octavius ullis dignus sit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat: iis, qui illud malum exciderint, cuius istae reliquiae sunt, nihil, quo expleri possit eorum meritum, si omnia simul congesserit. At vide, quanto diligentius homines metuant, quam meminerint, quia Antonius vivat, atque in armis sit. De Caesare vero, quod fieri potuit ac debuit, transactum est: neque iam revocari in integrum potest. Octavius is est, qui quid de nobis iudicaturus sit, exspectet populus ro-

Valde care aestimas — recipit) Ernestius malebat *valde care aestimas annos quos ista aetas recipit.*

manus? nos hi sumus, de quorum salute unus homo rogandus videatur? Ego vero, ut istuc revertar, is sum, qui non modo non supplicem, sed etiam coërceam postulantes, ut sibi supplicetur. Aut longe a servientibus abero, mihique esse iudicabo Romam, ubicumque liberum esse licebit; ac vestri miserebor, quibus nec aetas, neque honores, neque virtus aliena dulcedinem vivendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus esse videbor, si modo constanter ac perpetuo placebit hoc consilium, ut relatam putem gratiam pietati meae. Quid enim est melius, quam memoria recte factorum, et libertate contentum negligere humana? Sed certe non succumbam succumbentibus; nec vincar ab iis, qui se vinci volunt; experiarque, et tentabo omnia; neque desistam abstrahere a servitio civitatem nostram. Si sequuta fuerit, quae debet, fortuna, gaudebimus omnes; sin minus, ego tamen gaudebo. Quibus enim potius haec vita factis aut cogitationibus traducatur, quam iis, quae pertinuerint ad liberandos cives meos? Te, Cicero, rogo atque hortor, ne defatigere, neu diffidas: semper in praesentibus malis prohibendis, futura quoque, nisi ante sit occursum, explores, ne se insinuent: fortem et liberum animum, quo et consul, et nunc consularis rempublicam vindicasti, sine constantia et aequabilitate nullum esse putaris. Fateor enim, duriorem esse conditionem spectatae virtutis, quam incognitae. Benefacta pro debitis exigimus: quae aliter eveniunt, ut decepti ab his, infesto animo reprehendimus. Itaque resistere Antonio Ciceronem, etsi magna laude dignum est, tamen, quia ille consul, hunc consularem merito praestare videtur, nemo admiratur. Idem

Quae aliter eveniunt) Sic Ern. cum MSS. compluribus et ed. Rom. Vulgo *quae si aliter eveniunt.*

Cicero si flexerit adversus alios iudicium suum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit sibi, sed etiam praeterita evanescere coget. Nihil enim per se amplum est, nisi in quo iudicii ratio exstat. Quia neminem magis decet, quam te, rempublicam amare, libertatisque defensorem esse, vel ingenio, vel rebus gestis, vel studio, atque efflagitatione omnium. Quare non Octavius est rogandus, ut velit nos salvos esse: magis tu te exsuscita, ut eam civitatem, in qua maxima gessisti, liberam atque honestam fore putes, si modo sint populo duces ad resistendum improborum consiliis.

XVII.

De Ciceronis nimio in Octavio ornando studio vehementer conqueritur, eundemque graviter reprehendit, qui, quum Antonii dominationem oppresserit, novam in Octavio stabiliat et confirmet.

BRVTVS ATTICO S.

Scribis mihi, mirari Ciceronem, quod nihil significem unquam de suis actis. Quoniam efflagitas, coactu tuo scribam, quae sentio. Omnia fecisse Ciceronem optimo animo, scio. Quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in rempublicam? Sed quaedam mihi videtur, quid dicam? imperite, vir omnium prudentissimus; an ambitione fecisse; qui valentissimum Antonium suscipere pro republica non dubitarit inimicum? Nescio, quid scribam tibi, nisi unum: pueri et cupiditatem et licentiam potius esse irritatam, quam repressam a Cicerone; tantumque eum tribuere huic indulgentiae, ut se maledictis non abstineat: iis quidem, quae in ipsum dupliciter reci-

dunt, quod et plures occidit uno, seque prius oportet fateatur sicarium, quám obiiciat Cascae, quod obiicit: et imitatur in Casca Bestiam. An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias, similiter atque ille Nonas Decemb. suas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quam Bestia et Clodius reprehendere illius consulatum soliti sunt? Sustinuisse mihi gloriatur bellum Antonii togatus Cicero noster. Quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur, in Antonii locum successio; et si vindex illius mali, auctor exstitit alterius, fundamentum et radices habituri altiores, si patiamur? ut iam ista, quae facit, non dominationem, sed dominum Antonium timentis sint. Ego autem gratiam non habeo, si quis, dum ne irato serviat, rem ipsam non deprecatur: immo triumphus et stipendium decernitur, et omnibus decretis ornatur. Pudeat concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est. Quoniam mihi tacere non licuit, leges quae tibi necesse est molesta esse. Etenim ipse sentio, quanto cum dolore haec ad te perscripserim: nec ignoro, quid sentias in republica, et quam desperatam quoque sanari putes posse. Nec mehercule te, Attice, reprehendo. Aetas enim, mores, liberi, segnem efficiunt: quod quidem etiam ex Flavio nostro perspexi. Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Salvidenum et eum interest? Quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli civilis. Quisquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam eius, qui exercitum victorem habeat, neque temeritatem pueri putet ex-

Non dominationem, sed dominum Antonium) Sic Ern. Vulgo *non dominationem, non, sed dominum Antonium*. Olivetus coniiciebat *non dominationem, non dominum, sed Antonium.*

timescendam esse? An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam, ultroque deferenda putat? O magnam stultitiam timoris, id ipsum, quod verearis, ita cavere, ut, quum vitare fortasse potueris, ultro arcessas et attrahas! Nimium timemus mortem et exsilium et paupertatem. Haec videntur Ciceroni ultima esse in malis: et, dum habeat a quibus impetret quae velit, et a quibus colatur ac laudetur, servitutem, honorificam modo, non aspernatur: si quidquam in extrema ac miserrima contumelia potest honorificum esse. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, verba rebus esse contraria. Quid enim tam alienum ab humanis sensibus est, quam eum patris habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero sit? Atqui eo tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut sit illi Octavius propitius. Ego vero iam iis artibus nihil tribuo, quibus scio Ciceronem instructissimum esse. Quid enim illi prosunt, quae pro libertate patriae, de dignitate, quae de morte, exsilio, paupertate scripsit copiosissime? Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minus tribuerit, quam Cicero alieno tribuat? Desinat igitur gloriando etiam insectari dolores nostros. Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret, quod ille obtinuit? tametsi tuae literae dubia etiam nunc significant. Vivat hercule Cicero, qui potest, supplex et obnoxius, si neque aetatis, neque honorum, neque rerum gestarum pudet. Ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est, cum regno, et imperiis extraordinariis, et dominatione, et potentia, quae supra leges se esse velit: nulla erit tam bona conditio serviendi, qua deterrear, quamvis sit vir bonus, ut

scribis, Antonius: quod ego nunquam existimavi. Sed dominum, ne parentem quidem, maiores nostri voluerunt esse. Te nisi tantum amarem, quantum Ciceroni persuasum est diligi se ab Octavio, haec ad te non scripsissem. Dolet mihi, quod tu nunc stomacharis, amantissimus tum tuorum omnium, tum Ciceronis. Sed persuade tibi, de voluntate propria mea nihil esse remissum, de iudicio largiter. Neque enim impetrari potest, quin, quale quidque videatur ei, talem quisque de illo opinionem habeat. Vellem mihi scripsisses, quae conditiones essent Atticae nostrae. Potuissem aliquid tibi de meo sensu perscribere. Valitudinem Porciae meae tibi curae esse non miror. Denique quod petis, faciam libenter. Nam etiam sorores me rogant. Et hominem noro, et quid sibi voluerit.

XVIII.

De exercitus in Italiam adducendi necessitate: de sollicitudine sua in retinendo Octavio, pro quo spoponderat pop. rom. de rei pecuniariae difficultate et de Lepidi filiis.

CICERO BRVTO S.

Quum saepe te literis hortatus essem, ut quamprimum reipublicae subvenires, in Italiamque exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos necessarios: rogatus sum a prudentissima et diligentissima femina, matre tua, cuius omnes curae ad te referuntur, et in te consumuntur, ut venirem ad se a. d. IIX Kal. Sext. quod ego, ut debui, sine mora feci. Quum autem venissem, Casca aderat, et Labeo, et Scaptius. At illa retulit, quaesivitque, quidnam mihi videretur: arcesseremus te, atque id tibi conducere putaremus, an tardare et commorari te melius esset.

Respondi id, quod sentiebam et dignitati et existimationi tuae maxime conducere, te primo quoque tempore ferre praesidium labenti et inclinatae reipublicae. Quid enim abesse censes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hostem persequi noluerunt? et in quo incolumis imperator, honoribus amplissimis, fortunisque maximis, coniuge, liberis, vobis affinibus ornatus, bellum reipublicae indixerit? Quid dicam, in tanto senatus populique consensu, quum tantum resideat intra muros mali? Maximo autem, quum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, quum me pro adolescentulo ac paene puero respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae obligatio. Haec enim solvi potest, et est rei familiaris iactura tolerabilis: reipublicae quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi id dependi facile patitur, pro quo spoponderis? quamquam et hunc, ut spero, tenebo multis repugnantibus. Videtur enim in eo esse indoles, sed flexibilis aetas, multique ad depravandum parati, qui, splendore falsi honoris obiecto, aciem bonii ingenii praestringi posse confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi accessit, ut omnes adhibeam machinas ad tenendum adolescentem, ne famam subeam temeritatis. Quamquam quae temeritas est? Magis enim illum, pro quo spopondi, quam me obligavi. Nec vero poenitere potest rempublicam, me pro eo spopondisse, qui fuit in rebus gerendis tum suo ingenio, tum mea promissione constantior. Maximus autem (nisi me forte fallit) in republica nodus est inopia rei pecuniariae.

Praestringi posse confidunt) Ernestius legendum putabat *praestringi posse confidant*.

Obdurescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum praemiis omne consumitur. Impendent autem infiniti sumtus tum in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum vero in tuum. Nam Cassius noster videtur posse satis ornatus venire. Sed et haec et multa alia coram cupio, idque quam primum. De sororis tuae filiis non exspectavi, Brute, dum scriberes. Omnino iam tempora (bellum enim ducetur) integram tibi causam reservant. Sed ego a principio, quum divinare de belli diuturnitate non possem, ita causam egi puerorum in senatu, ut te arbitror e matris literis potuisse cognoscere. Nec vero ulla res erit unquam, in qua ego non vel vitae periculo ea dicam, eaque faciam, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrer. Vale. VI Kalend. Sext.

Obdurescunt) Manut. malebat *obsurdescunt*.

Arbitrer) Sic Ern. ex ed. Rom. Vulg. *arbitror*. Ed. Cratandri *arbitrabor*.

M. TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM

AD M. BRVTVM

ET

M. BRVTI AD CICERONEM

LIBER SECVNDVS. 1

I.

In summo discrimine rem esse scribit, neque se tamen desperare: celeritatem in consulibus desiderat et prudentiam: maximam spem esse in Bruto et Cassio.

CICERO BRVTO S.

Quum haec scribebam, res existimabatur in extremum adducta discrimen: tristes enim de Bruto nostro literae nuntiique adferebantur. Me quidem non maxime conturbabant. His enim exercitibus ducibusque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum. Fidem enim consulum non condemnabam, quae suspecta vehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus prudentiam et celeritatem; qua si essent usi, iampridem rempublicam recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in republica temporum; et quid intersit, idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia, quae severe decreta sunt hoc

(1) In edd. hic liber vulgo sic inscribitur: *Epistolae ad Brutum a Germanis repertae et editae.*

Condemnabam) Ernestius malebat *contemnebam*.

tumultu, si aut, quo die dixi sententiam, perfecta essent, et non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt, ut agerentur, non tardata et procrastinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia, Brute, praestiti reipublicae, quae praestare debuit is, qui esset in eo, in quo ego sum, gradu senatus populique iudicio collocatus: nec illa modo, quae nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, vigilantiam, patriae caritatem; ea sunt enim, quae nemo est, qui non praestare debeat; ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de republica, puto etiam prudentiam esse praestandam: nec me, quum mihi tantum sumpserim, ut gubernacula reipublicae prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suasuerim, quam si infideliter. Acta quae sint, quaeque agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse; neque respectum ullum quaerere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Maiores autem partes animi te Cassiumque respiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem rempublicam esse faciendam; aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

II.

De Planci egregio in rempublicam animo, et suis cum Servilio in senatu de Planco contentionibus, quibus eum tandem fregit.

CICERO BRVTO S.

Planci animum in rempublicam egregium, legiones, auxilia, copias ex literis eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi, tui necessarii, qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos, levitatem et inconstantiam animumque semper inimicum reipublicae iam credo tibi ex tuorum literis esse perspectum. Nos exspectatio sollicitat, quae est omnis iam in extremum adducta discrimen. Est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii, Servilio, quem tuli diutius, quam dignitas mea patiebatur: sed tuli reipublicae causa, ne darem perditis civibus hominem, parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quo concurrerent; quod faciunt nihilo minus; sed eum alienandum a republica non putabam. Finem feci eius ferendi. Coeperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci vero causa exarsit incredibili dolore, mecumque biduum ita contendit, et a me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. Atque in hac contentione ipsa, quum maxime res ageretur a. d. V Id. Aprilis, literae mihi in senatu redditae sunt a Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim quum recitavissem, cecidit Servilius, complures praeterea. Sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt: sed acerbissime tulit Servilius, assensum esse mihi de

Planco. Magnum illud monstrum in republica est.

. . . .

Deest huius epistolae pars extrema.

III.

De Dolabellae crudelitate, Antistii liberalitate, et Ciceronis filii laudibus.

BRVTVS CICERONI S.

Deest principium epistolae.

. . . . . sed quo nos amisisse: quem sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. Vetus Antistius me tamen pecunia sublevavit. Cicero, filius tuus, sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere videatur cogitationem, cuius sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus: illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. Apr. Dyrrhachio.

Dyrrhachio) Vulgo *Carachio,* quod nomen alibi nusquam occurrit. Edd. Victor. et Hervag. *Charachio.*

IV.

Respondet Bruti literis de Cassii et Dolabellae rebus in Asia, et de Antonio sententiam consultus scribit.

CICERO BRVTO S.

Datis mane a. d. VI Id. April. Scaptio literis, eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas vesperi. Itaque mane prid. Id. Apr. quum a Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam, et statim ire, hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis. De Cassio laetor, et reipublicae gratulor: mihi etiam, qui, repugnante et irascente Pansa, sententiam dixerim, ut Dolabellam bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro senatusconsulto iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quae dicenda putavi. Haec ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis; quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his literis, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur, et in ea se gerere teterrime. Compluribus autem scripsisti, Dolabellam a Rhodiis esse exclusum: qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum: sin eam semel cepit, mihi crede, . . non erit. Id. April.

Sine nostro) *Nostro* non placet; nec enim solet tale pronomen addi. Verbo *decreti* solet addi non illi. In Ed. Cratandri est etiam *senati consulto*. Ern.

V.

De Trebonii morte et provincia scribit. De Antonio consulit. De rebus a Cassio gestis quid fieri velit, ostendit. Orationes Ciceronis laudat, et pecuniam supplementumque postulat

BRVTVS CICERONI S.

Literas tuas valde exspecto, quas scripsisti post nuntios nostrarum rerum, et de morte Trebonii: non enim dubito, quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere et civem optimum amisimus, et provinciae possessione depulsi sumus, quam recuperari facile est. Neque minus turpe aut flagitiosum erit, si potest, non recuperari. Antonius adhuc est nobiscum: sed mediusfidius et moveor hominis precibus, et timeo, ne illum aliquorum furor excipiat: plane aestuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine sollicitudine essem. Id enim optimum esse, persuasum esset mihi. Quare quam primum fac me certiorem, quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem a Murco et a Marcio, et ab exercitu ipso arcessitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem, et matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quam tuum consilium cognovissent, tibique visum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es: altera de literis meis, quae habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc exspectas, dum eas laudem. Nescio animi, an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut vel Philippici vocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia et supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, vel secreto consilio adversus Pansam, vel actione in senatu: altera, quae

magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quam reliquorum. Hoc magis doleo, Asiam * * at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

VI.

Respondet epistolae superiori.

CICERO BRVTO S.

Quod egere te duabus necessariis rebus scribis, supplemento et pecunia, difficile consilium est. Non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse videam, praeter illas, quas senatus decrevit, ut pecunias a civitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non video quid fieri possit. Tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, ut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat, tam multos ad te ire voluntarios: quomodo quidem credo, quod his rebus, quae in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur: quomodo autem multi suspicantur, quod ne te quidem nimis firmum esse velit; quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quae gesta a Cassio essent, quam mihi visum esset, video te veritum esse id, quod verendum fuit, ne animi partium Caesaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur. Sed antequam tuas literas accepimus, audita res erat, et pervulgata: tui etiam tabellarii ad multos familiares tuos literas attulerant. Quare neque supprimenda res erat, praesertim quum id fieri non posset, neque si posset, non divulgandam potius, quam occultandam putaremus. De Cicerone meo, et si tantum est in eo, quantum

scribis, tantum scilicet, quantum debeo, gaudeo: et si, quod amas eum, eo maiora facis: id ipsum incredibiliter gaudeo, a te eum diligi.

VII.

De tota constitutione belli quid sentiat perscribit, et Brutum ad maiorem severitatem, proposito reipubl. summo periculo, excitat.

CICERO BRVTO S.

Quae literae tuo nomine recitatae sint Id. April. in senatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te scripsisse tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes: illud necesse me ad te scribere, quid sentirem de tota constitutione huius belli, et quo iudicio essem, quaque sententia. Voluntas mea, Brute, de summa republica semper eadem fuit, quae tua: ratio quibusdam in rebus (non enim omnibus) paulo fortasse vehementior. Scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari rempublicam. Tu lenius, immortali omnino cum tua laude: sed quid melius fuerit, magno dolore sensimus, magno periculo sentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quae oratione confici non poterat; ego omnia ad libertatem, quae sine pace nulla est; pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerunt arma poscentium, quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. Itaque res in eum locum venerat, ut nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antonii veniendum fuerit: quocum vides hoc tempore ipso, quod sit, quantumque certamen. Id profecto nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius. Sed haec

omitto. Res enim a te gesta memorabilis et paene caelestis repellit omnes reprehensiones: quippe quae ne laude quidem satis idonea affici possit. Exstitisti nuper vultu severo: exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti. Dii immortales! qui ille nuntius, quae illae literae, quae laetitia senatus, quae alacritas civitatis erat! nihil unquam vidi tam omnium consensione laudatum. Erat exspectatio reliquiarum Antonii; quem equitatu, legionibusque magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuae literae, quae recitatae in senatu sunt, et imperatoris consilium, et militum virtutem, et industriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset, de his literis referri, et nisi in tempus turbulentissimum, post discessum Pansae consulis, incidissent, honos quoque iustus et debitus diis immortalibus decretus esset. Ecce tibi idib. April. advolat mane celer Pilus, qui vir! dii boni, quam gravis! quam constans! quam bonarum in republica partium! Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii; dat Servilio tribuno plebis; ille Cornuto: recitantur in senatu. ANTONIVS PROCOS. magna admiratio, ut si esset recitatum, DOLABELLA IMPERATOR, a quo quidem venerant tabellarii: sed nemo Pili similis, qui proferre literas auderet, aut magistratibus reddere. Tuae recitantur, breves illae quidem, sed in Antonium admodum lenes; vehementer admiratus senatus; mihi autem non erat explicatum, quid agerem; falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuae; itaque ille dies silentio. Postridie autem quum sermo increbruisset, Filusque oculos vehementius hominum offendisset, natum omnino est principium a me. De procos. Antonio multa; Sextius causae non

defuit. Post mecum: quanto suum filium, quanto mecum in periculo futurum duceret, si contra procos. arma tulissent. Nosti hominem: causae non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo vero noster nec signum tuum in epistola, nec diem appositum, nec te scripsisse ad tuos, ut soleres. Hoc cogere volebat, falsas literas esse, et, si quaeris, probabat. Nunc tuum est consilium, Brute, de toto genere belli. Video te lenitate delectari, et eum putare fructum esse maximum: praeclare quidem, sed aliis rebus, aliis temporibus, locus esse solet debetque clementiae. Nunc quid agitur, Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium et perditorum spes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus, necne. Cui parcimus, aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus victoribus vestigium nostrum nullum relinquetur? Nam quid interest inter Dolabellam, et quemvis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Haec ut ita sentiret senatus populusque romanus, etsi res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam. Neque dissolutum a te quidquam homines exspectant, neque crudele. Huius rei moderatio facilis est, ut in duces vehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, velim quam plurimum tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quam contemplationem atque imitationem tui. XIII kalend. Maii.

VIII.

Gravis et vehemens invectiva in Octavium, qui subito commutata voluntate optimatium et senatus partes reliquerat, et se ad Antonium contulerat.

CICERO OCTAVIO S.

Si per tuas legiones mihi licitum fuisset, quae nomini meo, populoque romano sunt inimicissimae, venire in senatum, coramque de republica disputare, fecissem: neque tam libenter, quam necessario. Nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quae sunt salutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumseptus senatus, nihil aliud vere potest decernere, nisi timere (in Capitolio signa sunt, in urbe milites vagantur, in Campo castra ponuntur, et Italia tota, legionibus ad libertatem nostram conscriptis, ad servitutem adductis, equitatuque exterarum nationum, distinetur) cedam tibi in praesentia foro, curia, et sanctissimis deorum immortalium templis: in quibus reviviscente iam libertate, deinde rursus oppressa, senatus nihil consulitur, timet multa, assentitur omnia. Post etiam paulo, temporibus ita postulantibus, cedam urbe: quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. Cedam vita, quae quamquam sollicita est, tamen, si profutura est reipublicae, bona spe posteritatis me consolatur: qua sublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna iudicio meo, non animus mihi defuisse videatur. Illud vero, quod et praesentis doloris est indicium, et praeteritae iniuriae testimonium, et absentium sensus significatio, non praetermittam, quin, quoniam coram id facere prohibeor, absens prosim: siquidem mea salus aut utilis reipublicae est, aut coniuncta certe

publicae saluti. Nam, per deum immortalium fidem (nisi forte frustra eos appello, quorum aures atque animus a nobis abhorrent) perque fortunam populi romani (quae, quamquam nobis infesta est, fuit aliquando propitia, et ut spero, futura est) quis tam expers humanitatis, quis huius urbis nomini ac sedibus usque adeo est inimicus, ut ista aut dissimulare possit, aut non dolere? aut, si nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non morte proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, et perducam ad extremum, et novissima conferam primis, quae non posterior dies acerbior priore? et quae non insequens hora antecedente calamitosior populo romano illuxit? M. Antonius, vir animi maximi (utinam etiam sapientis consilii fuisset!) C. Caesare fortissime, sed parum feliciter, a reipublicae dominatione summoto, concupicrat magis regium, quam libera civitas pati poterat, principatum. Publicam dilapidabat pecuniam, aerarium exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat civitates: ex commentario dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiscito; ipse regnabat in consulatu; provincias unus omnes concupiebat. Cui sordebat Macedonia provincia, quam victor sibi sumpserat Caesar, quid de hoc sperare aut exspectare nos oportebat? Exstitisti tu vindex nostrae libertatis, ut tunc quidem, optimus (quod utinam neque nostra nos opinio, neque tua fides fefellisset!) et veteranis in unum conductis, et duabus legionibus a pernicie patriae ad salutem avocatis, subito prope iam affectam ac prostratam rempublicam tuis opibus extulisti. Quae tibi non ante, quam postulares, maiora quam velles, plura quam sperares, detulit senatus? Dedit fasces, ut cum auctoritate defensorem haberet, non ut imperio se adversum arma-

ret. Appellavit imperatorem, hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non ut sua caede caesus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro statuam, locum in senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est maius, quod velis sumere? Sin autem supra aetatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii scelerate circumscribis senatum? [1] Quo te misimus? a quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? a quibus exercitum abducis? et quos adversus aciem struis? Cur hostis relinquitur? civis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius adversariorum castris, et propius urbem moventur? O me nunquam sapientem, et aliquando id, quod non eram, frustra existimatum! quantum te, popule romane, de me fefellit opinio! O meam calamitosam ac praecipitem senectutem! O turpem exacta dementique aetate caniciem! Ego patres conscriptos ad parricidium induxi; ego rempublicam fefelli; ego ipse senatum sibi manus afferre coëgi, quum te, Iunonium puerum, et matris tuae partum aureum esse dixi. At te fata patriae Paridem futurum praedicabant, qui vastares urbem incendio, Italiam bello, qui castra in templis deorum immortalium, senatus in castris habiturus esses. O miseram, et in brevi tam celerem et tam variam reipublicae commutationem! Quisnam tali futurus ingenio est, qui possit haec ita mandare literis, ut facta, non ficta videantur esse? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quae verissime memoria propagata fue-

(1) Gronovio placebat lectio cod. Balliol. et edd. vett. *cur aut ut ingratum crudeliter, aut ut immemorem beneficii tui circumscribis senatum.*

rint, non fabulae similia sit existimaturus? Cogita enim Antonium hostem iudicatum, ab eo circumsessum consulem designatum, eundemque reipublicae parentem: te profectum ad consulem liberandum et hostem opprimendum. hostemque a te fugatum, et consulem obsidione liberatum: deinde paulo post fugatum illum hostem arcessitum, tamquam coheredem mortua republica ad bona populi romani rapienda: consulem designatum rursum inclusum eo, ubi se non moenibus, sed fluminibus et montibus tueretur. Haec quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat semel impune peccasse: sit erranti medicina confessio. Verum enim dicam. Vtinam te potius, Antoni, dominum non expulissemus, quam hunc reciperemus! non quod ulla sit optanda servitus, sed quia dignitate domini minus turpis est fortuna servi. In duobus autem malis, quum fugiendum maius sit, levius est eligendum. Ille tamen ea exorabat, quae volebat auferre: tu extorques. Ille consul provinciam petebat: tu privatus concupisti. Ille ad malorum salutem iudicia constituebat, et leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille a sanguine et incendio servorum Capitolium tuebatur: tu cruore et flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat provincias Cassio, et Brutis, et illis custodibus nominis nostri, regnabat, quid faciet, qui vitam adimit? si qui urbe eiiciebat, tyrannus erat, quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exsilio? Itaque si quid illae maiorum nostrorum sepultae reliquiae sapiunt, si non una cum corpore sensus omnis uno atque eodem consumptus est igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus romanus, respondebit aliquis

Non quod) *Non quo* l. Gronov. e cod. Balliol.

nostrum, qui proximus in illam aeternam domum decesserit? aut quem accipient de suis posteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spoliis triumphisque decorarunt? an esse quendam annos XVII natum, cuius avus fuerit argentarius, adstipulator pater, uterque vero precarium quaestum fecerit, sed alter usque ad senectutem, ut non negaret, alter a pueritia, ut non posset non confiteri: eum agere, rapere rempublicam, cui nulla virtus, nullae bello subactae et ad imperium adiunctae provinciae, nulla dignitas maiorum conciliasset eam potentiam, sed forma per dedecus, pecuniam et nomen nobile conscleratum impudicitia dedisset: veteres vulneribus et aetate confectos Iulianos gladiatores, egentes reliquias Caesaris ludi, ad rudem compulisset? quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi viveret. Qui tanquam in dotali matrimonio rempublicam testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decii servire eos cives, qui ut hostibus imperarent, victoriae se devoverunt. Audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit nisi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberavit, pro turpi stupro datum in servitutem. Quae quidem si nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter deferentur. Nam si vivus ista subterfugere non potero, una cum istis vitam simul fugere decrevi.

INDEX RERVM

QVAE

IN HOC OCTAVO CICERONIS VOLVMINE

CONTINENTVR

ORATIONES EX SENTENTIA QVORVMDAM VIRORVM DOCTORVM CICERONI SVPPOSITAE

ORATIONVM FRAGMENTA MAIORA ET MINORA

MENDAE QVAE ADHVC INNOTVERVNT, SIC CORRIGANTVR:

Vol. V, pag. 626, lin. 10 in variantibus pro *has* leg. *hae*
Vol. VII, pag. 260, lin. 16, postremo verbo addatur ASCON.
Vol. VIII, pag. 134, lin. 4, *Sed ante omnia praeibit* leg. *Sed omnibus praeibit*.
pag. 506, sinistro latere, lin. ult. leg. *laberentur*.

Si quas alias deprehenderis, benigne Lector, occasionem nactus, mecum communicare ne pigeat. TYP.

OCTAVI VOLVMINIS FINIS.



